A·19·Pl·5.

37
29 C
17

Digitized by Google

Digitized by Google


FRANCISCI XAVERII
ALEGRII
PRESBYTERI VERACRUCENSIS
INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM
LIBRI XVIII.

IN QUIBUS OMNIA CATHOLICÆ ECCLESIÆ DOGMATA, PRÆCEPTA, MYSTERIA, SACRAMENTA, RITUS ADVERSUS PAGANOS, HÆRETICOS, ET RECENTIORES PHILOSOPHOS ASSERUNTUR, ET EXPLICANTUR.

TOMUS SECUNDUS.

COMPLECTENS QUATUOR LIBROS.

I. *De Deo, Deique Attributis.*
II. *De Verbo Dei Scripto.*
III. *De Divinorum Librorum Versionibus, Interpretatione, & Sensibus.*
IV. *De Verbo Dei non Scripto, sive de Traditionibus.*



VENETIIS,
TYPIS ANTONII ZATTÆ, ET FILIORUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.
M. D. CC. LXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS.

De Deo, Deique Attributis.

ACcedentem ad Deum oportet credere quia Est, & quia inquirentibus se Remunerator sit. (*Ad Hebr. 11.*) Credant tamen, seu sola fide teneant opus est rudiores, & imperiti homines, quæ sapientiores post longam disquisitionem, magna animi contentione vix assequuntur, ut scilicet de Deo, Deique natura dignum aliquid cogitatione percipiant.

PROPOSITIO I.

Est Deus.

DEum dico primam causam, sive id quod omnium causa est, & ab nullo est.

1. Fuerunt autem qui quamvis Deum existere faterentur, & pie colerent, ejus tamen existentiam demonstrari non posse existimaverint, quorum duo genera esse video. Alii enim putaverunt, Dei existentiam ita per se mortalibus manifestam esse, & conspicuam, ut demonstrari non possit. Quæ enim notissima sunt, demonstrari non possunt, sicut prima principia. A notioribus quippe demonstratio petenda est. Notissimis autem, aut per se notis nihil esse potest notius. Unde Aristoteles, (*2. Phis. c. 1. tex. 6.*) ridiculum esse, inquit, si naturam velis demonstrare, & quæstionem illam: utrum sit providentia, pœna potius, quam solutione dignam putat. Fuerunt item alii æquè in Deum reverentes, qui naturam divinam ita arcanam, atque humano captu superiorem putent, ut nullam ejus demonstrationem, præformare animo possimus. Duplex igitur veluti lemma nobis præstabiliendum est. Primum illud: Dei Existentiam non ita per sese notam esse, & conspicuam, ut demonstratione non egeat. Secundum: Non ita esse ab hominum captu alienam, ac remotam, ut demonstrari non possit. Porro qui Deum existere per se notum esse contendunt, his potissimum nituntur argumentis. Moventur quidem 1. ex communi Gentium omnium consensu, quarum eam esse in toto terrarum orbe constitutam legem, ac rationem,

inquit Maximus Tyrius, (*Dissertat. 1.*) ut unum esse Deum, Regem omnium, & Patrem fateantur. Quæ etiam Velcii apud Tullium, (*l. 1. de Natura Deorum.*) & Sallustii Philosophi, aliorumque est sententia. Atqui quod natura universim homines docet, id verum sit, necesse est. Moventur item Scripturarum earum, quarum nos divinam authoritatem fatemur, testimoniis. Dicitur enim: (*ps. 4.*) Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Et apud Job: (*cap. 36.*) omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. Item, (*Joan. 1.*) Verbum Dei lux dicitur, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Probant denique id tertio innumeris Philosophorum, & Patrum testimoniis, qui notitiam Dei animis hominum innatam, ingenitam, a natura inditam, insertam, atque impressam dicunt.

3. Et istorum quidem Theologorum oratio veritatem habet ex parte, propositum tamen non concludit. Nota enim duobus modis sunt, ut in 1. Ethicor. dicitur. Alia enim sunt nobis, alia absolute, ac simpliciter nota. Per se nota simpliciter illa propositio dicitur, cujus prædicatum includitur in ratione, aut definitione subjecti, velut illa: animal sentit, currens movetur, rationale discurrit. Illa autem inclusio prædicati in definitione subjecti nota esse non potest ei, qui subjecti, animalis v.g. naturam, ac definitionem ignorat. Apud hunc igitur illa propositio: animal sentit per se nota non erit. Quum igitur hujus propositionis: Deus est, subjectum, sive natura divina sit nobis ignota, aut non nisi imperfectissimè cognita, inde, an existentia in natura divina includatur, nec ne, sine ulteriori indagine, ac ratiocinio constare nobis non potest. Unde eam propositionem D. Thom. (*1. p. q. 2. art. 1.*) simpliciter per se notam dixit, non tamen apud nos homines, quamvis sublimioribus humana mentibus per sese fortassis innotescat. Scotus igitur non D. Thomam sed Aristotelem impugnavit, a quo D. Thom. eam doctrinam hauserat, immo neutrum impugnavit. Non enim est consequens quia quidquid per se notum est, alicui notum est, ideo & nobis hominibus notum esse. Nam & in scientiis, ac disciplinis reliquis ipsos inter homines quædam sunt veluti axiomata, & principia per se nota apud sapientes tantum, ut incorporea non esse in loco, continuum esse in infinitum divisibile, quæ tamen neque per se nota, neque demonstrabilia sunt apud rudes, & imperitos homines. Sic, exempli gratia apud Euclidem, (*1. Elem. Geom.*) & peritiores Geometras pro axiomate habetur illud. Si duas rectas secans recta angulos internos ex aliqua parte duobus rectis minores effecerit, rectæ illæ duæ versus eam partem concurrent. Hanc, inquam, propositionem Euclides inter axiomata recenset, quam tamen nonnulli (*Dechal. Tacquetus, Medran.*)

ab

Digitized by Google

ab eo numero rejiciunt, aut saltem Tyronibus non inter axiomata proponendam existimant, quod demonstratione, inquiunt, aut saltem ulteriore explicatione opus habet.

4. Præterea, uti argumentatur D. Thom. (*loc. cit.*) Nemo potest, ejus quod per se notum est, contrarium cogitare, aut asserere; sed Deum esse quidam negaverunt, quorum nonnullos recensent Sext. Empyricus, & Laertius. Addit etiam Tullius in Cottæ oratione plures esse gentes adeo immanitate efferatas, ut apud eas nulla Deorum suspicio sit; quod etiam in remotissimis nonnullis regionibus ita evenire experimento compertum est. Confirmaturque ex illo Psalmi: (52.) Dixit insipiens in corde suo; non est Deus. Adde posteriorum horum temporum Philosophos, Spinosam, Bailium, Elvezium, Mirabaudium, qui inaudito priscis Græcis, & Latinis exemplo exstare Deum aliquem non negant solum, verum & apertissimè impugnant, idemque homines docere conantur. His vero Recentior quidam (*Tournel. quæst. 1. de existentia Dei art. 1.*) occurrit dicens, id accidere in nonnullo posse, in quo vitia, noxiæque cupiditates rationis lumen obscuraverint, & corruperint. At vero pravæ animi affectiones, & habitus judicium agendorum, sive practicum corrumpere possunt quidem, non tamen speculativum, sive judicium rerum scibilium: immo nec judicium practicum ita pervertere possunt, ut prætereunte passionis æstu, non quisquam se turpiter fecisse, atque aliter facere debuisse cognoscat. Unde appositè ad rem præsentem ajebat Plato: (*l. 10. de legibus.*) neminem ab adolescentia usque ad senectutem in ea opinione quod Dii non sint, perseverasse. Porro speculativum judicium, nec in iis quæ ad intellectum merum, sive habitum principiorum nudè consideratum, nec in iis quæ ad alios mentis habitus spectant, sapientiam, nimirum, scientiam, prudentiam, & artem in universum corrumpi potest, ut non ex primis principiis naturaliter cognitis, magis aut minus immediatas, magisque, aut minus universales conclusiones eliciant. Unde & in Dæmonibus perversissimæ, & obstinatissimæ voluntatis intellectuale lumen manet splendidissimum, ut Cœlestis Hierarchiæ author scripsit, & constans est Theologorum sententia.

5. Ex quibus profecto jam patet responsio ad primum contrariæ sententiæ fundamentum. Ad secundum dicitur signatum esse super nos lumen divini vultus propter intellectivam vim homini datam, non propter expressam aliquam insitam cognitionem. Omne enim lumen intellectus nostri, sive naturale, sive gratuitum est quædam primæ veritatis impressio. Ex quo fit, ut homines omnes saltem sub confusa aliqua, & communi ratione Deum videant, id est, noverint. Unusquisque autem intuetur procul, quia non sine longo ratiocinio,

Digitized by Google

studio, ac diligentia Dei cognitionem, eamque imperfectissimam assequuti sunt sapientissimi Philosophorum, Quippe omnis notitia, quæ de Deo in præsenti vita haberi potest, sive per naturale, sive per infusum fidei lumen, semper est veluti per speculum in ænigmate. Unde de Græcis Philosophis dixit Paulus (*Actor. Apost. c. 17.*) quæsivisse Deum si forte attrectent, id est si forte orborum more, ab sensibilium rerum cognitione manu ducti, primam omnium caussam invenire possint, atque adeo tanquam in objectum quoddam longè ab humano captu positum veluti contingenter incidere, quamvis reipsa (*Ibi.*) non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur & sumus. Et omnem hominem ipse illuminat quum naturali rationis lumine, tum supernaturali per auxilia interna, prædicationem, & suorum in carne gestorum manifestissimam veritatem, de quo alibi. Dicitur autem a Patribus insita nobis, aut ingenita Dei notitia, quia cognoscere Deum in aliquo communi, & sub quadam confusa ratione est homini naturaliter insertum, quatenus nimirum naturaliter homo appetit beatitudinem, atque adeo naturaliter eam cognoscit, & consequenter Deum sub ratione Summi Boni, & ultimi finis, ut alibi statuitur. Sed hoc non est simpliciter Deum cognoscere, sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Coriscum, quamvis Coriscus sit veniens. Ita D. Thomas. (*1. p. qu. 2. art. 1.*) Partim id etiam ex consuetudine oritur, (*1. cont. Gent. c. 11.*) quia a principio assueti sunt homines nomen Dei audire, & invocare: consuetudo autem & maximè quæ est ab ipso vitæ, & ratiocinationis exordio vim naturæ obtinet, unde contingit, ut ea quibus a principio animus imbuitur, ita firmiter teneantur, atque inhæreant ac si essent naturaliter & per se nota.

6. Contra vero alii contendunt Dei existentiam neque per se notam esse, neque via ulla, aut argumentatione demonstrabilem. Rationum autem, quibus hoc persuadere nituntur, hæc summa est. I. Quia Deum esse fide credimus. Accedentem enim ad Deum oportet credere quia Est; sed fides est argumentum non apparentium, sive eorum quæ naturæ lumine cognosci non possunt: non ergo potest naturali ratione demonstrari Deum esse. Item principium demonstrationis est quod quid est, sive rei ratio, quam explicat definitio: de Deo autem quid est, scire non possumus. Tum: Si esset aliqua Dei demonstratio, maximè ab effectis; sed hæc via non est sufficiens, quia inter res a Deo creatas, & ipsum Deum nulla est similitudo, aut proportio: nulla ergo esse potest de existentia Dei demonstratio. Præterea: Inter Metaphysicas demonstrationes, quibus id ostendere conati sunt Philosophi, maximè Aristoteles, nulla non procedit ex suppositione æternitatis mundi; hæc autem suppositio falsa est secundum fidem

no-

nostram; tota ergo demonstratio ruit. Demonstrationes vero, quibus utuntur Catholici Doctores procedunt plerumque ex suppositione novitatis, & inceptionis Mundi; sed Mundum incœpisse non est demonstrabile, ut alibi probabitur, (*lib. 5. prop. 1.*) ergo ab effectis, sive a mundi productione nulla peti potest divinæ existentiæ demonstratio. Ex his tamen omnibus nihil pro veritate illius opinionis efficitur. Ad primum enim respondet D. Thom. (*1. p. q. 2. art. 2. & 10. de ver. art. 12.*) Deum esse & alia hujusmodi, quæ naturæ lumine nosci possunt, non esse articulos fidei, sed præambula quædam ad articulos, quia fides supponit rationem, sicut gratia naturam. Fuit autem convenientissimum, ut ea etiam quæ naturali lumine de Deo sciri possunt, ut credenda proponerentur vulgo hominum quibus demonstratio non suppetit, aut qui vim demonstrationis capere ob ingenii tarditatem nequeunt, quod alibi explicabitur. Ad secundum dicitur, illud esse verum de demonstratione a priori, sive propter quid; ita vero Deum esse non est demonstrabile. Est tamen demonstrabile a posteriori. Utimur enim effectis (quod semper licuit) loco definitionis causæ ad demonstrandam causæ existentiam. Ad tertium negatur minor, quam adjecta ratio non convincit. Per effectus enim non proportionatos non quidem haberi poterit perfecta causæ cognitio; sed hujusmodi effectuum causam esse aliquam invictè demonstrabitur. Sic viso motu, quisnam motor sit, ignorari forsitan poterit, sed aliquem motorem esse nemo dubitaverit. Ad quartum respondeo Aristotelicas, quas infra dabimus, demonstrationes, si attente inspiciantur, præscindere ab æternitate, aut novitate mundi. Sive enim motus sempiternus sit, sive non, semper ad motorem immobilem deveniendum esse conficitur. Argumentatur autem Aristoteles ex concessis, quia plerique veterum mundum semper extitisse crediderunt. Argumentatur item ab difficiliori, quia supposita mundi æternitate difficilius est demonstrare primæ causæ existentiam, quæ supposita mundi incœptione velut ex se patet. Demonstrationes vero, quibus Patres, ac Theologi divinam existentiam demonstrant, fidem de mundi incœptione non supponunt. Eas autem omnes ad quinque vias, aut capita reduxit D. Thom., ex quo ad præjactæ propositionis directam probationem, ac demonstrationem sic in scholastica forma proceditur.

7. Et primo quidem ex Aristotele. (*l. 8. Phys.*) Quidquid movetur, ab alio movetur; patet autem aliquid in mundo moveri: ergo alio movente movetur. Aut ergo illud movens movetur, aut non. Si secundum: ergo est aliquod movens immobile, & hoc dicimus Deum: Si primum: ergo ab alio movente movetur; sed in moventibus non est processus in infinitum: ergo deveniendum est

 ad

Digitized by Google

ad movens immobile, & habemus intentum. In hac porro Aristotelica argumentatione duæ sunt propositiones, quæ ulteriori explicatione videntur indigere, nimirum prima illa: Quidquid movetur ab alio movetur, & item media ultima; quod in moventibus non est in infinitum procedere. Utramque autem multipliciter probat Philosophus. Et primam quidem sic I. Omne movens seipsum oportet ut in se habeat principium motus sui, alioqui non a se, sed ab alio moveretur. Oportet etiam ut sit primo motum, id est, ut moveatur ratione sui totius, & non ratione suæ partis: Sic enim totum non moveretur a se, sed a parte sua, & una pars ab alia. Oportet etiam ut sit divisibile, sive ex diversis partibus compositum. Moveri enim proprium est corporum, ut in Physicis demonstratur.

8. His ergo suppositis nihil a se ipso moveri posse sic demonstrat Aristoteles. Hoc quod ponitur a seipso moveri, est primo motum: ergo ad quietem unius partis ejus, sequitur quies totius; nihil autem quod quiescit alio quiescente, movetur a seipso: ergo hoc quod ponebatur a seipso moveri, non movetur a seipso: omne ergo quod movetur, ab alio movetur, quod erat demonstrandum. Prima consequentia liquet. Nam si quiescente una parte, alia moveretur, tunc totum non esset primo, seu ratione sui totius motum, sed pars ejus, quæ movetur, alia quiescente. Minor etiam subsumpta patet. Nam si quies hujus, ad quietem illius sequitur, etiam motus hujus ad motum illius sequatur necesse est; sed id cujus motus sequitur ad motum alterius, a se ipso non movetur, ut ex terminis patet: ergo quod quiescit, alio quiescente, non movetur a se ipso.

9. Secundo eadem prima propositio probatur inductione. Quidquid enim movetur, aut movetur per accidens, aut per se. Et quidem quæ moventur per accidens non a se ipsis moventur. Moventur enim ad motum alterius, sicut nauta ad motum navis, & auriga ad motum currus, & anima ad motum corporis. Quæ autem per se moventur, aut naturali motu, vel violento. Si naturali motu, aut ex se sicut animalia, aut non ex se, sicut gravia. Jam vero quæ moventur per violentiam, patet non a se ipsis moveri. Violentum enim est, cujus principium est forinsecus, passo non conferente vim. Quæ vero moventur per naturam ex se, uti animalia, patet a se ipsis non moveri, una enim pars, nimirum anima aliam movet. Neque quæ moventur non ex se sicut gravia. Moventur enim a generante, aut a removente prohibens, ad cujus actionem sequitur motus: quidquid ergo movetur, non a se, sed ab alio movetur, quod erat demonstrandum.

10. Tertia Aristotelis ratio ad idem demonstrandum est hujusmodi: Nihil esse potest simul in actu, & in potentia comparatè ad eun-

eundem terminum; sed omne quod movetur, quà tale est in potentia, ut patet ex definitione motus in communi; omne autem quod movet, quatenus hujusmodi est in actu, quia omne agens agit quatenus est in actu: ergo nihil esse potest movens, & motus respectu ejusdem, atque adeo nihil potest se ipsum movere, quod erat primum in Aristotelica argumentatione propositum.

11. In moventibus autem non posse in infinitum procedi, quod erat alterum, sic probat Aristoteles. Si in moventibus, & motis procederetur in infinitum, oporteret omnia illa infinita esse corpora: omne enim quod movetur & divisibile, & corpus est, ut alibi demonstratur. Nullum autem corpus movetur in instanti; omne autem corpus quod movet motum, simul dum movet, movetur: ergo omnia illa infinita simul moventur; sed unumquodque eorum, quum sit finitum, movetur tempore finito: ergo tota illa series infinitorum agentium sese invicem moventium, movetur tempore finito, quod absurdum est. Item: quod movet instrumentaliter, non potest movere, nisi sit aliquod principale movens; sed si in moventibus procederetur in infinitum, omnia essent instrumentaliter moventia, quum sint moventia mota; nullum autem erit principale movens: nihil ergo movebitur; quod patet esse falsum: in moventibus ergo, & motis non est in infinitum procedere, quod secundo loco in Aristotelis ratiocinio assumebatur.

12. Secundo deveniendum esse ad aliquod movens immobile, quod Deum appellamus, sic ostendit idem Aristoteles: Si omne movens movetur, aut hæc propositio vera est per se, aut per accidens: sed neutrum: ergo datur movens aliquod immobile. Minor quoad utramque partem demonstratur: Si ea propositio est vera per se, vel omne movens movetur eadem specie motus, qua movet, vel alia diversa. Si primum: ergo erit in potentia, & in actu respectu ejusdem termini, & opus erit ut augens augeatur, & sanans sanetur, & secans secetur, quo nihil esse potest absurdius. Si secundum: Ergo quum species motus non sint infinitæ, non poterit in infinitum procedi, & tandem deveniendum erit ad movens, quod nulla motus specie moveatur, sive quod sit omnino immobile, & hoc erat intentum. Quod si dicas completis omnibus speciebus motus, iterum rediri ad primum, incides in absurdum idem, nimirum ut saltem mediate idem secundum eandem speciem motus & moveat, & moveatur: deveniendum est ergo ad aliquod movens quod ab extraneo principio non moveatur; sed neque quod moveat se ipsum, ut demonstratum est; ergo quod sit prorsus immobile. Si autem ea prima propositio est vera per accidens: ergo non est necessaria, quod enim est per accidens, potest esse, & abesse: contingere ergo po-

test

Digitized by Google

test nullum movens moveri; sed si movens non movetur, non movet, ut contendis: ergo contingere potest ut nihil moveatur, nam si nihil movet, nihil movetur. Sed si in motoribus, & motis procedatur in infinitum, absurdum est dicere motum aliquando non fuisse, quia tunc series moventium, & mobilium ab æterno extitisset: ergo primum non fuit contingens, nam ex falso contingenti non sequitur falsum impossibile: prima igitur illa propositio: omne movens movetur, non est vera per accidens. Item: in his, quæ per accidens inveniuntur simul, sicut album, & dulce, si unum invenitur sine alio, etiam hoc sine illo inveniri potest, ut si invenitur album non dulce, etiam dulce non album inveniri possit; sed quod omne movens moveatur, ponitur esse verum per accidens, & aliunde invenitur in rerum natura motum non movens: ergo etiam dari poterit movens non motum, & habemus intentum.

13. Tertio Deum esse demonstratur ex ratione causæ: Quidquid enim fit ab alio fit. Nihil enim causa sui ipsius esse potest, alias se ipso prius esset, quod ex terminis repugnat; sed in causis efficientibus non est processus in infinitum: ergo deveniendum est ad aliquod faciens non factum, & hoc dicimus Deum. Minor probatur eodem modo, ac supra de motoribus, & motis. Nam causa media, aut subalterna est illa, quæ operatur virtute causæ principalis; sed si procedatur in infinitum nulla erit causa principalis: ergo nulla erit causa subalterna, seu media: ubi enim supremum non est, medium esse non potest.

14. Quarta Demonstratio sic procedit: inveniuntur in rebus plurima, quæ generantur, & corrumpuntur, atque adeo quæ suapte natura possunt esse, & non esse. Vel ergo omnia ejusmodi sunt, vel non? Si primum, quum omnia contingenter fuerint, potuit aliquando nihil fuisse; sed si potuit aliquando nihil fuisse, aliquando nihil fuit; si autem aliquando nihil fuit, etiam nunc nihil est, quia nihil incipit esse nisi per aliquid, quod actu est: ergo si omnia ejus naturæ sunt, ut possint esse, & non esse, nihil in mundo est: hoc autem patet esse falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Prima minor, quæ non videtur ex terminis patere, demonstratur: Nihil, quod contingenter est, esse potest, nisi ab aliquo alio determinetur ad existendum, quia quod non est, se determinare ad existendum nequit; sed si potuit aliquando nihil fuisse, ideo erat quia nihil potuit vel se ipsum, vel aliud determinare ad existendum; si autem nihil poterat se ipsum, vel aliud determinare ad existendum, aliquando nihil fuit: ergo si potuit aliquando nihil fuisse, aliquando nihil fuit. Jam vero secunda pars primæ minoris constat. Si enim non omnia ejus naturæ sunt, ut possint esse, & non esse: ergo aliquid neces-

se

Digitized by Google

se est esse. Vel ergo habet causam suæ necessitatis, vel non? Si habet causam suæ necessitatis: ergo non est necesse ut sit, nisi ex suppositione illius, a quo necessitatem habet ut sit. De illa ergo causa idem rogabitur, & quum in necessariis habentibus necessitatis suæ causam non sit procedere in infinitum, sicut nec in causis efficientibus, ut ostensum est, devenietur tandem ad aliquid a se necessarium, sive non habens causam suæ necessitatis, & hanc primam, & communem contingentium, & necessariorum causam Deum appellamus.

15. Quinta ejusdem propositionis demonstratio sic instituitur; omnia agentia naturalia per suas operationes tendunt in finem. Semper enim, vel ut plurimum eodem modo operantur; quod autem casu aut fortuito accidit, raro accidit. Ea autem quæ cognitione carent, non tendunt in finem, quasi ex se ipsis mota, sicut sagitta, quæ scopi cognitionem non habet, non fertur in scopum, nisi mota, & directa a sagittante: datur ergo suprema quædam intelligens natura, a qua res omnes in suos quæque fines ordinantur, & hanc vocamus Deum. Hanc porro divinæ existentiæ demonstrandæ viam, uti minus Metaphysicam, & humano captui accommodatissimam commendant potissimum, & adhibent sacri authores. (*Sapient. 13.*) A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri . . . (*ad Rom. cap. 1.*) Nam invisibilia ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Quapropter hoc præcipuè argumentandi genere usi sunt & Philosophi, & Patres, quorum plura loca dabit Petavius. (*de Deo lib. 1. cap. 2., & 3.*)

PROPOSITIO II.

Deus æternus est.

Æternum voco quod simul totum, & semel est.

1. Demonstratur assertum I. Deum necesse est esse, ut ostensum est; (*in præc.*) quod autem necesse est esse, non potest non esse; quod autem non potest non esse, semper est: Deus igitur semper est. Aliunde ostensum est, (*in præc. n. 12.*) Deum esse omnino immobilem: omnis autem mutatio motus quidam est: Deus ergo est immutabilis. Atque adeo per nullam successionem ejus vita distenditur: totus ergo simul, & semel est, quod est esse æternum. Item: Quidquid non semper est, aut incipit, aut desinit: quidquid autem mutatur, aut proficit, aut deficit; sed inceptio, vel desitio, profectus, vel defectus non est sine aliqua subjecti mutatione: Deus autem, quum sit omnino immobilis, mutari non potest: ergo nec inci-

Digitized by Google

incipit, nec desinit, nec proficit, nec deficit, atque adeo totus simul, & semel est. Præterea: Tempus est numerus, seu mensura motus, nam prius, & posterius in tempore est secundum successionem prioris, & posterioris in motu: ergo quod est omnino immobile, non subjacet tempori; Deus autem est omnino immobilis: Deus ergo tempori non subjacet. Ad hæc: Si Deus aliquando esse cœpit, ab aliqua causa eductus est, ut esset. Nihil enim a se ipso procedit ut sit: esset igitur causa aliqua prior Deo, atque adeo Deus non esset prima omnium causa, contra id quod supra demonstratum est.

2. Huic autem veritati etiam divina Scriptura testimonium perhibet: Dicitur enim: (*Malach. 3.*) Ego Dominus, & non mutor..., (*Num. 23.*) Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur... (*psalm. 101.*) Tu autem, Domine, in æternum permanes... Idem ipse es, & anni tui non deficient. Nec solum Hebraicæ gentis, cui credita sunt eloquia Dei, verum etiam cunctorum ratione utentium commune judicium est, inquit Boetius, (*5. de cons. Phil.*) æternum esse Deum.

3. Æterni vero nomen non omnes in proprio, & Philosophico sensu videntur accepisse. Poetæ namque æternos dixerunt Deos suos, eo quod immortales eos crederent, nec ullum vitæ terminum habituros, quamvis existendi principium habuisse crediderint, unde quidam ipsorum Theologus, & forsan antiquissimus Hesiodus; (De Hesiodi ætate dubitatur; quidam Homero supparem, nonnulli paulo antiquiorem putant). Theogoniam, sive Deorum generationem singulari carmine scripsit, summumque Deorum Jovem in Creta Insula Saturno, & Rhea parentibus natum fabulantur, de quo videndi Arnobius, Lactantius, Tertullianus, & Augustinus. Hoc eodem laxiori sensu & Angelos, & hominum animas æternas dicere consueverunt etiam Christiani Theologi. Oculatiores autem Philosophi Deum non finis solum, verum etiam principii omnis expertem crediderunt, unde rogatus: quid antiquissimum? Deus, inquit Thales. (*Plutar. in convi.*) Increatus enim est.

4. Enim vero quamvis res creata aliqua ab æterno fuisse diceretur, atque in æternum duratura, ut de Mundo, & motu plures Philosophi, quos inter Plato, & Aristoteles, tenuisse dicuntur; non tamen res illa æterna simpliciter dici posset. Sola enim quod a Fulgentio, dictum est, (*l. de fide ad Petr.*) vera immutabilitas propriè, ac dignè vocatur æternitas. Hinc illa Boetii (*5. de Consol. Phi.*) sapientum omnium consensu probata definitio: Æternitas est vitæ interminabilis tota simul, & perfecta possessio. Quidquid enim vivit in tempore, id præsens a præteritis in futura procedit, nihilque est in tem-

tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti; sed crastinum quidem nondum apprehendit, hesternum vero jam perdidit, in hodierna vero vita non amplius vivit, quam in illo mobili, transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet (sicut de mundo censuit Aristoteles) nec cœperit esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est, ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul, infinitæ licet vitæ, spatium comprehendit; sed futura nondum, transacta jam non habet. Quod ergo interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter possidet, id æternum jure perhibetur, cui neque futuri quidquam absit, nec præteriti fluxerit. Idque necesse est & sui compos præsens sibi semper assistere, & infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Hæc Boetius, qui discrimen illud inter semper temporale, & æternum ab doctrina veterum, & maximè Platonicorum desumpsit. Proclus enim Platonis Scholiastes, aliud est, ait, (*lib. 2. in Tim. pag. 73.*) semper esse temporale, aliud esse æternum. Hoc enim simul, & confertim est totum, illud vero cum tota perpetuitate temporis extenditur, infinitum que estq. Atque æternum quidem in eo quod est nunc consistit, alterum vero in quoddam intervallo, quod numquam desinit. Hinc è Platonis itidem schola pulchrè Herenius æternitatem definivit (*in meth. nondum editis* ...) ἑστῶσαν ἀπειρίαν infinitatem stantem. Quod enim commutabile est, inquit Aug. in Philosophicis itidem Platonicus, sicut veterum Patrum plerique, (*lib. 83. quæst. quæst. 19.*) tempori obnoxium est, non enim semper ejusdemmodi est, & ideo æternum non rectè dicitur. Nam quod mutatur, non manet, & quod non manet, æternum non est. Idque inter immortale, & æternum interest, quod omne æternum est immortale, non autem omne immortale, æternum satis subtiliter dicitur, quia etsi semper aliquid vivat, tamen si mutabilitatem patitur, non propriè appellatur æternum, quia non semper ejusdemmodi est, quamvis immortale, quia semper vivit, rectè dici possit.

Porro ex hucusque dictis duo effluunt Corollaria.

COROLLARIUM I.

5. Nihil præter Deum, æternum est, aut esse potest. Quidquid enim præter Deum est, factum ab Deo est; ut ex dictis patet; omnis autem res creata, est suaptè natura mutabilis; nihil autem mutabile est, aut esse potest æternum: nihil ergo extra Deum æternum esse potest. Minor, de qua dubium esse poterat, demonstratur primo: Quidquid est in rerum natura, actionem aliquam vel

vel operationem habet; sed nulla actio , vel operatio creaturæ est ejusdem substantia, aut essentia: est ergo aliquid substantiæ, aut essentiæ superadditum , & adventitium; sed omne adventitium , & superadditum essentiæ illam afficit, atque immutat: omnis ergo creatura est mutabilis. Item: Nulla creatura est infinitè perfecta: ergo ex parte aliqua omnis creatura imperfecta est; actus autem imperfecti qua talis, est motus: omnis ergo creatura est mobilis; motus vero sine mutatione nullus est: igitur est omnis creatura mutabilis. Denique Nulla creatura est purus actus, esset enim infinitum quid: est ergo omne creatum aliquo modo in potentia; quod autem in potentia est, non reducitur ad actum, nisi per motum, motus enim est actus existentis in potentia, quatenus talis: ergo omne creatum mobile est, & consequenter mutabile. Præterea: Omne creatum ita est, ut non esset, nisi ab alio produceretur: ergo ita est, ut non esset, nisi ab alio conservaretur. Ab eo enim a quo habet esse, habet diu esse: conservatio autem est diuturna, aut continuata productio; quod vero diuturnum est , & continuum non totum simul est: ergo nullius rei creatæ existentia est tota simul. Ubi autem non totum simul est, ibi est successio secundum prius, & posterius; prius autem, & posterius non est sine motu; numerus autem prioris, & posterioris in motu est tempus: omnem ergo rei creatæ existentiam metitur tempus: nihil ergo creatum æternum est, aut esse potest.

6. An vero sive Mundus, sive res præter Deum, quævis ab æterno, id est, per infinita ab hinc retro sæcula, aut extiterit, aut existere potuerit, non est hujus loci disputare. Hic monuisse satis sit cum Boetio, (*lib. 7. de perip. philos. cap. 5.*) illud quod jam supra tetigimus, nimirum non rectè opinari eos , qui quum audiunt visum Platoni Mundum hunc nec habuisse initium, nec finem habiturum, Conditori hoc modo conditum Mundum coæternum fieri putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo tribuit Plato; aliud interminabilis vitæ totam pariter complecti præsentiam, quod Dei proprium esse manifestum est. Quam ille doctrinam ex Augustino hausit, qui de Angelis loquens in 12. de Civit. Dei cap. 25. quos nonnulli ante mundum corporeum creatos arbitrabantur, ita disserit: Ubi nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt. Ac per hoc, etsi semper fuerunt, (Angeli) facti sunt. Nec si semper fuerunt, ideo Creatori coæterni sunt; sed semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora nullomodo esse potuerunt. Ac per hoc, etiam si immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est, quasi jam non sit, nec futura, quasi non-

nondum fuerit, tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur ex futuro in præteritum transeunt, atque ideo Creatori apud quem dicendum non est, vel fuisse quod jam non sit, vel futurum esse, quod nondum est, coæterni esse non possunt. Æternitas quippe, inquit Pelusiota Isidorus, (*lib. 3. ep. 149.*) velut sempiterna vitalitas est, quæ de sola ea natura, quæ initii est expers, & eodem modo semper est, usurpari consuevit. Etenim immortale de eo quoque, quod quum ortum habuerit, minimè tamen moritur, hoc est de Angelis, atque animabus dici potest, sicut incorruptibile de iis, quæ quum facta sint, tamen corruptione sunt omnino potiora; at æternum proprium divinæ Essentiæ est.

7. Hinc obiter explosus manet Hermogenis, & quorumdam Manichæorum error de materia Deo coæva, a quo non longe fuisse Cartesium quidam suspicantur, ille tamen Somniator vanus potius, quam malus habendus est. Tum Gregorii Palamæ, atque aliorum Græcorum, qui lucem illam inaccessibilem, quam inhabitare Deus dicitur, vel quæ in Transfiguratione Domini discipulos circumfulsit, gloriam Dei fuisse dicebant initio carentem, & naturalem, ac sempiternum Dei fulgorem ab ipsius substantia distinctum, & operationem, gratiam, gloriam, & splendorem a divina substantia dimanantem, & in sanctos emissum; increatum tamen quidpiam, atque æternum esse. Huic affinis est Augustini Gteuchi Eugubini fabula, qui cœlum Empyreum claritatem divinam esse dixit, quam semper cum Deo fuisse necesse est, ab eoque circumquaque manare extra mundum, extra rerum creatarum, & caducarum regnum, quæ propterea regnum omnium sæculorum dicitur.

COROLLARIUM II.

8. Quidquid in quacumque temporis differentia existit, toti Dei æternitati semper est præsens. Patet; Quia æternitas est indivisibilis, & tota simul: ergo quidquid est nunc præsens æternitati, est præsens toti æternitati; sed quidquid in quacumque temporis parte existit, est reipsa præsens æternitati: ergo est re ipsa præsens toti æternitati. Deinde, quia æternitas non solum est indivisibilis, sed tota simul, & semel, quicquid aliquando est præsens æternitati, semper est physicæ præsens æternitati; sed quodcumque existit est aliquando præsens æternitati: ergo semper est æternitati præsens. Confirmari hoc potest exemplo immensitatis divinæ, de qua infra agendum erit. Nam sicut Deus ob suam immensitatem est extra omnem locum, & ita ob suam æternitatem est extra omne tempus; sed sicut immensitate sua adæquat, & complectitur omnes differentias locorum, ita æternitate sua omnes differentias temporum pro-

Digitized by Google

propter primum, tam locus, ubi res est, quam locus, ubi res non est sunt æquè physicè præsentia immensitati: ergo propter secundum tam tempus in quo Petrus est, quam tempus in quo Petrus non est sunt simul physicè præsentia æternitati Dei. Hanc porro Divinæ æternitatis prærogativam non modo Patres, ac Theologi, verum etiam Philosophi veteres agnoverunt. Hinc Plato errare homines in loquendo ait (*in Tim.*) qui partes illas temporis Erat, & Erit, in divinam substantiam imprudenter transferunt. Dicimus de illa quidem Erat, & Erit; verum ei revera solum Est competit. Erat enim, & Erit ad generationem, quæ cum tempore labitur, referri oportet. Motus quippe sunt. Quod autem semper eodem modo se habet, neque vetustius, neque recentius esse potest; verum temporis æternitatem imitantis, & secundum numerum convoluti species istæ sunt. Platoni Magistro consonant Proclus, & Herenius supra adducti, quibus consentiens Plotinus vitam Dei infinitam esse ait, (*Enn. 3. lib. 7. cap. 4.*) quod tota simul consistat, nihilque amittat, quum nihil sit ei præteritum, nihil futurum, alias tota simul non esset. Et Plutarchus (*apud Delph.*) Est Deus, inquit, si ita loqui fas est, & est in nullo tempore, sed in æternitate immobili, & in declinabili, cujus nihil prius, nihil posterius, neque præteritum, neque futurum... Nam neque erat aliquando, nec erit, ut Numenius apud Eusebium ait (*lib. II. de præp. pag. 309.*) sed est solum in definito tempore, nimirum præsenti. Quibus similia Parmenides apud Ammonium, qui nihil ajebat (*in lib. de interpret.*) penes Deos esse, neque præteritum, neque futurum, quod utrumque sit non ens, quoniam alterum non amplius est, alterum nondum; alterum mutatum est, alterum mutabile. Quare in Diis, qui ad omnia rationem habent principii, præteritum, futurumve contemplari non possumus, sed omnia, quæ apud illos sunt, in uno Nunc, videlicet Æone consistunt. Quippe temporis mensuræ una cum universitatis existentia sese produnt, & sola metiuntur illa quæ subsistunt, & operantur in tempore. Eadem fuit & Sapientum Hebræorum sententia, teste Philone, (*in tract. de immut. Dei pag. 201.*) qui nihil apud Deum est futurum nihil prærerituum, qui temporis extrema sub se habet. Etenim non tempus, sed temporis Archetypon, & exemplar æternitas ejus vitæ est. In æternitate autem neque præteritum est, neque futurum, sed solum præsens.

9. Neque minor est hac in re Christianorum Scriptorum consensus, quorum primus Tertullianus. Non habet, inquit, (*1. cont. Marc. c. 8.*) tempus æternitas, quoniam ipsa est omne tempus. Tum Nazianzenus: (*orat. 38.*) Deus & Erat semper, & Est, & Erit, vel ut rectè loquar, semper Est. Nam Erat, & Erit nostri temporis, præte-

reun-

reuntisque naturæ segmenta sunt. Cui consonans Nyssenus: Æter-
na, inquit, (*lib. 1. cont. Eunom. pag. 98.*) illa & omnia, quæ sunt
complectens natura neque in loco est; neque in tempore; sed ante,
& super hæc ineffabili quadam ratione, neque sæculis circumscripta,
neque decurrens cum tempore, sed in se ipsa stans, neque cum præ-
terito, neque cum futuro consideratur. Et item: Illi autem sublimi,
& beatæ naturæ, cui omnia secundum præsens semper adsunt. &c.
Maximus vero, Æon inquit, (*in 5. de Divin. nomin. pag. 215.*) sive
æternum est, quod neque erat, nec erit, sed est tantummodo, hoc
stans esse obtinens, quod neque mutetur in Erit, neque mutatum
sit ab eo quod fuerat. Non enim solum ea, quæ sunt omnia præ-
sentia esse oportet Universo ac toti, sed etiam nihil ejus, quod
aliquando non fuit. Non enim Ei quicquam advenit, quod antea
non fuisset.... Æternitatem ergo licet dicere vitam infinitam, quo-
niam tota simul est, neque quidquam deperit præteritum, vel adest
futurum, alioqui tota simul non esset. Ex quibus Augustinus: (*lib.
II. Conf. cap. II.*) Quis cor humanum tenebit, & affiget illud, ut
stet, & videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus moti-
bus, qui simul extendi non possunt, longum fieri non posse? Non
tamen præterire quicquam in æterno, sed totum esse præsens....
(*tract. ad Ps. 101.*) Quis potest istam sapientiam dignè explicare,
qua novit Deus omnia, ita ut nec ea, quæ futura dicuntur, quasi
desint, expectentur, ut veniant; sed & præterita, & futura cum
præsentibus sint omnia præsentia? Nec singula cogitentur, & ab aliis
ad alia cogitanda transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sint
universa? Ex Aug. autem Gregor. Vitam nostram, inquit, (*lib. 9.
Mor. c. 26.*) quæ tempore incipitur, tempore finitur, dum intra si-
nus sui latitudinem format, æternitas devorat, cujus nimirum im-
mensitas, quia ultra, citraque supra nos tenditur, sine inchoatione,
ac termino æternum ejus esse dilatatur, eique nec transacta præte-
reunt, nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt....
(*Et lib. 20. c. 23.*) In illo enim nec præterita, nec futura reperiri
queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in se i-
psis simul existere non possunt, ibi omnia simul assistunt, nihilque
in illo præterit, quod transit, quia in ejus æternitate modo quodam
incomprehensibili, cuncta volumina sæculorum transeuntia manent,
currentia stant. Luculentissimè Petrus Damianus: Omnipotenti Deo,
inquit, (*Opusc. 36. cap. 8.*) non est heri, nec cras, sed hodie sem-
piternum, cui nihil defluit, nihil accedit... Illud hodie æternitas
est incommutabilis,... & omnia, quæ apud nos elabendo decur-
runt, & per temporum vicissitudines variant, apud Deum hodie
stant, & immobiliter perseverant. In illo, nimirum hodie, dies ille
ad—

adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem: in illo jam & ille nihilominus est, in quo per æterni judicii æquitatem est judicandus. Sicque ea in se transeuntia condidit, ut apud se quæ condita sunt, transire nequaquam possint. Nec tempus ibi defluit, quod apud nos foris per exteriora decurrit. Unde fit ut in ejus æternitate omnia fixa permaneant. Similia Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Anselmus, Bernardus, quorum omnium ore D. Thomas idem constanter, & apertissimè docet multis in locis, quæ mox opportunius attingemus. Nunc obiter nonnullæ difficultates sunt enodandæ, quæ ex præpostero Corollarii hujus intellectu proveniunt.

10. Nam primo: Res creatæ non semper existunt, essent enim æternæ; sed quod non semper existit, non potest alteri semper existenti coexistere, nam coexistentia est simultanea distinctorum existentia: ergo res creatæ nequeunt semper æternitati coexistere. Deinde: Si Antichristus ver. gr. est nunc physicè præsens æternitati, nunc physicè est, nam a restricto ad non restrictum valet consequentia; sed adhuc non est in esse productus: ergo est physicè, antequam fiat, & idem de præteritis fiet argumentum. Item: Nunc coexistit Deo carentia Antichristi; sed nunc coexistit Deo Antichristus: ergo res, & ejus carentia simul existunt, atque adeo potest idem simul esse, & non esse, ruitque notissimum Metaphysicæ principium. Præterea: Deus est futurorum præscius, ut ex Prophetis patet; sed præscientia est rerum nondum existentium scientia: ergo futura apud Deum nondum existunt. Ulterius: Res creatæ, & creandæ sunt syncathegorematicè infinitæ; ergo si earum collectio simul ponatur, erit actu infinita; sed omnes res creatæ, & creandæ per tempus infinitum nunc physice coexistunt Deo: existit igitur infinitum in actu. Ulterius: Sicut tempus metitur existentiam ejus, quod est physicè in tempore; ita æternitas existentiam, quæ est in æternitate; sed omnes res creatæ sunt præsentes æternitati: ergo æternitas omnium rerum creatarum existentiam metitur, atque adeo omnia æquè æterna erunt. Ad hæc: Contemporaneum est mihi, quod mecum physicè coexistit in tempore: ergo coæternum est Deo, quod Ei physicè coexistit in æternitate: res igitur creatæ erunt coæternæ Deo, quod supra improbatum est. Denique corollarium repugnat Patrum doctrinæ, & primo quidem Isidori ajentis: (*l. de Sum. Bono c. 1.*) Si tempora semper essent Deo præsentia, non essent tempora, sed æternitas, quia non mutarentur, sed starent. Et Augustini, apud quem (*libro 12. de Civit. & in tract. ad Ps. 101. c. 25.*) Res non erant antequam fierent. Ante autem dico, inquit, non tempore, sed æternitate: ergo res creatæ in æternitate non erant. Item: Eligit Deus, inquit, (*Serm. 26. de Verb. Apost.*

Apost. c. 4.) & habet electos non in natura sua, sed in præscientia sua. Et clarius alibi: (*lib. 5. de Gen. c. 18.*) Proinde res antequam fierent, erant, & non erant. Erant in Dei præscientia; non erant in sua natura; sed quod in propria natura non est, non existit physicè: ergo futura non sunt physicè æternitati præsentia. Consonant & aliorum Patrum sententiæ, qui futura, & præterita dicunt (*Catena Græc. in Ps.*) velut præsentia quasi existentia, quasi jam facta, quasi jam gerantur, tanquam si jam essent a Deo cognosci. Quæ quidem non physicam, sed solum objectivam, & intentionalem præsentiam videntur innuere.

11. Horum tamen omnium facilis est, ac pene eadem solutio. Ad I. enim explico majorem: Res creatæ non semper, id est, non in omni tempore existunt, concedo: non semper, id est, non in tota æternitate, nego. Quia æternitas tota est Nunc, quum res existit. Explico similiter minorem II. sed adhuc, id est, in hoc tempore, non est in esse productus, concedo; adhuc, id est, in hac æternitate, nego; quia idem est nunc æternitatis in quo res fit, & in quo res nondum fit, quum sit individuum quid, & totum simul. Eadem est ad III. solutio. Expono enim consequens: res, & ejus carentia existunt simul, id est in eodem tempore, nego, in eadem æternitate, concedo. Idem enim Nunc æternitatis, quæ tota est nunc, complectitur omne tempus, atque adeo tam illud, in quo Antichristus est, quam illud, in quo Antichristus non est. Ad IV. distinguo majorem. Deus est præscius futurorum, id est, cognitor eorum, quæ nobis futura sunt, concedo; quæ sibi futura sunt, nego. Et minorem: Præscientia in nobis est non existentium scientia, concedo; in Deo, nego. Deus ergo dicitur præscius, & præscire, sicut dicitur memor, & meminisse impropriè, & metaphoricè relatè ad nostrum modum concipiendi. Præscius enim dicitur, inquit Gregor., (*32. mor. cap. 6.*) qui unamquamque rem antequam eveniat, videt, & id quod futurum est, prius quam præsens fiat, prævidet. Deus autem, quomodo est præscius, quum nulla, nisi quæ futura sunt, præsciantur? Scimus autem quia Deo nihil est futurum, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt. Omne quippe quod nobis fuit, aut erit, in ejus prospectu præsto est, & omne quod presto est, sciri potest potius, quam præsciri .... Quomodo Deus præteritorum reminiscitur, quum illa, quæ in semetipsis prætereunt, ejus nutui semper præsentia assistant? ... Quia ergo ea quæ nobis futura sunt, videt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævidet, quod præsens videt. Est enim, ut Boetius loquitur, Deo semper æternus, ac præsentaneus status ... Itaque si præscientiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse

se præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius existimabis. Uterque ex Augustino ajente: (*Qu. 2. lib. 2. ad Simplic.*) Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes. Ac per hoc non jam præscientia, sed scientia dici potest. Quod autem Augustinus non de objectiva solum præsentia, sed de physica, & reali loquatur, patet ex ejus argumentatione. Nam præsentia intentionalis, & objectiva rerum non pugnat cum ratione præscientiæ, immo hoc est strictissimè prescire, habere intentionaliter præsens, quod physicè, & realiter in rerum natura nondum est. Patet item ex adjuncta ratione Augustini, quæ potentissima est. Subdit enim: (*Ib.*) Quod si, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud Deum nondum sunt, quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo: bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, alio modo secundum præsentium scientiam; aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum, & falsissimum est. Non enim potest, quæ futura præcognovit, nosse quum venerint, nisi bis innotescant, & præ cognoscendo antequam sint, & cognoscendo quum jam sunt.

12. Ad V. respondeo, sicut ad 3. existunt simul, id est, in eodem tempore, nego; simul in eadem æternitate, concedo. Simul autem temporis, & simul æternitatis, nec ejusdem, nec uni vocæ rationis sunt, sed æquivocæ, sicut simul temporis, & simul loci. Unde, ut Anselmus loquitur (*lib. de Concordia præscientiæ, & Gratiæ cum libero arbitr.*) sicut præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt, ita in æterno præsenti clauditur simul omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore . . . Habet enim æternitas suum simul, in quo sunt omnia quæ simul sunt loco, aut tempore, & quæ sunt in diversis tam locis, quam temporibus. Unde sicut quæ non possunt existere simul in eodem loco, existunt simul in eodem tempore, ita quæ non possunt simul existere in eodem tempore, existunt simul in eadem æternitate complectente omnes differentias temporum. Ad VI. nego majorem. Quamvis enim tempus non metiatur, nisi existentiam ejus, quod est in tempore, non tamen quodcumque tempus cujuscumque rei temporaneæ existentiam metitur. Mensuram enim propriam, ei quod metitur adæquari oportet. Determinatum ergo tempus non metitur nisi illud, quod ultra, & citra tale tempus existere nequit. Sic annus est mensura propria, & adæquata revolutionis Solaris, quia in anno nec plus quam una, nec minus quam una Solis revolutio contingit, aut potest contingere. Annus igitur non metitur omne illud quod est phy-

sicè

Digitized by Google

sicè in anno ; alias esset mensura omnis revolutionis Lunaris , aut
Eclypsis . Ita ergo nec æternitas metitur omne illud quod est in
æternitate. Dices tamen : Si Eclypsis esset in hoc anno , & per to-
tum annum , annus esset mensura propria , & adæquata hujus Ecly-
psis ; sed res creatæ sunt in æternitate , & per totam æternitatem ,
quum æternitas sit indivisibilis : ergo æternitas est propria , & adæ-
quata rerum creatarum mensura . Distinguo majorem argumenti : Si
Eclypsis existeret hoc anno , & per totum annum ; ita ut in toto
anno nec existeret , nec existere posset ejus carentia , annus esset
mensura &c. , concedo ; ita ut in toto anno simul existeret , aut pos-
set existere ejus carentia , nego . Instas : Si Ecclypsis existeret per to-
tum annum , in toto anno non posset existere ejus carentia : ergo si
quævis res creata existit per totam æternitatem , in tota æternitate
non poterit ejus carentia existere , atque adeo propria est , & adæ-
quata mensura cujusvis rei creatæ . Magnum est tamen discrimen . Si
enim Eclypsis per totum annum existeret , hic idem annus non pos-
set carentiæ Eclypsis coexistere , quia duratio Eclypsis , & annus
sunt mensuræ homogeneæ , sive ejusdem rationis , quum sit utrum-
que pars temporis ; æternitas autem quum non sit ejusdem rationis
cum tempore , potest tota coexistere tempori in quo res est , & to-
ta etiam coexistere tempori in quo res non est . Sicut quia mensuræ
loci , & temporis sunt diversæ rationis potest idem instans coexiste-
re loco in quo res est , & loco in quo res non est , & idem locus
coexistere instanti , in quo res est , & instanti , in quo res non est .
Responderi etiam potest concesso consequenti negando id quod sup-
ponitur ; nimirum , rem creatam quamvis per totam æternitatem exi-
stere . Insurges autem : Si tempus esset indivisibile , & totum simul ,
quidquid existit per tempus , existeret per totum tempus : ergo quum
æternitas tota simul , & indivisibilis sit , quidquid existit per æterni-
tatem , existit per totam æternitatem , ut supra argumentabamur . Ad
hoc respondetur concesso Enthymemate negando idem suppositum ,
nimirum rem aliquam creatam per æternitatem existere . Dicimus qui-
dem creaturas esse Deo in æternitate præsentes , & existere quidem
in , aut intra æternitatem , sed creaturas per æternitatem existere non
dicimus . Sicut enim Deus , quamvis existat in hoc tempore , & sit
physicè præsens huic tempori , non existit per tempus , quia non per
successivam durationem existit , ita licet res creatæ in æternitate exi-
stant , non tamen existunt per æternitatem , quia non per simulta-
neam durationem existunt . Atque hinc patet solutio ad VII. Nega-
tur enim antecedens . Nam quamvis Deus mecum existat in toto meo
tempore , quia tamen non existit per tempus , non dicitur mihi con-
temporaneus . Ita ergo quod existit in æternitate , si non per æterni-
tatem

Digitized by Google

tatem existit, non dicitur Deo coæternum, ut ex Aug., & Boetio supra dictum est. Pro his autem, & similibus argumentis notanda valdè sunt Anselmi verba (*Tract. de Concord. Præsc. Dei cum lib. arb. c. 5.*) Non dico aliquid nunquam esse in tempore, quod semper est in æternitate, sed tantum dico in aliquo tempore non esse. Non enim dico actionem meam crastinam nullo tempore esse, sed hodie tantum nego eam esse, quæ in æternitate semper est. Et quando negamus fuisse, vel futurum esse aliquid in æternitate, quod in tempore fuit, aut erit, non asserimus id quod fuit, aut erit, nullo modo ibi fuisse, sed tantum præterito, vel futuro modo dicimus ibi non esse, quod indesinenter ibi est suo præsenti modo.

13. Ad VIII., dicto Isidori non urgemur. Ly enim semper Isidorus accipit pro omni tempore. Non autem quodlibet momentum temporis est præsens Deo omni tempore, alias quælibet particula temporis esset totum tempus, sicut quodlibet nunc æternitatis est tota æternitas. Sicut autem negat omnia tempora esse Deo præsentia omni tempore, ita asserit omnia tempora esse Deo præsentia in æternitate. Omnia quippe tempora, inquit, (*In 1. Sentent. c. 8.*) præcedit æternitas, nec in Deo præteritum, præsens, vel futurum aliquid creditur, sed omnia præsentia in eo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur. Ex quo D. Th. (*1. p. q. 57. art. 3.*) Æternitas, quum sit simplex, toti tempori adest, ipsumque concludit... (*Et 1. cont. Gent. c. 66.*) Quicquid igitur in quacumque parte temporis agitur, coexistit æterno quasi præsens eidem, quamvis respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum. Æterno autem non potest aliquid coexistere, nisi toti, quia durationis successionem non habet. Quicquid ergo per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate quasi præsens intuetur, nec tamen quod in quacumque parte temporis agitur, semper, id est, in omni parte temporis fuit existens.

14. Jamvero Augustini verba, quæ priori in loco opponebantur, verissima sunt. Res enim neque in tempore, neque in æternitate erant antequam fierent, sed in æternitate indesinenter fiunt, indesinenter factæ sunt, unde perpetuo dicitur: hodie genui te; in tempore autem non ita evenit, quoniam tempus per successionem transit. Secundo autem loco allegata verba non urgent. Illud enim: in natura sua, dupliciter accipi potest. I. in natura ipsa Dei, & sic verissimum est Deum non habere in suamet natura, sive in se ipso Electos, aut rem quamvis creatam, nisi secundum rationes Ideales, eo modo quo & mens nostra intelligendo fit omnia, sive quo cognitum esse dicitur in cognoscente, & quo intellectus in actu est intellectum in actu. Dices vero: Quum Ideæ divinæ sint ipsa Es-

sen-

Digitized by Google

sentia, aut natura Dei, ut infra demonstratur, si Deus Electos habet in ideis suis, habet eos in natura sua, neque hoc Augustinus negare potuisset. Respondeo: Ideas in Deo, sicut in nobis, non se habere veluti objecta cognita, sed tanquam medium cognitionis: unde licet sint ipsamet Essentia Dei, repræsentant tamen res ab divina natura distinctas, & quas propterea Deus in seipso, sive in sua Essentia non habet, quum in se nihil habere possit a se distinctum, ut mox demonstrabitur. Si autem illud in natura sua referatur ad ipsas res creatas, ut sensus Augustini sit, Deum non habere in se electos secundum propriam eorum naturam, sic etiam verissima est, nec dictis contraria Augustini sententia. Res enim creatæ in Deo esse dicuntur multipliciter. Sunt enim I. in Deo sicut effectus in causa ratione omnipotentiæ, ut infra dicetur, & sic non sunt in Eo physicè, & formaliter, ut Scholæ loquuntur; sed eminenter solum, & virtualiter. II. Sunt in Deo sicut cognitum in cognoscente, ratione Scientiæ, de qua infra, & sic non sunt in Deo physicè, sed solum objectivè, & intentionaliter. Cognitum enim in cognoscente est, non secundum propriam naturam, sed secundum modum, & naturam cognoscentis, unde lapis materialis est in anima immaterialiter. Sunt item III. res creatæ in Deo tanquam in continente. In ipso enim vivimus movemur, & sumus (*Act. Ap. c. 17.*) & hoc quidem quum ratione immensitatis continentis omnem locum, tum ratione æternitatis continentis omne tempus. Duobus igitur prioribus modis res non sunt physicè, & secundum propriam substantiam in Deo. Quid autem inde? An ut dicatur creatura præsens Deo, opus est ut physicè, & secundum propriam naturam sit in Deo?

15. Ultimus vero Augustini locus pro nobis est, nedum contra nos. Disputat enim ibi Augustinus de duplici rerum existentia, alia objectiva solum in mente divina, alia physica, sive in propriis naturis, juxta quas duplicem distinguit rerum cognitionem, alteram matutinam, alteram vespertinam, ex quibus tanquam vespere, & mane factus est dies, id est, mens Angelica informata est ad plenam rerum notitiam. Vespertinam cognitionem successivam esse ait, & progredientem cum tempore, per quam res ab Angelo cognoscuntur, uti sunt in tempore secundum proprias naturas, & operationes; Matutinam simultaneam, & clariorem, per quam res antequam physicè existant, vident in Verbo, de qua loquens: Hæc igitur, inquit, (*l. 5. de Gen. c. 18.*) nimirum creata omnia, antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? Quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota quippe fecit; non facta cognovit. Proinde antequam (in tempore) fierent, erant, & non erant. Erant in Dei præscien-

aut

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

scientia, unde per species a Deo infusas poterant ab Angelo matutina cognitione cognosci; non erant in sua natura, unde non poterant in se ipsis ab Angelo, cujus cognitio mensuratur tempore, vespertina cognitione cognosci. Distinguo igitur Augustini verba: Erant in Dei præscientia, non erant in sua natura, relatè ad cognitionem Angelicam, quæ res antequam fierent, videre poterat in Verbo, & non in sua natura, concedo; relatè ad ipsum Deum, nego. Hunc autem germanum esse verborum Augustini sensum patet ex iis quæ mox subdit: (*Quæst. 2. Tom. 4.*) Ac per hoc factus est dies ille, nimirum mens Angelica cui utroque modo innotescerent, & in Deo, & in seipsis, illa veluti matutina, ac diurna cognitione; hæc vero veluti vespertina. Ipsi autem Deo (notentur hæc verba) Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, quum ea fecisset, quam illo quo ea noverat, ut faceret, apud quem non est transmutatio... Atqui non potest, quæ ventura præcognovit, nosse quum venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo quum jam sunt, atque adeo quin aliquid temporaliter accedat scientiæ Dei, quod absurdissimum, & falsissimum est, ut idem August. supr. citatus ad Simplicianum scripsit. Deus ergo non aliter novit facta, quam novit futura: ergo relatè ad ipsum Deum non sunt res aliter in sua præscientia, aliter in sua natura, neque præscientia proprie Dei illa cognitio dicenda est, ut idem alibi; atque adeo adducta verba, aut ad rem non faciunt, aut contra producentem potius militant.

16. Quod vero ultimum opponebatur de loquutionibus illis quasi, perinde, tanquam, velut &c. vim habet nullam. Non enim semper illæ particulæ vim, & proprietatem verbi, aut nominis subjecti negant, sed modum explicant, ut illud: Quasi unigeniti a Patre... (*Joan. c. 1.*) tamquam advenientis spiritus vehementis, (*Act. Ap. c. 2.*) & hujusmodi sexcenta. Unde ipse D. Thom. iis particulis utitur, qui tamen disertissimis verbis docet (*In 1. par. q. 14. art. 13. & 1. cont. Gent.*) omnia, quæ sunt in tempore esse Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes (id est, objectivè, aut intentionaliter) sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, ut sunt in sua præsentialitate. Et alibi: Quum Deus, inquit, uno æterno intuitu omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis simul præsentialiter videt, & non tantum, ut habentia esse in sua cognitione, (id est, præsentia solum objectiva). Nec tantum videt hanc rem respectu præcedentis temporis esse futuram, & respectu futuri præteritam, sed etiam videt illud tempus, in quo est præsens, & rem esse præsentem in hoc tempore. Pro aliorum solutione nota ex D. Thoma

res

Digitized by Google

res dupliciter dici posse præsentes Deo, quatenus nimirum eas intuetur vel in se ipso, vel in seipsis. In seipso quidem eas videt in Ideis suis, id est, in Essentia sua, & sic non sunt Deo physicè præsentes, sed solum objectivè, sicut omnis res cognita est in mente cognoscentis. In seipsis autem eas videt prout in hoc, aut illo tempore existentes, & tunc non videt eas ut futuras, aut præteritas, sed semper in propriis naturis præsentes ratione æternitatis. Item nota, quum de futuro, aut præterito aliquid de Deo dicitur, ut quos præscivit, & prædestinavit, & plura similia, aut quum dicitur prædefinire, prædeterminare, præordinare, præscire, prænoscere &c. loquutiones omnes esse improprias, & metaphoricas, idque fieri, ut Anselmus inquit, propter indigentiam verbi significantis æternam Dei præscientiam, operationem, voluntatem. Nihil enim Deus vult, operatur, aut scit, nisi in hoc nunc æternitatis, quod semper est præsens. In nostris autem loquutionibus, uti observat D. Thomas, (*l. 1. Cont. Gent. c. 67.*) medium quoddam accipitur inter divinam scientiam, & rem scitam; . . . respectu cujus, id quod a Deo scitum dicitur, est futurum; non est autem futurum respectu divinæ scientiæ . . . Quare si tempus loquutionis subtrahatur, non est dicere hoc esse cognitum quasi non existens, ut quæratur, an quod a Deo scitum, decretum, aut provisum est, possit non esse; sed sic cognitum diceretur a Deo, ut jam in sua essentia visum, quo posito non remanet prædictæ quæstioni locus, quia quod videtur esse, non potest quantum ad illud instans non esse. Deceptio igitur accidit ex hoc, quod tempus in quo loquimur, coexistit æternitati, & etiam tempus præteritum, quod designatur, quum dicitur, Deus scivit, &c. Unde habitudo temporis præteriti, vel futuri, & *præteriti*, vel præsentis ad futurum æternitati tribuitur, quæ ei omnino non competit, & ex hoc accidit secundum accidens falli. Hæc D. Thom. quæ maximè notanda sunt pro his argumentis, quæ contra creatam libertatemque fiunt, dum prædefinitio, prædestinatio, præscientia, & quodcumque divinæ voluntatis decretum, tanquam principium quoddam antecedens cum creata operatione connexum, & libertatis eversivum existimatur.

PROPOSITIO III.

Deus est omnino simplex.

1. SImplex dicitur quod est compositionis expers. Compositorum autem, & compositionum multa sunt genera, quæ ad duo commodè reduci possunt, physicum nempe, & Metaphysicum. Phy-

Physica compositio est triplex: ex materia & forma, ex substantia & accidente, & ex partibus integrantibus, sive homogeneis, ut in auro, & lapide, sive etherogeneis, seu dissimilibus, ut in humano; aut quocumque corpore organico. Porro ad Metaphysicam compositionem spectant illa, quæ ex genere, & differentia est, quæ ex Essentia, seu quidditate, & existentia, quæ ex natura, & individuatione, quæ ex natura, & subsistentia, quæ aliis etiam nominibus appellari solent. Nam mechanicam compositionem cum divina natura pugnare nemo non videt, eaque ad tertium physicæ compositionis genus reducitur. Et primo quidem simplicitatem divinam communibus quibusdam argumentis demonstrabimus, deinde de unoquoque præmissarum compositionum genere disseremus. Rationes autem, quibus id demonstrare conati sunt Philosophi, & Christiani Doctores solita sua claritate, & brevitate ad tria capita reducit D. Thom. (*7. de Pot. art. 1. 1. cont. Gent. 1 p. q. 3. art. 7.*) quorum primum tale est. Prior est simpliciter actus, quam potentia, nam quod est in potentia non reducitur ad actum, nisi per id, quod est in actu: illud ergo per quod reliqua omnia reducuntur ad actum, primus est, & purissimus actus; sed nihil compositum est purus actus, quia in omni composito vel pars est in potentia ad partem, vel partes ad totum: nihil ergo compositum est id per quod reliqua omnia reducuntur ad actum; sed Deus est primum Ens, per quod reliqua omnia reducuntur in esse, uti ostensum est: (*Prop. 1.*) Deus ergo nullo modo est compositus. Quo ex fonte argumentatus est etiam Plotinus, non ignobilis Platonicus: (*Enn. 5. lib. 4. c. 1.*) Si actus est aliquid perfectius substantia; id autem quod primum est, est perfectissimum, primum omnium oportet esse actum. At actus adjunctus substantiæ, quum sit de genere qualitatis, imperfectissimum quid est: primum ergo principium esset imperfectissimum: non est igitur in eo actus substantiæ, sive potentiæ superadditus: est ergo actus per se subsistens, & purus, atque adeo incompositus.

2. Secunda ratio est hujusmodi: Quæ suapte natura diversa sunt, non veniunt in compositionem unius, nisi ab aliquo conjungantur, & commisceantur: omne ergo compositum causam habet componentem, & quidem a se distinctam, quum nihil sui ipsius causa esse possit; sed primum quod est, causam habet nullam, alias non esset primum: Primum igitur Ens non est quid compositum. Quod ex eo confirmatur, quia omne compositum suis partibus componentibus est quodammodo posterius, ab iisque dependet; sed primum Ens nullo est posterius, neque ab ullo pendet, alias primum non erit: primum igitur quod est, est omnino simplex. Ex quo capite Justinus,

sive

Digitized by Google

sive quis est author quæstionum ad Orthodoxos: Qui neminem, inquit, (*quæst. 129.*) habet, qui se fecerit, aut composuerit, neque factus ils est, neque compositus . . . Compositus ergo Deus esse non potest, inquit Ambrosius, (*Tract. in Symb. c. 1.*) quum aliqua eo anteriora præextitisse putare nefas sit. Ex quo Faustus Rhegiensis: Deus ideo simplex, ait, (*ep. 5.*) quia nihil ei ex accidenti largitate collatum est. Qui enim ex se subsistit, aliunde nihil sumpsit. Quod & Alcinous tanquam Platonicum dogma statuit: (*cap. 1.*) Caret, inquit, partibus, quia nihil ipso anterius. Etenim pars, eo, cujus pars est, prior est. Illud ergo quod primum est, simplicissimum esse opportet, inquit Simplicius, (*in Ench. Epic.*) quoniam quidquid compositionem habet, aut multitudinem, uno posterius est. Quum ergo nihil ante principium cogitari possit, quod est apud Cyrillum Alexand. nequaquam potest illud esse compositum; quandoquidem composita ex quadam simplicium connexione, & concursu fiunt . . . Nusquam igitur in Deo est compositio, concludit Zachar. Mitylenæus, (*De Opif. Mund.*) neque ab ullo, siquidem rerum omnium principe nihil est prius.

3. Tertia D. Thomæ ratio est: Illud, a quo omnia perfecta sunt, oportet esse perfectissimum; sed illud a quo omnia sunt, seu primum Ens, est illud a quo omnia perfecta sunt, quum nihil ab eo non sit: ergo illud a quo sunt omnia, seu primum Ens oportet esse perfectissimum; sed nihil compositum est ex se perfectissimum, nam nec una pars habet perfectionem alterius, nec ulla perfectionem totius: ergo primum Ens compositum esse non potest. Minor subsumpta suadetur: Si enim una pars aliam non perficeret, aut ex earum commixtione nihil resultaret perfectius; frustra copularentur. (*1. p. q. 3. art. 2. 1. cont. gent. c. 17.*)

4. Quarto denique demonstratur propositum discurrendo per singula præmissarum compositionum genera. Et primo quidem non est in Deo compositio ex forma, & materia. Demonstratum est enim (*Prop. 1. n. 7.*) Deum esse omnino immobilem, & immutabilem; sed omne quod est aliquomodo in potentia, est mobile, quia motus est actus existentis in potentia quatenus talis: Deus ergo nullomodo est in potentia: est ergo purus actus; sed quod materia constat, non est purus actus, nam materia est Ens in potentia: Deus igitur materia non constat. Item: Unumquodque agit secundum quod est in actu; est autem unumquodque actu per formam: unumquodque igitur agit per formam: ergo quod est primo, & per se agens, est primo, & per se forma; Deus autem est primo, & per se agens, ut ostensum est: (*Prop. 1. n. 15.*) Deus igitur est primo, & per se forma: non ergo constat materia.

5. Se-

5. Secundo: non est in Deo compositio ex substantia, & accidente. Substantia enim, quæ est subjectum accidentis, est in potentia ad illud: Deus autem nullomodo est in potentia, ut probatum est: (*Supra n. 1.*) Deus igitur non est subjectum accidentis ullius. Item accidens est quod adest, & abest citra interitum subjecti: ergo omne susceptivum accidentis, qua tale est mutabile; Deus autem est omnino immutabilis per primam: ergo non est subjectum accidentis. Præterea: Unumquodque sicut natum est agere, quatenus est in actu, ita natum est pati, quatenus est in potentia; sed omne susceptivum accidentis est in potentia ad illud: ergo omne susceptivum accidentis patitur; quod autem patitur, mutatur; Deus autem est immutabilis: ergo nullum est in Deo accidens.

6. Neque item ulla esse potest in Deo compositio ex partibus integralibus, sive homogeneis, sive eterogeneis. Omne enim quod ex partibus integralibus quibusvis componitur, est quoddam continuum; continuum autem qua tale est in potentia, nam semper est divisibile in ea, quæ insunt; Deus autem nullo modo est in potentia: Deus igitur ex partibus integrantibus non componitur. Item: Si Deus est quoddam continuum, vel successivum, vel permanens; sed non primum, alias non esset æternus, contra id quod supra est demonstratum: (*Prop. 1. n. 1.*) nec secundum, quia omne continuum permanens est extensum in loco; extensio autem in loco est effectus quantitatis; quantitas autem vel est accidens, quod in Deo non esse demonstratum est, vel est ipsa materia, quam in Deo non esse demonstratum est: Deus igitur nullomodo est continuum, sive quod idem est, ex partibus integralibus non componitur: omnis ergo physicæ compositionis est expers.

7. Metaphysica etiam compositio omnis excluditur. Nam primo nulla est in Deo compositio ex quidditate, aut Essentia, & existentia. Si enim existentia Dei non est sua Essentia, vel est aliquid ab ipsa Essentia resultans, vel ab extrinseco adveniens; sed neutrum esse potest: ergo. Minoris prima pars ostenditur: Si existentia esset veluti passio, aut proprietas ex Essentia, aut quidditate resultans, Essentia esset sibimet principium existendi; sed principium existendi esse non potest, nisi existat, quia ex non existente nihil resultat, & non entis nullæ sunt proprietates: ergo quidditas ante existentiam supponeretur existens, quod absurdum est: Existentia igitur non est passio, aut proprietas ex quidditate, aut Essentia resultans. Sed neque est aliquid ab extrinseco adveniens divinæ Essentiæ, alias quicquam extrinsecum esset Deo principium existendi, quod est contra rationem primi Entis, & primæ causæ supra demonstratam. Item omne quod rei ab extrinseco advenit Essentiæ su-

pe-

Digitized by Google

peradditum, accidens est, quod a Deo exclusum manet. Præterea: illud a quo sunt omnia calida, est calidum per Essentiam: ergo illud a quo sunt omnia entia, est Ens per essentiam; sed omnia sunt a Deo: Deus ergo per suammet Essentiam est, sive existit. Deinde: Quandocumque causæ aliquæ præter proprios, & particulares effectus, aut operationes conveniunt in aliquo effectu communi, effectus ille communis in aliquam causam magis universalem referendus est. Si enim in singulis Planetis v. g. præter motus proprios, invenitur motus aliquis Cosmicus, & omnibus communis ab ortu in occasum, sive diurnus, motus ille non cuicumque Planetæ, sed alii causæ assignandus est, a qua in omnes derivetur. Similiter si ferrum, & lapis præter effectus, & qualitates proprias conveniunt in vi contripeta, aut motu quo feruntur deorsum, motus hic causam magis universalem postulat, quam sit natura ferri, aut lapidis; sed omnes causæ creatæ præter effectus proprios, conveniunt in uno effectu communi, nimirum dare esse, aut existentiam: ergo oportet causam esse aliquam superiorem omnibus, cujus virtute omnia operantur ad esse, & cujus effectus proprius, & singularis est ipsum esse, & hæc universalis causa, cujus virtute omnia operantur, Deus est. Nunc sic: Omne agens intendit, & conatur communicare effectui suam formam, seu naturam, unde in unoquoque seu composito, seu simplici agente principium operandi est forma; sed Esse est proprius effectus causæ primæ, & universalis, quæ Deus est: ergo Esse est ipsamet forma causæ primæ, sive de natura ipsius: nulla ergo est in Deo compositio ex natura, & esse, sive ex Essentia, & Existentia.

8. Nec est in Deo compositio ex individuatione, & natura. Individuatio enim addit aliquid supra naturam communem speciei, in iis, quæ materia constant, & forma, in quibus materia est individuationis principium. Forma enim non est hæc, nisi quia recipitur in materia his, aut illis accidentibus signata, ut in Metaphysicis demonstratur, formæ autem simplices, & quæ non sunt natæ recipi in materia per se ipsas individuantur; sed Deus materia non constat, sed est forma simplex, & actus merus, ut ostensum est; ergo in Deo individuatio nihil addit supra naturam.

9. Hinc vero nulla est in Deo compositio ex natura, & subsistentia. Quia suppositum non est nisi alicujus naturæ individua substantia, quæ in natura rationali dicitur persona: ergo si individuatio nihil addit supra naturam, neque subsistentia.

10. Denique nulla est in Deo compositio ex genere, & differentia. Genus enim contrahitur, & determinatur per differentiam, sicut materia per formam: ergo genus est in potentia ad differentiam, sicut

Digitized by Google

sicut materia ad formam; in Deo autem nihil est in potentia, ut ostensum est: non est igitur in Deo genus. Item genus sumitur a materia, quæ in Deo non est. Item: differentia est eorum, quæ in aliquo conveniunt. Quæ enim in nullo genere conveniunt, non differunt, sed diversa sunt; Deus autem cum aliis extra se in nullo convenit, ut in Metaphysicis demonstratur: in Deo igitur non est differentia. Præterea: Genus prædicatur de re, in quod quid est tanquam pars materialis Essentiæ; sed pars materialis determinatur ad esse per partem formalem, sicut materia per formam: ergo genus determinatur ad esse per differentiam: ergo ipsum esse non est de ratione generis. In quocumque ergo invenitur genus, invenitur compositio ex quidditate, & esse, sive ex essentia, & existentia; sed hæc compositio non est in Deo, ut ostensum est: ergo in Deo non est genus. Ulterius: Quidditas Dei est ipsum esse, ut ostensum est; ergo si Deus est in aliquo genere, genus ipsius, erit ipsum Esse, nam genus est quod quid est rei; sed ipsum Esse, sive ratio Entis non potest esse genus, ut ostenditur in 3. Metaph. quia omne genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis; nulla autem differentia potest inveniri extra ens, quia non ens non potest esse differentia. Unde relinquitur Deum non esse in aliquo genere, & quum nulla sit reliqua compositionis species, patet, Deum esse omnino simplicem, sive totius compositionis expertem, quod erat propositum.

11. Ex his ergo explosus manet error quorumdam veterum, qui Deum esse animam primi cœli, aut animam mundi opinati sunt e secta Pythagoræ. Patet item in Deo nullam esse sexuum diversitatem, neque omnino corpus ullum, ut videtur nonnullis voluisse Tertullianus, & Antropomorphitæ, de quibus alibi. Neque materiam aliquid divinum esse, neque mundum, ut ex antiquis David de Dinando, & ex recentioribus fabulatus est Spinosa. Item in Deo neque genus esse ullum, neque differentiam, nec speciem, nec individuum, ut Clemens Alexandrinus inquit. (*5. Strom.*) Item nullam Dei definitionem esse, neque demonstrationem a priori, seu propter quid. Definitio enim ex genere constat, ac differentia, & demonstrationis est medium. (*1. p. q. 3. a 5.*) Quare mirari satis non possum Theologos illos, qui Essentiam Dei Metaphysicam, & Physicam distinguunt: & de utraque longas disputationes intexunt, quæstiones innectentes quæstionibus, & prædicata in Deo primaria, ac veluti cæterorum radices assignant genus, differentiam, proprietatumque originem investigant, nimis angustè, atque humanitus divina tractantes.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM.

12. Deus in compositionem rei alicujus venire non potest. Pars siquidem est in potentia ad totum, quod ex ea componitur; Deus autem nullo modo est in potentia: pars ergo compositi alicujus esse nequit. Item: Quidditas partis est aliquid quidditatis totius; sed quidditas Dei est ipsum esse: ergo alicujus creati quidditas esset ipsum esse; sed illud cujus quidditas est ipsum esse, est ens per essentiam: aliquid ergo creatum esset Ens per Essentiam, essetque Deus, quod absurdum est.

PROPOSITIO IV.

Deus perfectissimus est.

1. PErfecti porro nomen; si quidem vocis ipsius significatio attendatur, Deo non convenit, ut notavit D.Thom. (*1. cont. Gent. c. 28.*) De consummatione enim alicujus facti, dicitur perfectio ait Isidorus, (*l. 1. Sentent.*) Deus autem, qui factus non est, qnomodo est perfectus? Sed hunc sermonem de nostro sumit humana inopia, ut id quod ineffabile est, utcumque dici possit, quæ fere sunt etiam Gregorii verba, (*32. Mor. c. 11.*) ut hinc obiter pateat, D. Thomam, etiam non citatis Patribus, eorum fere semper sententiis, ac verbis de rebus divinis esse loquutum. In eo ergo sensu perfectum dicitur, quod est omnino factum, vel consummatum, ac numeris suis omnibus absolutum. Perfecti autem notio metaphysica ab re facta, & infecta prescindit, idque perfectum dicitur cui nihil deest ad sui complementum, sive secundum quid, ut perfectus homo, sive simpliciter in omni genere, qualem Deum, & solum Deum esse sic demonstratur: Unumquodque perfectum est, quatenus est actu, imperfectum vero quatenus est in potentia cum privatione actus; Deus autem nullo modo est in potentia, uti dictum est: ergo nullo modo est imperfectus. Item: Omnis imperfectio quidam defectus, seu privatio est; nullus autem defectus, seu privatio inest rei secundum quod est, secundum quod est, sed secundum quod non est: omnis ergo imperfectio est quoddam non esse; Sed ei quod est ipsum esse, non potest conjungi, & commisceri non esse: ergo id quod est ipsum Esse est omnino perfectum; Deus autem est ipsum esse, ut ostensum est: est ergo perfectissimus. Hæc eadem ratio a paritate declaratur: Licet enim ei quod in se habet calorem, possit aliquid frigiditatis commisceri, atque ita a perfectione caloris deficere, at-

Digitized by Google

attamen calori ipsi, si per se in rebus separatim a subjecto subsisteret, frigiditas commisceri nullo modo posset, ut a perfecti ratione deficeret: ergo licet ei quod habet esse, possit commisceri aliquo modo non esse, & ab entis perfectione deficere; ei tamen quod est ipsum Esse subsistens, nulla decessio fieri potest, per quam ab entis perfectione deficiat; Deus autem est ipsum Esse subsistens: est ergo perfectissimus. Præterea: Magis, aut minus calidum non dicitur aliquid, nisi per accessum, vel recessum a summè calido: ergo magis, aut minus perfectum non est aliquid, nisi per accessum, aut recessum a summè perfecto, sed in rebus sunt aliis aliæ perfectiores: ergo est aliquod Ens perfectissimum, per accessum, aut recessum a quo tales dicuntur.

2. Confirmarique id potest ex communi Sapientum, immo & Gentium omnium consensu. Siquidem talem esse Deum certa animi notione præsentire nos, inquit Tullius, (*1. de nat. Deor.*) primum ut sit animans (id est vivens) deinde ut in omni natura nihil sit eo præstantius. Sextus vero Empyricus communem hanc, & anticipatam de Deo notionem omnes homines habere ait, (*1. adv. Mathem.*) ut sit beatum quoddam animans, corruptionis expers, in sua felicitate perfectum, & nullius mali capax. Et item: Quod perfectum, quod optimum, & homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus, ac totius mali expers, id Deum dicimus. Quod etiam inter communia Philosophorum placita totidem pœne verbis habet Plutarchus. (*de plat. Phil. c. 7.*) Ex quibus Augustinus in libr. de Doct. Christiana. Quum ille cogitatur, inquit, (*cap. 6.*) Deorum Deus, etiam ab iis, qui plures suspicantur, & vocant Deos, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, illa cogitatio conetur attingere... Nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius est aliquid. Itaque hoc omnes Deum esse consentiunt, quod cæteris rebus omnibus anteponitur.

COROLLARIUM I.

3. Deus igitur omnium creatarum rerum perfectionem in se præ habet. Est enim prima omnium causa, uti dictum est. Causa autem vel univoca est, vel æquivoca. Causa univoca est, quæ effectum sibi similem, & ejusdem speciei pro ducit, ut homo hominem, & ignis ignem. Æquivoca effectum sibi dissimilem gignit, & diversæ rationis, nunquam vero se nobiliorem. Prima dicitur continere effectum formaliter, quia quam habet formam, effectui tribuit: secunda eminenter, quia in eminentiori, & excellentiori sua forma inferiorem continet. Utraque ergo causa, atque adeo omnis causa, for-

Digitized by Google

mam; aut naturam, quam effectui largitur, præhabet. Nemo enim dat quod aut in se, aut in æquivalenti non habet; Deus ergo per eminentiam quandam, & superexcellentiam suæ naturæ omnium creatarum rerum perfectionem in se præhabet, & quæ divisa beatas

Efficiunt, collecta tenet.

COROLLARIUM II.

1. Contr. Gent. Cap. 38.

4. Deus summè bonus, sive optimus est, & ipsa Bonitas. Unumquodque enim bonum dicitur quatenus est in suo genere perfectum: Deus autem est simpliciter in omni linea, ac ratione perfectus, ut supra. Est igitur optimus. Nec solum optimus, & perfectissimus Deus est, sed ipsamet perfecti, & Boni ratio, sive ipsamet perfectio, & ipsa bonitas. Bonum enim, & perfectum aliquid dicitur secundum id quod est, & eo modo, ac ratione qua est; Sed Deus non solum est, sed est ipsum Esse subsistens: ergo non solum bonus est, sed ipsamet Bonitas subsistens, & sic de reliquis, quæ de divina natura per modum concretionis prædicantur, in quo sensu nonnulla quæ rebus creatis communia sunt quodammodo, tamen Deo soli tribuuntur, ut quum dicitur solus potens beatus, qui solus habet immortalitatem... Nemo bonus, nisi solus Deus.

COROLLARIUM III.

1. Contr. Gent. Cap. 39.

5. Malum in Deo esse non potest. Licet enim id quod est bonum, possit esse subjectum mali, tamen ipsa bonitas, seu forma boni subjectum mali esse non potest, ut supra argumentabamur; Deus autem est ipsa Bonitas, sive forma Boni: malum ergo in Deo esse non potest. Item: Si in Deo aliquod esset malum, vel in malum esset ab alio inductus, vel ex propria natura ei subjectus; sed neutrum dici potest: ergo. Prima minoris pars patet. Si enim malum esset in Deo per participationem, quicquam a Deo distinctum in Deum ageret, vel quocumque modo influeret: Deus ergo neque primum Ens esset, neque immutabile prorsus, contra id quod supra est demonstratum. (*1. & 2. prop.*) Esset ergo malum in Deo per naturam, vel essentiam, quod erat secundum; sed malum non potest esse alicui rei essentiale: ergo. Probatio mediæ. Malum est privatio

Digitized by Google

vatio boni: ergo cui esset naturale, aut essentiale malum, esset essentialis privatio boni; sed esse est quoddam bonum: ergo id cui esset essentiale malum, esse non posset: non entis autem nullæ sunt proprietates: ergo malum rei alicui essentiale esse non potest: Deo maximè cujus quidditas est ipsum esse. Præterea: Bonum dicitur aliquid secundum quod est perfectum: ergo malum secundum quod est imperfectum; Deus autem est perfectissimus, ut supra: ergo &c. Ulterius: Perfectum dicitur aliquid secundum quod est actu: ergo imperfectum quatenus ab actu deficit; omnis autem defectus vel privatio est, vel ipsam includit; privationis autem, sicut habitus subjectum est potentia; Deus vero nullo modo est in potentia, uti ostensum est: (*Prop.* 3.) Deus igitur subjectum mali esse non potest. Deinde: Bonum est objectum appetitus: ergo malum fugæ; quod autem natura refugit, est ei violentum; violentum autem in Deo esse non potest, nam violentum est, cujus principium est extra; nihil autem extra Deum potest in Deum agere, alioqui neque primum ens esset, neque immutabile. (*Prop.* 1. & 3.) Malum igitur nullum in Deo esse potest. Atque hinc obiter confutatur error Marcionis, & Manichæorum duo principia rerum stabilientium, alterum bonorum bonum, alterum malorum suapte natura malum, tum etiam quæ de mali origine, & natura commenti sunt Philosophi nonnulli antiqui, & recentiores, quos contra alibi etiam disputabitur.

PROPOSITIO V.

Deus unus est.

1. p. q. 11. a 3. 1. Cont. Gentes Cap. 42.

1. SI enim plures Dii sunt, aut numero, aut specie distinguuntur; sed neutro modo: unus est igitur Deus. Prima pars minoris ostenditur. Nam distinctionis numericæ principium est materia, ut in Metaphysicis demonstratur; materia autem Deus non constat, ut ostensum est: (*prop.* 3.) non sunt ergo Dii plures solo numero distincti. Secunda pars ejusdem minoris probatur: Species sunt sicut numeri, qui per additionem, aut substractionem variantur: si ergo sint plures species Deorum, aliquid inerit uni, quod non inerit alteri; sed omne quod in Deo est, est perfectio, quum imperfectio in eum cadere non possit, ut ostensum est: (*prop.* 4.) ergo aliqua perfectio inerit uni Deo, quæ non inerit alteri: quivis ergo eorum non erit perfectissimus, quod est contra rationem Divinitatis. Deinde: Si plures sunt Dii, sive specie, sive numero differentes, oportet ut sit natura communis omnibus, per quam conveniant, & plures naturæ singulis propriæ,

per

Digitized by Google

per quas differant: ergo nullus eorum erit simplex, sed ex communi natura, & proprietate compositus, ut Marsilius Ficinus argumentatur, atque eodem ex capite Richardus de S. Victore (*in 4. de Trinitat. cap. 6.*) Longè autem utroque clarius, & urgentius D. Thomas hunc in modum (*1. p. q. 11. art. 3.*) Illud unde aliquid est singulare, & hoc aliquid, non potest alteri convenire. Licet enim illud unde Sortes est homo, possit esse alteri commune; non vero illud, unde Sortes est hic homo. Si ergo Sortes per id esset homo, per quod est hic homo, non possent esse plures homines, sicut non possunt esse plures Sortes; Deus autem per id est Deus per quod est hic Deus, quum non sit in eo compositio ex quidditate, & individuatione, ut probatum manet: (*Prop. 3.*) non sunt igitur plures Dii.

2. Item: Si plures essent Dii, aut hoc nomen de iis univocè, aut æquivocè prædicaretur. Hoc autem secundum non est ad rem, nam æquivocè quodlibet quolibet nomine appellari potest, sicut Gallus dicitur de homine, & Ave, & sicut Dii in Scripturis appellantur homines, atque Idola, quum dicitur: (*Psal. 81.*) Ego dixi: Dii estis . . . Ubi sunt Dii eorum? (*Deut. c. 32.*) Quod si univocè: ergo natura per illud nomen significata in eis est eadem: vel ergo eadem secundum unum esse, vel secundum aliud, & aliud. Si primum, non erunt plures, sed idem, nam eadem sunt, quorum esse est unum. Si secundum: ergo nullus eorum erit suum esse; sed Esse in eis erit quoddam naturæ superadditum; Deus autem est suum esse, ut ostensum est: (*Prop. 3.*) ergo nullus eorum Deus erit. Hac argumentatione usus est Boetius, quum (*in lib. de Trinitat. Prosa 1. tum in 3. de Consol.*) Eandemque adhibuit Richardus Victorinus inquiens: Divinitas ipsa non est aliud, quam ipse Deus . . . Si ergo Divinitas communis fuerit, communis erit & substantia illa, quæ non est aliud, quam ipsa Divinitas (nimirum ipsum Esse Dei): sed substantia una, id est, unum esse, non potest esse communis pluribus substantiis, alioqui una, atque eadem essent plures, & plures una: nequit igitur esse communis pluribus Divinitas. Ulterius: Deus est summum bonum, ut ostensum est: (*Prop. 4.*) summum autem in unoquoque genere nequit esse, nisi unum. Duo enim summa bona quomodo consistent, quum hoc sit summum, non habere parem? ut Tertullianus inquit. (*Contra Marcionem præsertim l. 1. c. 3.*) Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, possunt esse diversa, ut concludit Boetius. (*Prosa 10. l. 3. de Consol. Philosoph.*) Eadem est argumentatio Sallustii Philosophi, & Novatiani, Anselmi quoque, & Abaelardi, Lactantii, & Prudentii apud Petavium. (*libro 6.*) Disertius autem his omnibus Marsilius Ficinus: Si enim, ait,

ait, duæ summæ luces sunt, utraque in eo quod summa lux est; convenit, atque est unum. Quod si duo quædam sunt, per aliud potius, quam per lucis naturam differunt. Itaque summum in quovis genere & unum est solummodo, & unius duntaxat illius naturæ, in qua summum est. Puta: summa lux una est, & non duæ luces, & lux solum est, non lux simul, & aliud quicquam. Summum autem rerum omnium est Deus: unus ergo, & simplex Deus est. Tum de Bonitate sic disputat. Summa bonitas, quidquid boni usquam reperitur, complectitur: ergo si duas bonitates induxeris summas, quidquid bonum in una est, est & in altera, alioqui neutra summa erit: ergo secundum boni ipsius naturam unum sunt, & non duo; sed neque est aliud illis admixtum præter bonitatis naturam, alioqui quævis si non esset purum bonum, non esset bonum summum: omnia ergo summa bona, unum sunt.

3. Amplius: Deus per se necessario est, ut probatum manet; (*Pr. 1.*) Sed quod per se necessarium est esse, non potest esse nisi unum: Deus igitur unus est. Minor probatur: Si duo sint per se necessaria, hæc non differunt in necessitate existendi, ut patet, quum utrumque necessario existat: vel ergo illud in quo differunt, confert aliquid ad necessitatem exiſtendi, vel nihil? Si nihil confert, est ergo accidens, si accidens, habet causam. Vel ergo causa illius est ipsa Essentia utriusque, id est, ipsa necessitas existendi, vel aliud? Si primum: ergo quum necessitas existendi sit in utroque, utrumque habebit illud accidens, atque adeo secundum illud non differunt. Si autem aliud est causa illius accidentis: ergo illud accidens dependet ab alio; sed si tale accidens non esset, nulla esset distinctio; si autem nulla esset distinctio, non esset proprium esse utriusque: ergo proprium esse utriusque dependet ab alio; sed illud cujus proprium esse dependet ab alio, non est per se necesse esse, ut ex terminis patet: ergo quod ponebatur per se necesse esse, non est per se necesse esse, quod contradictionem involvit. Si autem illud in quo differunt, non est accidens, sed requiritur ad necessitatem existendi, vel includitur in ratione illius, sicut vivens in definitione animalis, vel completur in actu per illud, sicut animal per rationale. Si primum: ergo quum necessitas existendi inveniatur in utroque, etiam illud, in quo differunt, in utroque invenietur, quod esse non potest. Si secundum: ergo necessitas existendi completur in actu per aliquid, quod est extra rationem ipsius; sed in eo quod est per se necesse esse, sua ratio, vel sua quidditas est suum esse, ut ostensum est; sua autem quidditas, aut ratio est ipsa necessitas existendi: ergo necessitas existendi completur in actu esse per aliquid, quod est extra necessitatem existendi, quod absurdum est.

4. Item:

Digitized by Google

4. Item: res quælibet secundum id quod est, & eo modo quo est, una est, unde unum ponitur proprietas entis; sed Deus est maxime ens: ergo est maximè unus. Deinde: In his quæ non sunt ab uno aliquo, nec unum ab alio, nullus est ordo, neque aliqua determinati numeri ratio reddi potest, sed in multitudine Deorum nullus ab alio, nec omnes ab uno aliquo essent: ergo si non unus est Deus, erit multitudo Deorum infinita, ut argumentatur contra Marcionem Tertullianus, (*Cap. 5.*), & ex eo Abaelardus, (*3. Introduct. Theolog.*) unde & illud Maximi: (*Ad Cap. 4. de Divinis Nomin.*) principia rerum si plura sunt, infinita fore. Denique ex partium mundi concordia, nexu, atque ordine unum Deum esse demonstrarunt plerique Veterum, ex quibus sic D. Thom. (*1. p. q. 11. a. 3.*) Omnia, quæ in rebus sunt, aliquem inter se ordinem servant; sed quæ diversa sunt natura, inclinatione, operatione in unum ordinem non conspirant, nisi ab aliquo ordinentur; plura autem in unum ordinem per se melius rediguntur ab uno, quam a multis, quia unius per se una causa est, multa autem non sunt causa unius, nisi per accidens, ut in rebus naturalibus manifestum est: primum ergo, a quo omnia in ordinem rediguntur, oportet esse unum: Deus autem est primum illud, unde omnia in ordinem unum rediguntur: Deus igitur unus est. Huc illud reducitur, unde alii Deorum multiplicitatem impugnant: Vel Dii plures æqualis essent virtutis, potentiæ, sapientiæ &c., vel non? Si primum quilibet esset superfluus. Si secundum, nullus eorum esset Deus. Urgent hoc argumentum egregiè Athanasius, Edmundus Cantuariensis, & Lactantius apud citatum Petavium.

5. Jamvero Sapientum omnium consensu eadem firmatur propositio. Siquidem Pythagoras, & ipsum sequutus Plato, causam omnium, quæ in mundo sunt, in supremum quemdam artificem retulerunt. Aristoteles primi motoris immobilis existentiam constantissimè docuit. Orpheus inter alia, illud de Deo præclare cecinit in cunctis unum esse. Fertur & illud:

Unicus est a se existens, qui cuncta gubernat.

Sive autem ille verus fuerit, sive suppositititius Orpheus, certe satis antiquus author est, quod ad rem nostram sufficit. Orpheus enim, sive verus, sive spurius, non aliud nobis quam quidam Græcus Poeta est. Similia Aratus, Hesiodusque, & Homerus, qui Jovem passim Deorum, hominumque Patrem appellat. Disertissimè autem omnium Sophocles, cujus ii feruntur senarii pulcherrimi apud Justinum, Athenagoram, Clement. Alex., Cyrillumque, & Eusebium Petavio interprete: (*T. I. L. I. C. 3.*).

Nam & quum jurant, inquit Lactantius, (*L. 1. Cap. 5. & in l. de ira dei Cap. 6.*) & quum optant, & quum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant: Adeo ipsa veritas ab invitis etiam pectoribus erumpit. Et hoc quidem in prosperis rebus non faciunt; at si qua gravis presserit necessitas, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis ingruerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando incubuerit, ad Deum confugitur, Deus ut subveniat oratur . . . Deum igitur unum esse, & ubique totum communis indicat mentis humanæ ratio, quando omnes naturali quodam instinctu clamant, in unoquoque nostrum esse Deum, adeo ut unus in omnibus, idemque esse dicatur Deus, ut rectè argumentatur Plotinus. (*Enn. 9. l. 5. c. 1.*)

PROPOSITIO VI.

Deus est simpliciter infinitus.

1. INfinitum porro dicitur aliquid aut per privationem, aut per negationem. Per privationem infinitum dicitur, quod nondum finitum est, atque absolutum, sive de eo, quod natum est habere terminum, aut finem, quem non habet: in quo sensu omne infinitum qua tale, imperfectum esse dixit Aristoteles (*3. Phys.*) Per negationem infinitum dicitur, quod natum non est habere terminum, aut limitem, in qua acceptione Deum esse simpliciter, in omni scilicet perfectionis linea infinitum, sic demonstratur: Omne finitum est ad aliquam generis rationem determinatum: si ergo Deus finitus est, erit sub aliquo genere contentus, contra id quod supra est demonstratum. (*Prop. 3.*) Antecedens liquet. Quod enim finitum est, non continet omnium generum perfectionem: ergo est ad aliquod perfectionis genus determinatum. Item quod non est purus actus, terminum suæ perfectionis habet: quod est actus purus, est illimitatæ perfectionis; Deum autem purum actum esse supra ostensum est: ergo. Primum antecedens patet; nam omne quod non est purus actus, est aliquo modo in potentia; sed omne quod est in potentia, caret eo, ad quod in potentia est, nihil enim est in potentia ad id, quod ex natura sua habet: quod autem aliquo actu, aut perfectione caret, est limitatæ perfectionis; ergo omne quod non est purus actus, limitatæ perfectionis est. Ad hæc: Si calor, aut albedo esset forma per se subsistens, nihil ei deesse posset in ratione sui generis, unde esset summus calor, & purus, pura, & summa albedo; sed Deus est ipsum Esse subsistens, ut

Digitized by Google

ut ostensum est: (*Prop. 3.*) ergo nihil ei deesse potest in ratione Entis; sed ratio Entis est ab rebus infinitis, & infinitis modis participabilis: ergo infinitas perfectiones Deus, uti prima rerum omnium causa per excellentiam suæ naturæ præcontinet: est igitur infinitus.

2. Præterea: In rebus invenitur pura potentia, nimirum materia, & purus actus, nempe Deus, itemque composita ex actu, & potentia, ut omnia reliqua. Sicut autem quod est ignis in potentia, non est perfectius igne in actu, ita quod est simpliciter in potentia non est perfectius, eo quod est simpliciter in actu; sed materia in sua potentialitate est infinita; solum enim quod non est, est imperfectius materia: ergo Deus in sua actualitate est infinitus. Ulterius: menti humanæ inest conatus quidam apprehendendi infinitum, cujus signum est, quod qualibet multitudine, magnitudine, aut perfectione data, majorem aliam, si potest, invenire, aut excogitare conatur; sed hic conatus frustra esset, nisi esset aliquod intelligibile infinitum; conatus autem naturalis frustra esse non potest: est ergo aliquod intelligibile infinitum, quod mens nostra per suam operationem conatur attingere; sed hoc non potest esse, nisi Deus: est ergo Deus infinitus. Hanc vero rationem non demonstrativam, sed persuasivam duntaxat putavit Ferrariensis, quam ideo forte hac alia fulcivit D. Thom. (*1. contra Gent. cap. 43.*) Effectus quum esse debeat similis causæ, non potest ultra suas causas perfectionem extendi; sed mens humana tam secundum esse physicum, quam secundum esse intentionale, aut intelligibile est effectus Dei, quum sit Deus prima omnium causa, ut ostensum est: (*Propos. 1.*) ergo sicut per suam virtutem operativam non potest producere aliquid majus Deo, ita per suam virtutem intellectivam non potest cogitare aliquid majus Deo; sed quocumque finito dato potest humana mens majus aliquid excogitare: Deus ergo, quo majus cogitare mens nostra non potest, est quid infinitum.

COROLLARIUM I.

3. Hinc patet nihil præter Deum esse posse simpliciter, vel per propriam essentiam infinitum. Simpliciter quidem, quia non distingueretur a Deo; per essentiam autem, quia non esset factum a Deo. An vero χρισι, sive secundum quid, ut dicitur, aliquid possit esse actu infinitum ad physicam magis, quam ad theologicam considerationem pertinet.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM II.

4. Divina omnia prædicata sese mutuo transcendunt atque includunt. Quamvis enim ratio Sapientiæ v. g. non sit ratio æternitatis, tamen infinita Sapientia includit in sui ratione æternitatem, & immensitatem, & independentiam, & omnipotentiam, & omnia reliqua, quæ possunt de Deo prædicari. Nam quomodo esset infinita Sapientia, nisi omnia quæ in quovis tempore, in quovis loco fiunt, eodem semper modo cognosceret. Quomodo, aut a quo posset infinita Sapientia fieri? Qui omnia noscet, nisi omnia posset? Omnia igitur prædicata in Deo sunt æquè primaria, æquè essentialia. Quum ergo alia extra alia, alia ab aliis derivata concipimus, non divina, sed creata, non infinita, sed finita, & circumscripta cogitamus.

PROPOSITIO VII.

Deus est intelligens.

INtelligere dico id quod est intus legere, sive res intra se ipsum cernere, atque habere præsentes.

1. Demonstratur propositio I. Deus excellentiori modo in se præhabet quidquid perfectionis est in rebus quibuscumque, ut supra ostensum est: (*Prop. 4.*) sed maxima perfectionum, quæ in rerum natura invenitur, est facultas, aut vis intellectiva: est igitur Deus intelligens. Hic tamen argumentandi modus non tenet, nisi de simplici perfectione loquendo. Perfectionem porrò simplicem eam voco, quæ in sui ratione defectum, aut imperfectionem nullam importat, ut æternitas, bonitas, sapientia, veritas &c. Quæ vero nomina has perfectiones designant cum ea imperfectione, quæ in creaturis invenitur, de Deo dici non possunt, nisi per quandam metaphoram; quæ vero hujusmodi perfectiones significant cum addito aliquo supereminentiori, solum de Deo dicuntur, uti prima substantia, ipsa vita, summa bonitas. Dico autem aliqua nomina perfectionem meram, ac simplicem, sive absque defectu significare, attenta re significata, quæ est v. g. sapientia, æternitas &c. In modo enim significandi omne nomen ab hominibus impositum, atque ad divina translatum, cum defectu est. In rebus enim sensibilibus, ex quibus nostra cognitio, atque adeo loquutio derivatur, res subsistentes, quas nominibus concretis significamus, non sunt simplices; res autem simplices, quas nominibus abstractis significamus, ut sapientia, bonitas, non sunt subsistentes. Et sic in omni nomine a nobis imposito, quod ad modum atti-

Digitized by Google

attinet significandi, nonnulla imperfectio admiscetur, quæ Deo non competit. Hæc D. Thom., (*1. Cont. Gentes cap. 30.*) quæ hic obiter fuerunt prænotanda. Quum autem vis intellectiva simplex perfectio sit, & simplicium perfectionum maxima, ex hac parte argumentatio facta non vacillat.

2. Item: agentia naturalia per suas operationes tendunt in determinatos fines. Semper enim eodem modo operantur, quod a casu esse non potest, nam quæ fortuito eveniunt, raro eodem modo eveniunt. Vel ergo agentia naturalia præstituunt sibi finem, in quem colliment, vel præstituitur ipsis finis ab alio; sed ipsa non possunt sibimet præstituere finem, quum ipsorum pleraque rationem finis, & mediorum ad finem utilitatem non cognoscant: ergo præstituitur ipsis finis ab alio, qui sit naturæ totius institutor, quem Deum dicimus; Sed præstituere finem aliis non posset, nisi esset intelligens: Deus ergo intelligens est. Præterea: in omni ordine agentium movens absque cognitione est instrumentum ejus quod movet cum cognitione, non vero contra. Securis enim instrumentum est hominis, non homo securis; omnia autem agentia naturalia comparantur ad primum motorem velut instrumenta, quum sint moventia mota; sed in agentibus naturalibus sunt aliqua, quæ operantur cum cognitione, ut homo: ergo primum movens nequit movere sine cognitione, alias homo, aut agens per rationem esset instrumentum causæ primæ irrationaliter moventis. Ulterius: Res materialis per abstractionem a materia fit actu intelligibilis, ut in Animastica habetur; sed non fit actu intelligibilis, nisi quia fit unum cum intelligente, eique inhæret tanquam forma: ergo per abstractionem a materia res intellecta inhæret, fitque unum cum intelligente. Unde dicitur mentem intelligendo fieri omnia, & intellectum in actu esse rem intellectam in actu; sed nihil fit unum cum alio, nisi per id per quod aliud est formaliter tale, sicut nihil fit ignitum, aut calidum, aut lucidum, nisi per id per quod ignis, aut lux, aut calor sunt formaliter talia: ergo per abstractionem a materia res est formaliter intelligens; Deus autem maximè immaterialis est, & a materia remotus, ut supra ostensum est: (*prop. 3.*) Deus ergo est maximè intelligens. Amplius: Omne imperfectum est perfecto posterius, ab eoque derivatur, nam actus simpliciter prior est potentia; sed formæ materiales, ut in rebus existunt, sunt imperfectæ: ergo ab aliquibus formis perfectis extra materiam existentibus derivantur; sed formæ extra materiam existentes sunt universales, nam singularitatis, sive individuationis principium in hujusmodi est materia, ut alibi statuitur; formæ autem universales non existunt nisi in intellectu; si autem in aliquo, maxime in eo, quod est prima, & communis omnium causa,

Digitized by Google

sa, nimirum Deo: Deus igitur intellectivus est. Confirmatur: Nam omne agens agit per aliquam formam, quam movendo intendit; sed Deus est primum, & universale motus principium: movet igitur per formam universalem; forma autem secundum esse universale non est nisi in intelligente, nam formæ in materia existentes sunt singulares: est igitur Deus intelligens, quod omnium generis Scriptorum testimoniis confirmare supervacaneum esset. Primam enim hanc & anticipatam veluti notionem hanc de Deo omnes habemus, ut sit animans inquit Tullius, (*l. 1. de Nat. Deorum,*) id est vivens quiddam, animatum, rationis compos.

3. Jam vero in natura intelligente creata quatuor inveniuntur, nimirum mens ipsa, sive facultas, aut potentia intellectiva, species deinde intelligibilis, quæ veluti quædam objecti imago est, non enim lapis est in anima, sed species ejus, aut simulachrum quoddam. Tum ipsa intellectio, sive actus intelligendi, ac denique objectum cognitum, sive res intellecta. Quoniam autem ea quæ Dei sunt, per viam remotionis, aut negationis, ut Sanctorum est sententia, facilius, & securius investigantur, quæcumque in nostro hoc intelligendi modulo imperfecta sunt, ab Deo sunt procul removenda, ut qualemcumque divinæ intellectionis notionem efformare animo possimus. Hinc I. quum in nobis mens sive intellectus potentia quædam sit ab anima distincta, hoc a Deo removendum est, tanquam ab summa ejus simplicitate alienum. In Creatis enim omnis potentia est accidens, Potentia enim non dicitur nisi relativè ad operationem: omnis autem relatio in creaturis, accidens est, unde omnis potentia naturalis ponitur in secunda specie qualitatis; in Deo vero qualitas est, aut accidens nullum, ut ostensum est (*prop. 3.*) nulla est igitur in Deo potentia ab ejus substantia distincta. Quod non de intellectiva solum, sed etiam de activa, deliberativa, & aliis, quæ Deo attribuuntur, intelligendum est. Item II. in nobis species intelligibilis ab ipsa potentia intellectiva, aut mente distinguitur, quod in Deo locum non habet. Species enim est veluti forma, qua mens intelligit; sed forma qua est principium agendi, oportet ut sit in ipso agente; species ergo intelligibilis in mente divina sit oportet; mens autem divina est ipse Deus, ut probatum manet; quidquid autem est in Deo, Deus est, ut ostensum est supra: (*pr. 3.*) ergo species intelligibilis in Deo est ipsamet quidditas, aut Essentia Dei. Item: Mens fit actu intelligens per speciem: comparatur ergo ad illam, sicut potentia ad actum: si ergo est quid distinctum a Deo, Deus erit in potentia ad aliquid, quod dictis repugnat. Item: Quidquid rei advenit præter essentiam, est accidens, quod in Deo esse non posse, supra ostensum est. (*ibid.*) Præterea: Si in Deo esset spe-

Digitized by Google

species extranea intelligibilis , ea esset alicujus objecti similitudo : vel ergo ipsius Essentiæ divinæ, vel rei alius. Si primum: ergo divina essentia non erit per se intelligibilis, sed per aliquid a se distinctum, & hoc erit coæternum Deo, & exprimens perfecte Deum, alioqui Deus per eam speciem semet perfecte non cognosceret. Si secundum: vel illa species esset impressa menti divinæ ab ipsa Dei essentia, vel ab eo alio, cujus imago esset; sed non ab ipsa divina Essentia, quæ quum sit ipsa divina mens, in se ipsam imprimeret; & si ab divina Essentia impressa esset, nihil aliud, quam divinam Essentiam exprimeret, quod si eam non exprimeret, Deus per illam speciem semet non cognosceret: relinquitur ergo ut sit impressa ab alio extra Essentiam Dei; sed hoc est absurdius, quia nihil extraneum in Deum agere potest, quum prima causa sit, & omnino immutabilis, atque immobilis, ut ostensum est: (*prop. 1.*) ergo nulla est in Deo species intelligibilis ab divina mente, id est ab divina Essentia distincta.

4. Hinc III. in creatis intellectio sive actus intelligendi est quid ab intelligente, & ab intellectu, aut mente distinctum; non sic autem in Deo. Nam mens comparatur ad intellectionem, sicut potentia ad actum: si ergo intellectio est quid distinctum a mente divina, mens divina, id est, Essentia divina erit in potentia ad aliud, quod repugnat dictis. Item: intellectio est quid immanens in mente divina; sed quicquid est in Deo, Deus est: ergo intellectio Dei est ipse Deus. Denique: intellectio est perfectio intelligentis: si ergo est quid distinctum a Deo, Deus perficietur per aliquid a se distinctum, quod dictis repugnat.

5. Quod vero ad divinæ intellectionis objectum attinet (erat hoc IV.) Deus primariò, necessariò, & per se, seipsum, & solum seipsum intelligit. Tantò enim aliquid intelligitur perfectius, quantò ejus species, qua mens informatur est objecto conformior, & magis intimè præsens intellectui; sed species qua mens divina informatur, est ipsamet divina Essentia, & adeo intimè præsens ut sit ipsemet intellectus divinus, uti dictum est; Deus ergo perfectissimè seipsum intelligit. Item: Id intelligitur, quod est in mente secundum suum esse intentionale, sive intelligibile; sed Essentia divina est in Deo, id est in mente Dei secundum suum esse intelligibile, quia esse physicum Dei est ipsum esse intelligibile, quum ejus intellectio, sive ipsum intelligere sit ejus esse, ut ostensum est: ergo semetipsum primariò, necessariò, & perfectissimè intelligit. Quod si seipsum intelligit, ipse est unicum adæquatum objectum mentis suæ. Ordo enim potentiarum est secundum ordinem objectorum. Quum ergo Deus prima mens sit, & omnium præstantissima, inquit Alcinous

Pla-

Digitized by Google

Platonicus, (*c. 10.*) oportet præstantissimum intelligibile ei esse propositum; nihil autem habere potest se ipsa præstantius; semetipsam igitur, & sui ipsius notiones semper intelligit. Illud enim est primo, & per se cognitum, cujus propria, & singulari specie mens informatur; sed mentis divinæ species non est alia, quam propria Dei essentia: hæc ergo est objectum primarium, & per se divinæ mentis. Item: Actus cujusvis intellectus speciem, & unitatem sortiuntur ab objectis: si ergo intellectionis divinæ sunt plura objecta primaria, & adæquata, plures erunt in Deo intellectiones, quod cum prædictis stare non potest. Denique vel actus ille quo Deus semet intelligit est intellectio rerum omnium creatarum, vel non. Si primum: ergo actus intellectionis qua Deus creaturas agnoscit, primarium, & necessarium objectum est ipse Deus, quod erat intentum. Si secundum: ergo Deus de consideratione ad considerationem transibit, quod & simplicitati, & immutabilitati, & Æternitati repugnat.

6. Lubet autem prædicta non ex Sanctorum Doctorum testimoniis, quod infinitum, & supervacaneum esset, sed ex Philosophorum confirmare sententiis, quorum princeps Aristoteles: Primum, inquit, (in *12. Metaphy. c. 9.*) si intellectio ipsa non est, sed vis quædam, aut potentia intelligens, laboriosa illi foret ipsa intelligendi perpetuitas. Quare quum semetipsam, divina mens intelligit, intellectio illa quandoquidem æterna, solius intellectionis intellectio est. Maximus etiam Tyrius, Deum ejusmodi mentem esse, asserit, (*apud Alcinoum c. 10.*) quæ omnia, & semper, & simul intelligat. Disertissimè autem omnium ex Platonis Schola Plotinus, Deum non intelligentem esse, ait, (*Enn. 5. & 6. lib. 9.*) sed intelligentiam ipsam. Mentem autem, si hoc nomine, inquit, uti volumus, non eam oportet accipere, quæ potentia est, quæque ex inscientia ad scientiam progreditur, ne alteram ipsa superiorem invenire opus sit, sed quæ actu sit, & semper eadem, quod nisi ita est, adventitiam habet intelligentiam. Igitur quidquid intelligit, a seipsa intelligit; quod si a seipsa, & ex seipsa, ipsamet est omnia quæ intelligit: Nam si substantia illius alia est, quæ autem intelligit ab hac sunt diversa, illa ejus substantia mentis erit expers, aut solum in potentia talis, non in actu. Ex dictis porro multa effluunt Corollaria.

COROLLARIUM I.

7. Intelligere divinum est æternum, invariabile, totum simul, & semel existens.

COROLLARIUM II.

1. cont. Gentes cap. 56.

8. In Deo non est habitus scientiæ. Ea enim quæ per eandem speciem cognoscuntur, omnia simul considerantur; Deus autem omnia, quæcumque intelligit, per eandem speciem intelligit, nimirum per suammet quidditatem, aut Essentiam: omnia ergo simul considerat; sed ubi est habitualis cognitio, non est omnium simul actu consideratio, alias non jam habitus scientiæ, sed actus est: ergo. Præterea: habens scientiæ habitum, & non actu de re cogitans, est aliquo modo in potentia, estque mutabile, quod Deo non competit. Item: in omni habente habitum scientiæ, & non considerante, actualis consideratio est aliud ab ejus scientia, & scientia aliud ab ejus mente: in Deo autem non est aliud, & aliud, ut ex dictis (*prop. 3.*) constat: in Deo igitur non est scientia in habitu.

COROLLARIUM III.

1. cont. gent. c. 57. 1. p. q. 14. art. 7.

9. Deus non intelligit ratiocinando, aut discurrendo. Discursus enim, quum sit cognitio unius ex alio, varietatem, & successionem operationum importat; nec successio autem, nec varietas in Deo esse potest, ut patet ex dictis (*prop. 2. & 5.*). Item: Ea, quorum principia menti sunt veluti a natura indita, non cognoscuntur ratiocinando, ut patet in primis principiis demonstrationum; sed in Deo omnis cognitio est a natura indita, immo est ipsa Dei natura, ut ex dictis patet: (*in hac supr. & Coroll. 1.*) ergo. Ulterius: In omni ratiocinatione est aliquid in potentia, nam conclusio potentia est in præmissis, est etiam aliud alius causa, nam præmissæ sunt quodammodo causa conclusionis: est item motus aliquis, aut progressio mentis ex uno in aliud, unde discursus dicitur; nec potentia autem, nec causalitas, nec motus est in Deo, ex supra dictis: (*pr. 1. & 2.*) non est ergo in Deo ratiocinatio. Præterea: Suprema operatio intellectus infimi, est infima operatio supremi; sed suprema operatio mentis infimæ, nimirum humanæ, quæ est simplex apprehensio, non est discursiva: ergo infima operatio, si ita loqui fas est, intellectus supremi, qui est divinus, non est discursiva.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM IV.

10. Deus non intelligit per compositionem, aut divisionem. Omnia enim intelligit per modum intuitus, & apprehensionis simplicis, ut dictum est: sed in simplici apprehensione non est compositio, aut divisio: ergo. Confirmatur: Nam compositio, aut divisio accidit in nobis ex debilitate, & imperfectione mentis nostræ, quæ non statim cognita quidditate rei, scire potest omne illud, quod rei convenit, aut repugnat, sicut non cognita definitione circuli, statim occurrit, sinum totum æqualem esse lateri Exagoni; sed nulla debilitas, aut imperfectio est in Deo ponenda, alias perfectissimus non esset, ut ostensum est: (*pro.* 4.) ergo Deus statim cognita rei quidditate, cognoscit quodcumque rei convenit, aut repugnat; quidditas autem rerum, etiam in nobis nonnisi intellectu, sive simplici apprehensione perspicitur: omnia Deus igitur simplici apprehensione cognoscit: non ergo componendo, & dividendo. Præterea: Mens componens, ac dividens diversas habet operationes; Dei autem unica est, & simplicissima operatio, ut ex dictis patet: non ergo componit, ac dividit.

11. Nec tamen quia Deus sine compositione, ac divisione intelligit, veritatem, aut falsitatem enuntiabilium non cognoscit. (1. *cont. gent. c.* 59. 1. *p. q.* 14. *art.* 1.) Dominus enim scit cogitationes hominum. (*Psal.* 93.) Et tamen ipse alibi: Non sunt, inquit, (*Isai. c.* 55.) cogitationes meæ, sicut cogitationes vestræ. Veritatem igitur, & falsitatem cogitationum nostrarum intelligit modo cogitandi longe diverso. Ratio autem est, quia veritas, aut falsitas consideratur secundum id quod mens apprehendit, aut dicit, non secundum operationem, & modum, quo id dicit, aut cogitat. Unde sicut nos propter imperfectionem nostri luminis per compositionem, & divisionem intelligimus simplicia, ita Deus propter perfectionem mentis suæ sine compositione composita, & sine divisione intelligit divisa: Nam quidditas, sive Essentia sua, quum sit una, & simplex, est exemplar omnium multiplicium, & compositorum, & sic per ipsam Deus omnem multiplicitatem, & compositionem tam naturæ, quam rationis intelligit, ut D. Thomas loquitur. (*loc. cit.*)

CO-

COROLLARIUM V.

12. Deus est perfectiſſimum vivens. Intellectio enim est ultima; & perfectiſſima operationum vitalium. Unde trium graduum vitæ nobiliſſimus ponitur a Philoſophis intellectivus, ſeu rationalis; Deus autem non ſolum perfectiſſimè intelligit, ſed est ſummet intelligere, ut oſtenſum est; (*ſupra*) non ergo vivit ſolum, ſed est ſuamet vita. Quod & veterum Philoſophorum testimoniis, & communi omnium, quotquot Deum noverunt, hominum judicio, & conſenſu firmari poſſet. Hanc enim veluti anticipatam de Deo habemus notionem, primum ut ſit animans, ut ſupra (*prop.* 4.) Tullium, & Sextum Empyricum loquentes adduximus.

PROPOSITIO VIII.

Deus cognoſcit alia a ſe, & quidem diſtincta, & propria cognitione.

1. p. q. 14. art. 5. 1. cont. gent. c. 49. 50. & alibi.

1. DEus enim ſemetipſum perfectiſſimè cognoſcit, atque intelligit, ut in præced. dictum est. Nihil autem potest perfecte cognoſci, niſi virtus ejus cognoſcatur; virtus vero non potest perfectè cognoſci, niſi cognoſcatur omne id, ad quod virtus ſe extendit; ſed virtus divina extenditur ad omnia alia extra ſe, quum ſit prima cauſa omnis entis, ut oſtenſum est: (*prop.* 1.) ergo Deus omnia alia extra ſe cognoſcit. Item: Scire est cognoſcere rei cauſam, & rationem; ſed Deus cognoſcendo ſeipſum, rerum omnium extra ſe cauſam, & rationem cognoſcit: ergo ſeipſum cognoſcens, omnia ſcit. Itidem: Similitudo effectus præexiſtit in cauſa: ergo ſimilitudines rerum omnium præexiſtunt in Deo; ſed quidquid est in aliquo, est in eo ſecundum modum ejus; Dei autem natura est purè intellectualis: ergo ſimilitudines rerum ſunt in Deo per modum intelligibilem; ſed quod est in intelligente per modum intelligibilem, est ab eo intellectum, nam intellectus in actu, est intellectum in actu: ergo rerum omnium ſimilitudines ſunt a Deo intellectæ, & cognitæ; ſed per rerum ſimilitudines res ipſæ cognoſcuntur: ergo res omnes extra ſe poſitas Deus cognoſcit, quod erat propoſitum.

2. Atque hinc porro ſecundum illud fluit: Illud enim proprie, ac diſtinctè cognoſcitur, cujus ratio, & ſimilitudo est in mente cognoſcentis: Si ergo in mente divina, id est, in Eſſentia divina, omnium

Digitized by Google

nium rerum rationes, & similitudines sunt, ut ostensum est, (*prop. præc.*) de rebus omnibus Deus habet propriam, & distinctam cognitionem. Ex quo capite Plotinus Philosophus: (*lib. 9. c. 5. Enn. 5.*) Si mentem esse universi hujus artificem necesse est, illa certè non ea, quæ nondum erant, agnovit, ut mundum hunc strueret. Ante mundum igitur hæc erant, non tanquam imagines aliunde expressæ, sed velut archetypa, aut prima exemplaria, atque ipsa mentis substantia. Item: In omni agente per rationem, oportet præcedere cognitionem rei faciendæ secundum propriam formam, cognitio enim artificis determinat formam artefacto; sed Deus omnia agit per rationem, & intellectum, nam unumquodque agit per suam formam, forma autem, sive quidditas Dei est ipsamet intellectio, ut ostensum est: (*in præc.*) Est igitur in Deo rerum agendarum cognitio secundum propriam formam, & rationem, adeoque omnia propriè, ac distinctissime cognoscit. Præterea: Distinctio rerum non est a casu, nam individua ad certas species, & species ad genera reducuntur: ergo ex intentione alicujus agentis; sed non alicujus agentis per naturam, quia natura est determinata ad unum, nec potest intendere plura, ut plura sunt: ergo ea distinctio est opus alicujus agentis per intellectum, aut rationem; sed non alicujus agentis contenti in ipsa universitate rerum creatarum, nam unaqueque harum distinctionem, sicut entitatem ab alio habet: ergo alicujus agentis extra universitatem effectum distinctorum, quale solum est primum agens, nimirum Deus: distinctionis ergo rerum institutor, & author Deus est; nequit autem rerum distinctionem intendere, quin eas, ut distinctas cognoscat, efficiatque, ut patet: habet ergo de rebus omnibus propriam, & distinctam cognitionem. Confirmatur: Nam cognitio rerum in universum secundum prædicata communia, & generica est confusa, & imperfecta, qui enim novit hominem solum sub ratione generica cujusdam animalis, valde imperfectè cognoscit hominem, & adhuc imperfectius, qui illum nosset solum sub ratione viventis: Si ergo Deus res non cognoscit nisi secundum prædicata communia, ejus cognitio imperfecta esset, & humana imperfectior, nam homo multarum rerum propriam, ac distinctam notionem habet.

3. Contra præmissa tamen dubium insurgit. (*cont. Gent. c. 51.*) Propria enim ratio v. g. hominis non est propria ratio lapidis: Si ergo sunt in Deo propriæ rationes rerum cognitarum, erit in Deo multiplicitas, immo contrarietas, & oppositio rationum infinitarum; sed hæc multiplicitas non est in ipsa essentia divina, quæ simplicissima est, ut supponitur: nec aliquid extra Deum per se subsistens, quales *Ideas* posuisse dicitur Plato, quia formæ rerum materialium sine *materia* existere non possunt, & quamvis existerent, tamen

tamen earum rationes in Deo, velut in prima causa intelligente præextitisse oportebat. Nec si subsisterent extra Deum, Deus per eas intelligere posset, nam similitudo rerum cognitarum debet esse in cognoscente; nec ab iis Deus cognitionem posset accipere, alias divina intellectio ab alio extra se dependeret: nec item dicta multiplicitas esse posset in aliquo intellectu præter divinum, unde ad eum derivaretur, propter easdem rationes: non ergo sunt in Deo propriæ, ac distinctæ rationes rerum singularum, atque adeo neque propriam habet, ac distinctam rerum cognitionem. Ad argumentum distinguo primum consequens: Erit in Deo multiplicitas objectiva, concedo; subjectiva, nego. Vel eminenter, concedo; formaliter, nego. Utraque solutio explicatur. Ut enim ab intellectu nostro ad divini intellectus cognitionem procedamus, (*1. cont. Gent. c. 54.*) res exterior non est in intellectu secundum propriam naturam . . . sed quia species intelligibilis est similitudo rei exterioris, sequitur, quod intellectus intentionem formet illi rei similem; quæ intentio dicitur etiam conceptus, & verbum. Et ex hoc quod intentio intellecta est similis alicui rei, sequitur, quod intellectus formando hujusmodi intentionem, rem ipsam intelligit. Intellectus autem divinus nulla alia specie intelligit, quam Essentia sua. Essentia autem sua, est similitudo omnium rerum, & per hoc sequitur, quod conceptio intellectus divini prout semetipsum intelligit, quæ est Verbum ipsius, non solum sit similitudo Dei intellecti, sed etiam omnium eorum, quorum Essentia divina similitudo est.

4. Licet ergo (*3. de pot. art. 16.*) divina Essentia, quæ est forma intellectus divini sit una, & simplex secundum rem, est tamen multiplex ratione secundum diversos respectus ad creaturas, prout scilicet intelliguntur creaturæ formam divini intellectus imitari . . . Isti autem diversi respectus non solum sunt in intellectu nostro, sed etiam in intellectu divino; nec tamen diversa aliqua sunt in intellectu divino, in quibus Deus intelligat, quia intelligit tantum in uno, quod est essentia, sed sunt ibi ut objecta ab ipso intellecta ... Unaquæque enim creatura (*1. p. q. 15. art. 2.*) habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem. Deus ergo cognoscens essentiam suam tali hoc modo participabilem a tali creatura, cognoscit eam, ut propriam speciem hujus creaturæ, & sic de aliis ... Sic ergo (*1. cont. Gent. c. 53.*) per unam speciem intelligibilem, quæ est divina Essentia, & per unam intentionem intellectam, quæ est Verbum divinum, Deus multa intelligere potest.

5. Atque hinc patet, quo sensu accipiendæ sunt multæ Philosophorum, & Sanctorum loquutiones, quibus singularium rerum propriam, & distinctam cognitionem a Deo removere videntur, ut Plotinus qui

Deum

Digitized by Google

Deum esse, inquit, ea quæ sunt, & quæ intelligit, & Aristoteles, qui Deum extra se nihil intelligere ait, quoniam non nisi unum intelligit. Author item libri de mystica Theologia negat, (*c. 5. de Myst. Theol.*) Deum entia, ut entia sunt, cognoscere; quem locum exponens Maximus Mart. Nullius, inquit, (*In schol. ad 5. lib. de Myst. Theol.*) rei cognitio supra suam naturam extendi potest. Res igitur creatæ se ipsas cognoscentes non cognoscunt divinam naturam secundum quod ipsa est. Sic igitur & natura divina semet intuens, non novit in se ipsa esse ea quæ sunt secundum suæ Essentiæ rationem, quod Dionysius significavit dicens: ut entia sunt. Et alibi: (*Cent. 4. c. 22.*) Deus ea, quæ fecit, intelligit non in substantia sua (eorum) sed in sapientia sua. Quibus similia sunt illa Augustini: (*lib. 83. quæst. q. 46.*) Deus nihil extra seipsum intuetur. Et alibi: (*Serm. 26. de verb. Apost. c. 4.*) Eligit, habetque electos non in natura sua, sed in præscientia sua. Atque item: (*lib. 1. de Gen. c. 1. & 3. & 4.*) Res antequam fierent, & quum esse desinunt, semper in Deo sunt, non quod sunt in se ipsis, sed quod ipse est. Tum illud Michaelis Pselli: (*in libr. quæst. 24. & sequent.*) Non sicut res sunt, eas cognoscit Deus, sed sicut ipse est secundum suam naturam. Cui affine illud Anselmi, (*Monologii c. 4. & c. 20.*) & Boethii ex Augustino desumptum: Creatura in Deo non est quid creatum, sed creatrix essentia. Nam quod factum est (in tempore) in ipso (ante omnia tempora) vita erat, ut apud Joannem dicitur (*Joan. c. 1.*) 3. c. 6. Has porro (*1. p. q. 15. per tot.*) rationes, formas, sive rerum similitudines in mente divina existentes Ideas primi appellaverunt ex Judæis, ut videtur Philo; ex Christianis autem Doctoribus Dionysius, sive quis est satis antiquus author librorum, qui Dionysii nomen præseferunt, de qua controversia vide, quæ diximus in Prologomen. 3. Idearum autem nomen primus in Philosophiam invexit Plato, non intelligendi solum, inquit Tullius, (*in Brut.*) sed loquendi etiam gravissimus author. Definivit vero Ideam Plato (*in Parmen.*) uniuscujusque genus aliquod, & per se subsistentem naturam, quam alibi speciem vocat, immutabilem, indeficientem, ingenitam, quæque sola intelligentia percipiatur. Utrum autem has ideas Plato, aut formas a divina mente, hoc est, ab ipso Deo distinctas posuerit, quasi substantias quasdam ab rebus abstractas, quæ per semet subsisterent, & quarum res omnes participatione constarent, ut ipsius mentem interpretatus est Aristoteles; an a Deo indistinctas existimaverit, in dubio est, & nostra nihil interest. Vide de his latè disserentem Petavium, (*lib. 4. c. 9. & 10.*) qui etiam Dionysium non obscurè suggillat, tanquam qui dogmatibus Platonicorum imbutus, licet rectè de Ideis senserit, non tamen Platonicos omnino lo-

quendi modos exuerit, quod etiam observaverat dudum Dionysii studiossimus D. Thom., & fatetur Bona Cardinalis. Ut ut autem illud sit, libet hic Alcinoi Platonici ad rem nostram accomodatissima verba subnectere. Est, inquit, (*Dogm. Platon. c. 9.*) Idea, si ad Deum quidem referatur, notio: si ad nos, primum intelligibile: si ad materiam, modus; si ad mundum hunc adspectabilem, exemplar; si ad se ipsam, mera Essentia, aut quidditas. Quidquid enim adhibito fit intellectu, ad aliquid referre necesse est. Sicut si quid ab aliquo fiat, ut a me mei ipsius imago, ejus exemplar oportet præsupponi. Etsi externum nullum sit, unusquisque artifex in seipso id primò concipiens, ejus deinde formam in materiam transfert. Definiunt autem Ideam, eorum quæ secundum naturam sunt, exemplar sempiternum. Hæc Alcinous, quibus simillima sunt illa Eustratii. (*in 1. Eth. fol. 10., & 11.*) Ideas ajebat Plato, exemplaria esse artifici proposita, ut in ea intuens, tanquam typos, ac delineatas effigies, quæ sunt materiata perficeret: quum sint artificis rationes, ac veluti notiones facientis, ac theoremata, non ei extrinsecus tanquam notitiæ, aut qualitates advenientes, sed quæ propriè entia sint, & quid per se subsistens, actuosum, intelligens, & archetypum eorum, quæ materia constant. His affinia Plotinus, Psellus, Atticus apud Eusebium, & Philo, qui Deum esse inquit (*in lib. de Cherubin. pag. 116.*) incorporearum Idearum incorpoream sedem.

7. Ex Ecclesiasticis autem Doctoribus nemo dilucidius Augustino Ideas Christiano more explicuit, cujus hæc (*in lib. 83. quæstionum cap. 46.*) verba sunt: Ideas latinè possumus vel formas, vel species dicere, ut verbum verbo reddere videamur. Si autem rationes dicamus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus. Nam ratio, græcè, non ἰδέα, sed λόγος dicitur; sed tamen qui hac voce uti voluerit, ab re ipsa non errabit: Sunt namque Ideæ formæ quædam, ac rerum rationes stabiles, & incommutabiles, non formatæ, atque adeo æternæ, quæ in divina intelligentia continentur, & secundum quas formari dicitur omne quod oritur, & interit . . . Nemo enim non profitetur quæcumque in propria natura continentur, ut sint, Deo authore esse procreata, & summis ejus legibus contineri, & gubernari. Quo constituto, atque concesso quis dicere audeat, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici, aut credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus, hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur proprii sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuetur, ut secundum id, quod vult, exequatur. Quod si hæ rerum creatarum, creandarumve rationes in mente divina conti-

nen-

Digitized by Google

nentur; neque in mente Dei quicquam nisi æternum, & incommutabile esse potest, atque has Ideas appellavit Plato, non solum Ideæ sunt, sed ipsæ per se veræ sunt, quia æternæ sunt, & ejusdem modi, atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, ut sit quidquid est, & quoquo modo est. Hæc Augustinus Platonica ad Christianam normam componens.

8. Non videtur autem satis accomoda illa Alcinoi definitio, ut Idea dicatur Exemplar, sive Archetypon, aut Prototypon, ratio, species, aut forma eorum, quæ secundum naturam sunt. Inde enim (*vid. 2. de verit. art. 6.*) concludi posset, eorum, quæ a Deo fieri possunt, & non fiunt, quo de postea, nullam esse in Deo Ideam, aut rationem, quod falsum esse mox apparebit. Quare, ut optimè notavit D. Thom. (*1. p q. 15.*) quum Ideæ duplex munus sit; est enim principium & cognitionis rerum, & productionis ipsarum, ad utrumque Ideæ ratio, ut in divina mente ponitur, extendenda est. Et quidem quod principium est productionis rerum ad cognitionem practicam pertinet, & secundum hoc exemplar dicitur. Quatenus autem principium est cognitionis, ad intellectum speculativum pertinet, & propriè ratio, vel similitudo, aut species vocabitur. Quatenus igitur exemplar est, Idea propriè non est, nisi eorum quæ aliquando extitura sunt, aut fuerunt; quatenus autem ratio, aut similitudo est, extenditur ad omnia, quæ a Deo cognoscuntur, etiamsi nullo tempore fiant, nam ea etiam quæ nunquam extitura sunt, a Deo cognosci demonstrabitur. (*prop. 10.*) Vel etiam dici potest (*3. de verit.*) omnem Ideam esse exemplar, & ad practicam cognitionem pertinere, vel actu nimirum, vel virtute. Actu quidem si ad ea referantur, quæ aliquando Deus facere decrevit; virtute autem si ad ea referantur, quæ Deus scit, & potest facere, quamvis ea nunquam facere statuerit. Similitudo autem, & Ratio, tam ad practicam, quam ad speculativam cognitionem adaptari possunt.

GOROLLARIUM

1. p. q. 17. & 1. cont. Gentes c. 61. & q. 1. de verit.

9. Quum ergo Deus cognitionem ab rebus ipsis non hauriat, sed in æternis rationibus suis omnia cognoscat, sequitur, falsum divinæ cognitioni subesse non posse. Apprehensio enim intellectus nostri vera, aut falsa dicitur ex eo, quod res est, vel non est, quia non apprehendimus nisi per species a rebus acceptas. Sicut autem humanæ cognitionis principium, & exemplar sunt res ipsæ, ita principium, & exemplar rerum sunt rationes in mente divina existentes; ergo

ergo sicut humana cognitio vera est, aut falsa per conformitatem; aut disconformitatem cum rebus; ita res erunt veræ, aut falsæ per conformitatem, aut per recessum a divino Exemplari; sed nihil potest evadere divino Exemplari non conforme, quum divina sapientia modum, speciem, atque ordinem rebus imponat, ac præscribat: ergo falsitas in rebus ipsis esse non potest, atque adeo neque in intellectu divino, quum rem noscat in ea similitudine, aut exemplari, a quo res exorbitare non potest. Præterea: falsitas non est nisi in intellectu componente, & dividente, non enim fallitur mens, nisi quum rei tribuit, quod ei non convenit, aut ab ea removet, quod ei convenit, unde circa simplicia, & quidditates intellectus non fallitur; sed in intellectu divino non est compositio, aut divisio, ut ostensum est: (*prop. præc.*) ergo falli Deus in sua cognitione non potest. Item: Intellectus circa rei quidditatem aut nullus est, aut rectus est, sicut sensus circa proprium sensibile; sed omne cognoscibile comparatur ad mentem divinam, tanquam proprium objectum, nam quantò virtus cognoscitiva est altior, eò magis universale est ejus objectum: ergo circa nullius objecti cognitionem Deus falli potest. Ulterius: Intellectus principiorum nunquam est falsus, sed falsitas contingit in discurrendo ex principiis ad conclusiones: ubi ergo non est discursus, neque falsitas est: sed Deus non intelligit discurrendo, ut ostensum est: (*in præced.*) ergo falli non potest. Deinde: In prima, & nobilissima operatione intellectus humani, quæ est simplex apprehensio, non est falsitas; sed quidquid Deus intelligit, per simplicem apprehensionem intelligit, quum in eo non sit judicium, quod est quædam compositio, neque discursus, ut probatum manet: (*prop. præc.*) ergo divinæ cognitioni non subest falsum. Denique: Falsitas est defectus, & malum intellectus; sed in Deo non est defectus, neque malum aliquod, ut ostensum est: (*prop. 4.*) ergo in ejus cognitione non est falsitas.

10. Contra prædicta tamen opponi potest. Ideo enim divina cognitio falsa esse non potest, quia Deus non intelligit per compositionem, divisionem, aut discursum, sed per apprehensionem simplicissimam: sed veritas non est nisi in intellectu componente, & dividente, unde circa simplicia, & quidditates rerum non est veritas neque in mente, neque in rebus, ut (*in 6. Metaphysicor.*) dicitur: ergo in divina cognitione non est veritas. Item: Si cognitio divina vera est, conformis est rebus, veritas enim est conformitas intellectus cum re; sed non est conformis rebus per conformitatem sui ad res, non enim quia res ita sunt, ita eas novit Deus, sed ideo sunt, & ita sunt, sicut ipse novit, ut Aug., (*15. de Trin. c. 13.*) & Gregorius, aliique Patres passim loquuntur, sicut non ideo vera est idea

Digitized by Google

idea artificis, quia veram domum fecit, sed contra vera domus est, quum evadit conformis exemplari in mente artificis præconcepto: ergo est conformis per conformitatem rerum ad ipsum: ergo veritas erit in rebus ipsis, non in intellectu, & similiter falsitas, nam contrariorum eadem est ratio per oppositum, cujus contrarium dicebatur. Respondetur ad primum exponendo minorem: Veritas in nobis non est, nisi in intellectu componente &c., concedo; veritas omnis intellectus, nego. Mens namque nostra verum non cognoscit, nisi quum per secundam operationem supra primam reflectitur, ac de rebus apprehensis judicat: omne autem judicium compositio quædam est. Quod vero mens inferior per duplicem, & imperfectam operationem facit, mens nobilior per unicam, & simplicissimam facere potest. Licet ergo in Deo (*1. p. qu. 16. art. 5.*) non sit compositio, aut divisio, tamen secundum suam simplicem intelligentiam judicat de omnibus, & complexa cognoscit, & sic in mente divina est veritas. Nec valet consequentia de falsitate. Nam veritas quum sit de genere boni, & perfectionis, potest in natura perfectiori, excellentiori modo inveniri; falsitas autem est de genere imperfectionis, & mali, quod magis a re abest, quanto illa est perfectior.

11. Ad secundum vero concesso toto primo syllogismo, nego ultimam consequentiam, aut ejus secundam partem. Veritas enim & est in rebus ipsis, & est in intellectu tam creato, quam increato, verum alio modo, atque alio. Veritas namque intellectus (quam formalem vocant Scholastici) est ipsa cognitio, & judicium conforme ei, quod res est, vel non est, & cognitio hujus conformitatis, quæ quidem duo extra intellectum esse non possunt: Veritas porro, quæ in rebus ipsis extra intellectum invenitur, Transcendentalis dicitur, & cum ente convertitur, estque ipsa rei cognoscibilitas, aut quidditas capax terminandi cognitionem, sive talis, cujus idea, & ratio intellectu percipi possit. Veritas ergo etiam transcendentalis non est sine aliquo ordine ad intellectum. Res autem (*1. p. q. 16. art. 1.*) ad intellectum aliquem potest ordinem habere, vel per se, vel per accidens. Per se quidem non dicit ordinem nisi ad intellectum, a quo dependet secundum suum esse; per accidens autem ad omnem intellectum, a quo cognosci potest. Sic domus habet per se ordinem ad mentem Architecti, ex cujus idea, & conceptione formam habuit talem; per accidens vero ad quemvis alium intellectum, a quo non dependet. Judicium autem de rebus non est desumendum ab eo, quod eis convenit per accidens, sed ab eo, quod eis convenit per se. Veritas ergo simpliciter attenditur in rebus per ordinem ad intellectum, a quo dependent in esse. Inde res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum artificis. Dicitur enim vera do-

Digitized by Google

mus, quatenus assequitur similitudinem formæ ab Architecto præconceptæ. Dependent autem ab intellectu divino res naturales, sicut res artificiales ab intellectu nostro. Unde res naturales dicuntur veræ, secundum quod assequuntur similitudinem, sive conformes evadunt rationibus in mente divina existentibus, in quo sensu veritatem definivit Avicenna: Proprietas sui esse, quod rei cuique stabilitum est, nimirum a Deo. Sicut autem intellectus noster verus est, quum in seipso formas rerum per similitudinem imitatur, ita res ipsæ veræ sunt, quum divinum imitantur exemplar. Nequeunt autem divinum exemplar non imitari, quum nihil fiat, nisi secundum speciem, modum, & ordinem ab divina sapientia præstabilitum: omnia igitur quæ sunt, simpliciter vera sunt.

12. Idem vero quod de Veritate, de falsitate dicendum est, nimirum, utramque propriè, & primariò intra animam, sive in mente solum inveniri; in rebus autem non nisi per comparationem ad mentem, quatenus per similitudinem cum rebus aliis apparere alicui possunt, quod non sunt, aut quales non sunt. Est autem duplex discrimen. Primum: Nam quum falsum sit de natura mali, sicut subjectum mali est aliquod bonum, ita subjectum falsi semper est aliquod verum; non enim est falsus Hector, nisi verus Tragædus, & vera diameter est falsum commensurabile, sicut falsa enuntiatio est vera operatio mentis. Secundum: Nam res dici possunt simpliciter veræ, non autem simpliciter falsæ. Unumquodque enim simpliciter tale dicitur ab eo, quod est per se; non ab eo, quod est per accidens. Sed res naturales per se non dicunt ordinem nisi ad intellectum divinum, a quo dependent: ergo solum relatè ad mentem divinam dici possent simpliciter falsæ, nimirum vel quia possent divino exemplari conformes non evadere, vel quia possent Deum in falsam sui æstimationem inducere; horum vero neutrum esse potest, ut ostensum est: res igitur simpliciter falsæ dici non possunt. Solum ergo dicuntur falsæ, aut vanæ secundum quid, eo ordine attento, quo referuntur per accidens ad intellectum creatum, quem possunt in falsam sui æstimationem trahere. Res vero artificiales dici possunt simpliciter falsæ, sicuti falsum horologium, aut falsa norma, quæ non assequitur formam, & rationem in mente artificis præconceptam.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IX.

Deus cognoſcit ſingularia, ſive ſint, ſive non.

1. p. q. 14. 1. cont. Gent. c. 65. 2. de Ver. art. 5.

1. IDEA enim in mente divina exiſtens ſimul eſt & principium cognitionis rerum, & principium productionis ipſarum comparativè ad ea, quæ in aliqua temporis differentia exiſtunt, ut ſupra dictum eſt, (*in præc. n. 8.*) ergo quum Deus cognoſcat omnia in ſeipſo, eo modo res cognoſcit, quo poteſt eaſdem producere; ſed res producuntur a Deo ſecundum ſuam ſingularitatem; quidquid enim in rerum natura exiſtit, determinatum eſt, ac ſingulare: cognoſcuntur ergo a Deo ſecundum ſuam ſingularitatem. Præterea: Sicut homo conſtat corpore, & anima, ita hic ſingularis homo ex hoc corpore, & hac anima: ergo quicumque cognoſcit hoc corpus, & hanc animam, cognoſcit hunc hominem; Sed Deus producit hoc corpus, & hanc animam, & quum nihil faciat ignorans, cognoſcit hoc corpus, & hanc animam: ergo cognoſcit in ſingulari hunc hominem, & eodem modo reliqua. Deinde: Sicut Deus, eſt ſuum eſſe, ita eſt ſuum intelligere, uti ſtatutum eſt; (*prop. 4. & 7.*) ſed quia eſt ſuum eſſe, ab eo ſunt, quæcumque ſunt: ergo quia eſt ſuum intelligere, ab ipſo intelliguntur, quæcumque intelliguntur; ſed ſingularia ab aliqua potentia cognoſcitiva, ſeu rationali apprehenduntur: ergo multo potius cognoſcuntur a Deo. Nam cur enim, qui alios parere facit, (*Iſai. c. 66.*) ipſe non pariet, & qui aliis fæcunditatem tribuit, ſterilis erit? Quid autem turpius, ut contra Empedoclem argumentatur Ariſtoteles, (*l. 1. de anima tex. 80. & l. 3. metaphy.*) quam ignorare Deum, quod viliſſimi homunciones intelligunt? Confirmatur: Ideo enim intellectus humanus ſingularia non intelligit, quia ſpecies accipit ab rebus ſenſibilibus, quæ quum ſint materiales, nequeunt agere in potentiam immaterialem, qualis eſt intellectus; ſed Deus, ut oſtenſum eſt, (*in præc.*) non accipit ſpeciem a rebus, immo per ſuam cognitionem dat ſpeciem, atque ordinem rebus omnibus: ergo nihil prohibet intellectum divinum ſingularia cognoſcere.

2. Hinc etiam illud ſequitur non ſolum ſingula quæ ſunt, verum etiam ſingula, quæ non ſunt, a Deo cognoſci. Ut enim oſtenſum eſt, mens humana eſt ad res ſcibiles, ſicut res ſcibiles ad intellectum divinum; ſed nullo exiſtente humano intellectu res eſſent ſcibiles: ergo nulla exiſtente re ſcibili, Deus eſſet ſciens, prius enim per

Digitized by Google

per posterius non impeditur. Item: Scientia Dei comparatur ad res naturales, sicut scientia artificis ad ea quæ per suam artem fiunt; sed scientia est in artifice, etiam si nullum artificium existat, sive quin artem suam exerceat, sicut Alphenus sutor est, & cantor Hermogenes apud Horatium: ergo potest esse in Deo scientia, & cognitio rerum naturalium, quamvis res nulla naturalis existat. Confirmatur: Nam mens humana illa operatione, qua rerum quidditates cognoscit, nimirum apprehensione simplice, potest cognoscere non existentia, ut hominem, aut leonem, quamvis in rerum natura non essent; sed in Deo nulla est operatio mentis nisi mere intellectiva, sive omnia cognoscit per simplicem apprehensionem, aut per modum cognoscentis quidquid est, ut supra est demonstratum: potest ergo non existentia cognoscere. (*in præc.*) Præterea: Intelligere Dei successionem non habet, sicut nec ejus esse: est igitur totum simul permanens. Quum igitur Æterni esse nunquam deficiat, cuilibet tempori, vel instanti temporis præsentialiter adest æternitas: ergo quicquid in quacumque temporis parte existit, coexistit æterno, tanquam præsens eidem, quamvis respectu alterius partis temporis, sit præteritum, vel futurum. Sed æterno non potest aliquid coexistere, nisi toti, quia successionem durationis non habet: quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate quasi præsens intuetur; sed non quod quadam parte temporis existit, semper fuit existens: ergo etiam eorum quæ nondum secundum decursum temporis existunt, Deus notitiam habet. Hæc totidem fere verbis, ac syllabis D. Thom. (*1. cont. Gent. c. 66.*)

3. Neque tamen, ut idem admonet, (*1. p. q. 14. a. 7.*) omnia ea, quæ non existunt, eandem habent habitudinem ad divinam scientiam. Ea enim, quæ nec sunt, nec erunt, aut fuerunt, sciuntur a Deo quasi virtuti ejus possibilia. Unde non cognoscit ea quasi aliqualiter existentia in se ipsis, sed existentia solum in divina potentia, quæ quidem a quibusdam dicitur notitia simplicis intelligentiæ. Atque horum idea in mente divina ratio est, & similitudo, unde cognoscantur, non principium, vel archetypon, aut exemplar, unde producantur, ut supra ex ipso D. Thoma adnotavimus. Ea vero quæ sunt præsentia, præterita, aut futura nobis, cognoscit Deus, & in potentia sua, & in propriis causis, & in seipsis. Et horum cognitio dicitur scientia visionis. Non enim Deus eorum quæ nondum apud nos sunt, videt solum esse quod habent in se ipso, & in causis suis, (id est esse solum objectivum, sive intentionale, & virtuale) sed etiam illud quod habent in seipsis, in quantum ejus æternitas est præsens sua indivisibilitate omni tempori. Et tamen omne esse cujuscumque rei Deus cognoscit per Essentiam suam, nam

nam sua Essentia est repræsentabilis per multa, quæ nec sunt, nec erunt, vel fuerunt. Ipsa etiam est similitudo, & principium virtutis, cujuslibet causæ creatæ, secundum quam in causis præexistunt effectus. Esse etiam cujuslibet rei quod habet actu in se ipsa, est ab ea deductum exemplariter. Sic igitur non entia cognoscit Deus secundum quod aliquo modo habent esse vel in potentia sua tantum, sicut merè possibilia plura; vel in potentia sua simul, & in potentia causarum secundarum; vel denique secundum esse physicum quod habent in seipsis, sicut ea quæ in aliqua differentia temporis existunt, & quæ apud nos præsentia, præterita, aut futura dicuntur.

PROPOSITIO X.

Deus cognoscit futura contingentia libera.

1. PRopositio hæc veluti præcedentis corollarium est. Quum enim ea quæ non sunt, sive extitura sint, sive non, Deum nosse in superioribus demonstratum sit, è quorum numero sunt futura, hæc proinde Deum cognoscere manifestum est. Quia vero futura contingentia, atque ea maximè, quæ a libera pendent voluntate, singularem difficultatem continent, ideo de his singularis instituenda tractatio est. Causarum autem liberarum, seu libero operantium arbitrio naturam, & existentiam supponimus nunc quidem, alio in loco demonstrandam, quum earum demonstratio ab hujus demonstratione non dependeat, ut infra explicabitur. Nam causarum naturalium effectus necessarios, etiam homines, (nedum Deus) futuros cognoscimus, ut ortum Solis crastinum, futurumque Plenilunium, aut Ecclypsim. Effectus quoque naturales contingentes in suis causis certò cognosceremus, si notæ nobis essent, sicut Deo naturæ authori omnes causarum combinationes, ab quibus prædicti effectus impediri possunt, aut secundari.

2. Jam vero futura contingentia, etiam libera Deum certò cognoscere demonstratur primò: (*1. cont. Gent. c. 67. & alibi.*) Deus enim cognoscit omnia entia, quatenus est prima, & universalis causa omnis entis; sed non solum est causa effectuum omnium naturalium, sed etiam liberorum: ergo non solum naturales effectus, sed etiam liberos certò cognoscit. Confirmatur, & fulcitur hæc ratio: Sicut enim Deus est primum Ens, ita est primum intelligens; sed quia est primum Ens, est universalis causa omnis Entis: ergo quia est primum intelligens, est prima, & universalis causa omnis intellectualis operationis; sed omne agens liberum, per intellectum operatur;

tur: voluntas enim est appetitus rationalis, & arbitrium ; est liberum de ratione judicium, ut est apud Philosophos: ergo omnis liberi agentis operatio, est a Deo. Ex quo capite Plotinus Philosophus: Non enim, inquit, (*Enn. 4. lib. 4. c. 12.*) talis est in Deo futurorum cognitio, qualis inest Vatibus, sed qualis est in iis, qui ipsi rem faciunt, & qui ea quæ ipsi exequuturi sunt, certò futura sciunt. Eadem igitur ipsi de futuris sapientia est , qualis est de præteritis secundum stabilitatem. Quapropter dicendum est, inquit Ammonius Peripateticus, (*in lib. Periherm.*) Deos omnia cognoscere quæ fuerunt, quæ sunt, quæ futura sunt, modo ipsis congruente, nimirum unica, ac determinata, & immutabili cognitione. Atque adeo contingentium notitiam illis inesse , quippe qui cuncta , quæ in mundo fiunt, disponunt, ac præfiniunt.

3. Item: Contingentia eventus futuri non pugnat cum certitudine, & infallibilitate cognitionis, nisi quando res cognoscitur, ut futura. Contingens enim, ut futurum est, potest non esse, & sic cognitio existimantis ipsum futurum esse, falli potest: falletur enim, si non fuerit illud, quod existimabat futurum . Contingens autem , quum jam est præsens, pro eo tempore, in quo est, non potest non esse: ergo quum jam est præsens, potest certò, & infallibiliter cognosci. Unde nihil certitudini sensus deperit, dum quis videt Sortem sedere, quamvis ejus sessio fuerit contingens; sed mentis divinæ intuitus fertur ab æterno super unumquodque eorum, quæ temporis decursu peraguntur, ut præsens est, sicut ex dictis patet, (*prop. 8.*) ergo futura contingentia, cujuscumque naturæ sint, possunt certo, & infallibiliter a Deo cognosci . Explicatur hæc ratio: Contingens enim, & necessarium non differunt, nisi secundum esse quod habent in causis suis. Contingens enim est, quod attenta virtute suæ causæ potest esse, & non esse. Secundum esse physicum autem super quod fundatur verum contingens a necessario non differt, quia neutrum, quando est, potest non esse. Sed Deus omne id , quod in aliqua parte temporis existit, videt ab æterno non solum secundum illud esse quod habent in causis suis, sed etiam secundum esse physicum quod habent in rerum natura, uti statutum est : (*prop. 2.*) ergo omne genus futurorum certò, & infallibiliter cognoscit.

4. Pro cujus majori evidentia sciendum est , inquit D. Thom. , (*2. de verit. art. 12.*) quod in nobis quædam sunt facultates apprehensivæ, & habitus, quibus falsum subesse non potest, sicut sensus, scientia, & intellectus, sive habitus principiorum; quædam vero, in quibus quandoque falsitas invenitur, sicut imaginatio , sive phantasia, opinio, & æstimatio. Falsitas autem accidit ex eo quod res apprehenditur aliter ac est in se. Si est ergo aliqua facultas appre-

Digitized by Google

prehensiva talis, quæ falli non possit, oportet ut ejus proprium objectum, sive cognoscibile nunquam deficiat ab eo, quod de eo cognoscens apprehendit, sive quod nunquam per illam potentiam aliter ac est, apprehendi possit. Jam vero quod necessariò futurum est, non potest impediri quin sit, eo quod causæ ejus sunt immutabiliter ordinatæ ad ejus productionem. Unde per hujusmodi habitus, qui semper sunt veri, possunt futura necessaria cognosci, sicut Ecclypsis futura per Astronomiam. Quod vero contingenter est futurum, sive naturale, sive liberum, antequam sit in esse productum, potest impediri, quia tunc non est, nisi in causis suis, quibus potest impedimentum accidere, ne ad effectum perveniant. Sed postquam jam in esse deductum est, non potest impediri, & ideo de contingente jam præsenti potest esse judicium illius potentiæ, vel habitus, in quo nunquam falsitas invenitur, sicut sensus videt Sortem sedere, dum sedet. Ex quo patet, contingens, ut futurum est, per nullam scientiam sciri, cui falsitas subesse non possit; sed divinæ scientiæ falsitas subesse non potest, ut ostensum est: ergo impossibile esset, quod Deus de futuris contingentibus scientiam haberet, si cognosceret ea, ut futura sunt.

5. Quum ergo dicimus Deum cognoscere futura, intelligendum est Deum cognoscere ea, quæ nobis futura sunt. Quod enim (*loc. cit.*) a Deo visum est, est futurum respectu alterius rei, cui succedit in tempore; sed ipsi visioni divinæ, quæ non in tempore, sed extra tempus est, non est futurum, sed præsens. Item intelligendum est, Deum cognoscere futura, sed non ut futura sunt. Tunc enim cognoscitur aliquid, ut futurum, quando inter notitiam cognoscentis, & rei eventum invenitur ordo præteriti ad futurum, sive quando cognitio, seu notitia habetur eo tempore, quo res nondum est; hic autem ordo non potest inveniri inter divinam cognitionem, & rem quamcumque contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque est sicut præsentis ad præsens: numquam enim cognitio Dei est in tempore, in quo res nondum est, quum cognitio Dei non sit in tempore, sed extra omne tempus complectens omnia simul tempora, & præsens cuicumque parti temporis. Itaque nos videmus futurum, ut futurum, quia visioni nostræ futurum est, quum & ipsa mensuretur tempore; sed visioni Dei, quæ est extra tempus, futurum non est .... Difficultas autem in hoc accidit, eo quod divinam cognitionem significare non possumus, nisi per modum nostræ cognitionis consignificando differentias temporum. Si enim significaretur Dei scientia, (*Ibid. ubi sup.*) ut in re est, magis deberet dici Deus scit hoc, quam Deus scit futurum, quia sibi nunquam futura sunt, sed semper præsentia.

6. Hinc

Digitized by Google

6. Hinc illud Boetii, quod supra ex Aug., & Gregorio firmavimus, scientiam, & providentiam Dei (*lib. 2. ad Simp.*) potius dici oportere, quam præscientiam, aut prævidentiam. Quamvis etiam præscientia, & prævidentia dici potest, subjungit (*Ib.*) D. Thom., propter ordinem ejus, quod ab eo scitur ad alia, respectu quorum est futurum. In quo sensu etiam dici potest, Deum cognoscere futura ut futura, non relatè ad cognoscentem, sed relatè ad res alias, quibus sunt tempore posteriora, quamvis Deo in æternitate omnia sint simul præsentia. Igitur quum Deus Essentiam suam contemplatur, ut est ratio, & similitudo rerum omnium, res omnes possibiles sive exituras, sive non exituras cognoscit scientia merè speculativa, aut non nisi virtute, & potestate practica. Quum vero ex iis aliqua producere decernit, idea seu ratio divinæ mentis fit exemplar, & res ipsa cognita transit in futuram. In quo sensu apud Isaiam (*45. v. 11.*) dicitur. Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes ejus: ventura interrogate me. Sicut enim res, nisi Deo volente non sunt, ita nisi Deo volente, futuræ non sunt, & horum est scientia practica in actu, sicut scientia artificis de futura domo, quam est ipse facturus, & quam sicut ædificans facit esse præsentem, ita ædificaturus fecit esse futuram. Si ergo divina Essentia non esset ratio, & similitudo omnium rerum, Deus non omnia cognosceret. Ratione igitur hujus similitudinis res sunt in Deo sicut cognitum in cognoscente. Cognitum autem in cognoscente non est secundum esse physicum, sed solum secundum esse intentionale, & objectivum. Si autem Deus per intellectum, & voluntatem, quamvis in Essentia sua rationes omnes rerum contineret, cognosceret quidem omnia necessaria; contingentia vero non certò, & infallibiliter, sed solum conjecturali cognitione, vel solum eo tempore, quo in rebus existerent. Ratione igitur Omnipotentiæ res sunt in Deo, sicut effectus in causa, non solum sicut in exemplari præsentia objectiva, sed etiam sicut in principio activo, secundum physicam continentiam, non tamen formaliter, sive secundum propriam formam, & naturam, sed eminenter, tanquam in virtute naturæ perfectioris. Rursum: nisi Deus æternus esset, non semper, non intuitivè, non immutabiliter omnia cognosceret, sed alio modo futura, alio existentia, ut ab Aug. dictum est. Ratione igitur æternitatis res sunt, non quidem in Deo, sed apud Deum in propriis naturis semper eodem modo præsentes, non quod simul existant omnia tempora, in quibus res sunt, sed quia æternitas simul, & semel existens complectitur indivisim totam seriem temporis, in quo res divisim, & successivè existunt, ut supra dictum est. (*prop. 2. cor. 2.*)

7. Videtur tamen divinæ cognitionis certitudo, atque immutabilitas

tas neque cum natura futuri, neque cum natura contingentis, neque cum natura liberi actus componi posse. Non quidem cum natura futuri. Veritas enim est proprietas entis: ergo quod nullo modo est Ens, nullo modo est verum; veritas autem in rebus non est nisi cognoscibilitas, aut capacitas terminandi cognitionem: ergo quod non est, nullo modo est cognoscibile; sed futurum non est actu: ergo non potest a Deo actu cognosci. Hoc tamen jam ex præmissis solutum est. Explico enim ultimam minorem: Futurum non est actu relate ad cognoscentem, cui futurum est, concedo; relatè ad cognoscentem, cui præsens est, nego. Præteritum enim, & futurum non dicuntur nisi relatè ad tempus, & ad ea quæ existunt successivè in tempore. Sicut ergo dextrum, aut sinistrum quia dicuntur relative ad situm animalis, non dicuntur, nisi ubi est aliquod animal; superiusque, & inferius quia dicuntur relativè ad locum, non dicuntur de re immateriali, quæ non est in loco, ita præteritum, & futurum, quia sunt differentiæ temporis non dicuntur relate ad Deum, qui non est in tempore. Videt igitur, uti dictum est, præsentia sibi, quæ nobis futura sunt, atque adeo propriè nec præscit, nec prævidet, nec prædeterminat, sed decernit, videt, cognoscit in hoc uno Nunc omnia quæ in quovis tempore fuerunt, aut erunt, aut sunt.

8. Ex natura autem contingentis sic argumentatur quidam apud Boetium: (*in 5. libr. Consol. Pros. 6. & in libr. 6. Pros. 6.*) Quidquid eventurum Deus videt; id non evenire non potest; quod autem non potest non evenire, id contingens non est, sed necessarium: quidquid ergo Deus eventurum videt, non id contingens, sed necessarium est. Hoc autem argumentum sub hac, & aliis formis sæpe sibi opponit, solvitque D. Thom., (*1. cont. Gent. 63. e 2. de verit. art. 12. & 1.p. q. 14.*) cujus solutionis hæc summa est. Quidquid eventurum Deus videt, non potest non evenire, eo modo quo a Deo visum est, concedo; absolutè, & simpliciter, nego. Quum enim unumquodque a Deo cognoscatur, sicut præsentialiter visum, sic necessarium est esse, quod Deus cognoscit, sicut necessarium est Sortem sedere, ex hoc quod sedere videtur. Hoc autem non est necessarium absolutè, vel ut a quibusdam dicitur necessitate consequentis, sed sub conditione, vel necessitate consequentiæ. Hæc enim conditionalis est necessaria: si Sortes sedere videtur, sedet. Unde si hypothetica in categoricam transferatur, ut dicatur: Quod videtur sedere, necesse est sedere, patet eam de dicto intellectam, & in sensu composito esse veram; de re autem intellectam, & in sensu diviso esse falsam, sicut illam qua dicitur: Nullus Tyrannus successorem suum occidit. Et sic in his, & in omnibus similibus, quæ

Dei

Dei scientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur ; circa compositionem, & divisionem falluntur.

9. Loquitur autem hic, uti solet D. Thomas antiquorum ore, ac sententia. Boetius quippe eidem argumentationi respondens. Idem inquit, (*ibid.*) futurum, quum ad divinam notionem refertur, necessarium; quum vero in sui natura perpenditur, liberum prorsus, atque absolutum est. Duæ enim sunt necessitates, simplex una, ut necesse est hominem esse mortalem; altera conditionalis, ut si aliquem ambulare scias, ipsum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter, quam notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem necessitatem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit rei natura, sed conditionis adjectio. Nulla quippe necessitas cogit incedere voluntariè gradientem, quamvis eum tamen quum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat naturæ necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ab arbitrio contingenter proveniunt, præsentia intuetur. Hæc ergo ad intuitum divinum relata necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis; per se vero considerata, ab absoluta naturæ suæ contingentia non deficiunt. Similia habet Boetius idem in librum Aristotelis de Interpretatione.

10. Si quis ergo intellectum verbi propriè consideret, inquit Anselmus, (*In lib. de Concord. præscient. Dei cum libert.*) hoc ipso quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronuntiatur. Non enim nisi quod futurum est, præscitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare quum dico: Si Deus præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam: si aliquid erit, de necessitate erit. Illa autem necessitas rei positionem non præcedit. Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul non esse. Porro sicut in æternitate non fuit, aut erit aliquid, sed tantum est, & tamen in tempore fuit, & erit aliquid sine repugnantia, ita quod in æternitate mutari nequit, in tempore antequam sit, mutabile probatur absque inconvenientia. Vis ergo illa æternitatis, quæ claudit omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore, facit, ut præscientia Dei rerum contingentiam non excludat. Nam quod in tempore antequam sit, mutabile est, & contingens, id in æternitate manet immutabiliter, non antequam sit, aut postquam est; sed indesinenter, quia nihil ibi est secundum tempus. Hinc autem fit, inquit supra laudatus Boetius, (*Pros. 4. lib. 5.*) ut sicut scientia præsentium nihil in iis quæ sunt, ita futurorum præscientia nihil in iis, quæ futura sunt, necessitatis imponat. Quod Boetius ab Aug. desumpsit ita disserente: (*libro 3. de libero arbitr. c. 4.*)

Digitized by Google

c. 4.) Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterita sunt, ita Deus sua præscientia non cogit facienda, quæ futura sunt: Et sicut sibi non adversantur, ut tu noveris, quod alius est propria voluntate facturus, ita Deus ad peccandum non cogit, quamvis aliquos prævideat propria voluntate peccaturos . . . . Igitur quod propria voluntate facturi erant, visum est, inquit Gaudentius Brixiensis, (*Tract. 3. de Pasch.*) non ut facerent jussum est, nec ideo factum est, quia prævisum erat, sed ideo prævisum est, quia erat futurum. Et de secundo quidem argumento satis.

11. Ex suppositione autem divinæ præscientiæ sic contra arbitrii libertatem argumentatur Marc. Tullius teste Nemesio (*in lib. de natur. homin. c. 37.*) Fatum est series quædam, & ordo causarum, quem nihil transgredi potest. Si ergo præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo præscita sunt, & si hoc, quo præscita sunt, ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo; si autem certus est ordo rerum, certus est ordo causarum, non enim quicquam fieri potest, quod non aliqua efficiens causa præcesserit: si autem certus est ordo causarum quo fit, omne quod fit, fato fiunt, quæcumque fiunt: fato igitur omnia fiunt, & nulla est arbitrii libertas. Item: Deus cognoscit futura, quia futurorum est causa, sive quia volens facit esse futura, quæ ipso nolente futura non essent; sed ea quæ Deus facit, non sunt in arbitrii creati potestate; ergo nihil futurum est in arbitrii potestate, atque adeo nihil, quod Deus cognoscit futurum, est liberum. Ex his autem, & aliis similibus, quæ sub diversis formis opponunt & antiqui, & recentiores aut divinæ præscientiæ, aut humanæ libertatis impugnatores, primum illud, & antiquissimum Tullii frivolum est, inquit D. Thom. (*3. cont. Gent. c. 94.*) Divinæ enim præscientiæ non solum subduntur effectus, sed etiam causæ eorum, & modi essendi . . . Unde non sequitur, quod si omnia Deus præscit, nihil sit in nobis. Sic enim sunt a Deo præscita, ut per nos libere fiant. Hæc paucis verbis D. Thom., quæ pluribus Augustinus: Non enim necessarium est, inquit (*lib. 5. de civit. Dei c. 9., & 10.*) Tullio respondens, ut si Deo certus est ordo causarum, nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui Deo certus est, ejusque præscientia continetur. Quomodo ergo non potest aliud fieri, quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quam futuram ille præscivit . . . Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius: nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit: ergo & potestatis præscius est: igitur non per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, immo propterea mihi certior adest, quia ille, cujus præscientia falli non potest, ad futuram mihi esse præscivit. Haneque eamdem fuisse

Digitized by Google

se sapientiorum Stoicorum sententiam patet ex Chrysippo ejus Sectæ facile Principe, cujus est locus insignis (*in 4. de Provid. lib.*) Quum enim sibi opponeretur actionem nullam malæ hominum voluntati imputari posse, si fatali quadam necessitate omnia volvuntur, respondet, in ipsa serie causarum, quæ fato subjacent, esse etiam ingenia, & voluntates hominum liberas. Quæ si sint primitus per naturam salubriter, utiliterque ficta, omnem illam vim, quæ de fato extrinsecus ingruit, inoffensius, tractabiliusque transmittunt. Non quod vim ordinis a natura, vel a Deo statuti declinare possint. Sed quod ut illa ipsa eo ordine, ac ratione fiant, naturalis illa, & necessaria rerum consequentia facit, quæ fatum vocatur . . . Sic ordo, & ratio, & necessitas fati genera ipsa diversarum causarum, & principia movet, unumquodque tamen secundum naturam suam, ut & impetus consiliorum, mentiumque nostrarum, actionesque ipsas voluntatis cujusque propria, & animorum ingenia moderentur. Hæc ille obscure quidem, ac ruditer, quæ Aug., & D. Thomas dilucidius explicuerunt. Hinc in Scholastica forma ad argumentum distinguo illam probationem inclusam: nihil fieri potest, cujus non aliqua efficiens causa præcesserit aut naturalis, aut voluntaria, concedo; duntaxat naturalis, nego. Fatum autem, quod ponebant Stoici, erat series quædam certa, & immobilis causarum ex naturali necessitate operantium. Si quis autem ordinem, nexumque causarum tam naturalium, quam liberarum a Deo statutum, ac dispositum, vel ipsam Dei virtutem, & efficacissimam atque omnipotentissimam voluntatem Fati nomine appellari posse censuerit, sententiam teneat, linguam corrigat, ut idem loquitur Augustinus. (*5. de civit. cap. 1.*) Ad secundum ex eadem Sanctorum doctrina distinguo minorem: Ea quæ Deus facit per se solum, aut per causas mere naturales non subsunt arbitrii potestati, concedo; ea quæ Deus facit per causas spontaneas, & liberas, nego. Quia tamen hoc argumentum difficultatem tangit de cooperatione Dei cum libero arbitrio, de qua non est adhuc dicendi locus, hæc solum obiter dixisse sufficiat.

12. Ex dictis autem liquet, Deum cognoscere non solum absolutè futura, id est, ea quæ reapse in aliqua temporis differentia sunt extitura, verum etiam conditionatè futura, sive ea, quæ data aliqua conditione extitura essent. Hæc autem sunt in duplici differentia. Alia de conditione implenda, quæ per istius positionem transeunt in absoluta; alia de conditione nunquam implenda, quæ dicuntur merè conditionata, de quibus procedit assertio posita. Ostensum est enim supra, Deum singularia omnia etiam non existentia cognoscere, quoniam Essentia sua ratio est, & similitudo rerum omnium; sed non solum est ratio, & similitudo faciendorum; sed & omnium, quæ fieri

Digitized by Google

fieri poſſunt in quacumque poſitione, aut combinatione cauſarum, quas poſitiones, & combinationes ipſe determinat: ergo non ſolum ea cognoſcit quæ eventura ſunt, ſed etiam ea, quæ data alia cauſarum combinatione evenirent. Item: Deus eſt in omni perfectionis genere infinitus, ut oſtenſum eſt: (*prop. 6.*) eſt ergo infinite ſapiens; ſed ad Sapientem pertinet ſcire non ſolum ea, quæ hic, & nunc accidunt, ſed ea etiam quæ data tali conditione, & pro aliis rerum combinationibus acciderent, nam eventus Stultorum eſt Magiſter, ut eſt apud Homerum, & Gnome, quæ eſt bene judicativa de iis quæ raro, & præter communem rerum ordinem accidunt, ponitur ab Ethicis pars Prudentiæ, ut ſuo loco dicetur: ergo ad Deum pertinet ſcire non ea ſolum, quæ ſunt, aut erunt, ſed etiam quæcumque in infinitis cauſarum quum naturalium, tum liberarum combinationibus evenire poſſent, quarum quum infinitæ ſint, quæ nunquam evenient, Deum conditionatè ſolum futurorum ſcientiam habere manifeſtum eſt. Confirmatur: Nam ſapiens Artifex non ſolum operum eorum, quæ facit, ſed multorum aliorum ſcientiam habet, quæ facere poſſet, & in tali, ac tali rerum neceſſitate, aut opportunitate faceret; ſed omnium eſt artifex Dei Sapientia: ergo. Pro iis autem, qui ſacrarum recipiunt Scripturarum authoritatem, indubitatum hoc eſſe oportet. Multa enim ſunt in Scripturis hujuſmodi prædictionum conditionatarum exempla, ut illud in 4. Reg. (*cap. 13.*) „ Si percuſſiſſes (terram jaculo) quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, „ percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem. „ Et illud Chriſti Domini: (*Math. c. 11.*) Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim, in cilicio, & cinere pœniten„ tiam egiſſent. „ Non tamen defuerunt Theologi, qui futurorum horum cognitionem Deo, non certam, & infallibilem, ſed merè conjecturalem eſſe dixerint, pro quo citari ſolent ex antiquis Thomiſtis Curielius, & Ledeſma, tum Tiphanius Soc. JES. ſcriptor, vulgo dictus Anonym. Quorum ego opinionis ne meminiſſem quidem, niſi viderem eos authores errorem ſuum D. Thomæ authoritate velle fulcire.

13. Sic enim argumentatur: Deus non cognoſcit certo, & infallibiliter abſolutè futura, niſi quatenus æternitati ejus ſemper præſentia ſunt, quæ in quovis tempore exiſtunt, unde impoſſibile eſſet, ait (*2. Verit. art. 12.*) D. Thom. quod Deus de futuris contingentibus ſcientiam haberet, ſi cognoſceret ea, ut futura; ſed quæ futura eſſent ſub conditione non implenda, ut Tyriorum converſio, non poſſunt eſſe æternitati præſentia in ſe ipſis, ſecundum propriam naturam, quum in nulla temporis differentia extitura ſint; ergo non poſſunt a Deo certa, & infallibili, ſed ſolum conjecturali cognitione co-

Digitized by Google

cognosci. Præterea futura merè conditionata non cognoscuntur a Deo in se ipsis, propter rationem tactam: ergo cognoscuntur solum in causa; sed quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo, nisi conjecturalem cognitionem, inquit D. Thom. (*1. p. q. 14. art. 13. & q. 2. de Verit. art. 12.*) ergo futura merè conditionata Deus non cognoscit nisi conjecturali cognitione. Hæc tamen ex supra adducta D. Thomæ doctrina enodantur facilè. Ad primum enim distinguo ultimum consequens. Ergo non possunt a Deo certò, & infallibiliter cognosci, si cognoscantur ut futura, concedo; sed Deus nihil ut futurum cognoscit, quum nihil sit medium inter divinam cognitionem, & eventum rei; si cognoscantur ut purè possibilia, nego. Res enim contingens est necessario possibilis, & qua talis potest esse objectum potentiæ, cui falsum subesse non possit. Ut futura autem non est necessaria, & sic non potest scientiæ infallibili subesse, nisi quum non potest non esse, id est, quando actu videtur præsens. Hæc est doctrina D. Thomæ. Ex qua similiter distinguo minorem secundi: Quicumque cognoscit effectum contingentem solum in causis suis proximis, & impedibilibus, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem, concedo; in causa sua primaria, & non impedibili, nego. Si ergo Deus non cognosceret futura aut absoluta, aut conditionata nisi in dispositione causarum secundarum, non haberet de iis, nisi conjecturalem cognitionem, quia hujusmodi causæ, quamvis ex se ad effectum determinatæ, possunt tamen fortiorum agentium virtute impediri, ne ad effectum perveniant. Deus autem non solum videt futura in causis suis proximis, & impedibilibus, sed etiam in seipso, causa primaria; & quæ impediri non potest, voluntati enim ejus quis resistit? (*ad Rom. c. 9.*) & quæ causarum secundarum operationes ita moderatur ut certò sciat, an impediendæ sint, vel non impediendæ, id est an effectum habituræ sint, vel non sint certò, & infallibiliter cognoscat.

14. Cujus autem scientiæ objectum sint futura illa merè conditionata magna animorum contentione disputatur in Scholis. Nam neque videtur ea per simplicem intelligentiam cognosci, quum non sint merè possibilia, neque scientia visionis quum nunquam extitura sint, atque adeo nunquam existentia videantur. Pro eo igitur veluti medio rerum statu inter merè possibile, & absolutè futurum, scientiam quandam excogitaverunt Mediam, cujus primus author fertur Ludovicus Molina Soc. Jes. Theologus Hispanus. At D. Thom. veteresque Theologi inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis medium nullum videntur agnovisse. Nec dissentit Suarezius, qui scientiam conditionatorum a simplici intelligentia non distinguit. Sic enim

Digitized by Google

enim loquitur: (*in 3. p. disp. 5. sec. 1.*) Duplex in Deo scientia distinguitur; simplicis intelligentiæ, & visionis, & illa antecedere dicitur voluntatem, hæc subsequi . . . Sed hic oportet animadvertere scientiam illam quæ Dei voluntatem antecedit, quanquam sit tantum simpliciter de rebus possibilibus, tamen per eam cognoscere Deum quid unaquæque causa effectura sit, si producatur in esse, & sub his, aut illis circumstantiis ad operandum applicetur, quod non solum de causis necessariis, & naturaliter operantibus, sed etiam de liberis voluntatibus verissimum existimo. Fatetur etiam ipse Suarezius duo: (*in artic. 3. q. 1. 3. p.*) primum: D. Thomam hujus scientiæ rarò, aut nunquam meminisse. Secundum: hujusmodi merè conditionatorum scientiam non solere vocari simpliciter scientiam futurorum. Sicut enim visio, inquit Damascenus, (*dial. adv. Manich.*) non est nisi rerum quæ sunt, ita præscientia non est, nisi rerum quæ futuræ sunt. Et in hoc sensu quum ipse Damascenus, tum Aug. (*Aug. de præd. c. 12.*), Prosper, (*Pros. in ep. ad Aug.*) & Fulgentius (*Fulg. de ver. præd.*) præscientiam hanc conditionatorum negare videntur, ut Semipelagianorum errorem confutarent, qui futura non futura fingebant, inquit citatus Prosper, & apud quos novo absurditatis genere, & non agenda præscita sunt, & præscita non acta sunt. Quod si quem præscientiæ, aut scientiæ Mediæ nomen offendit, appelletur quovis sanè nomine ea cognitio (non enim distinctas in Deo scientias ponimus, sed unam simplicissimam pro objectorum diversitate diversis nominibus explicationis gratia vocamus) dum reipsa nobiscum consentiant, qui Scripturæ, & Patribus consentire utique debent, a quibus non dubia, aut conjecturalis Deo tribuitur hujusmodi futurorum cognitio.

15. Si ergo cum D. Thoma loqui volumus, oportet horum merè conditionatorum scientiam ad simplicem intelligentiam reducere. Ad simplicem enim intelligentiam pertinet simpliciter possibilium cognitio; sed futura sub conditione non implenda sunt merè, & simpliciter possibilia, nam talia dicuntur quæ nunquam sunt, erunt, aut fuerunt: ergo non nisi simplici intelligentia cognoscuntur. Confirmatur: Res solum futura sub conditione impossibili, est mere, & simpliciter impossibilis, uti meus hæres eris, si cœlum digito tetigeris: ergo res solum futura sub conditione merè possibili est merè, & simpliciter possibilis; sed merè possibilia ad simplicem intelligentiam pertinent: ergo. Præterea: Sicut futurum sub conditione merè possibili ponitur medium inter merè possibile, & absolute futurum, ita futurum possibile sub conditione impossibili videtur esse medium inter mere impossibile, & absolute possibile; sed pro conditionatè possibilibus non est ponenda in Deo alia scientia præter eam, qua pos-

sibilia, & impossibilia absoluta cognoscit: ergo nec ponenda est in Deo alia scientia pro conditionate futuris præter eam, qua possibilia, & absolutè futura cognoscit. Item: Sicut nullum est impossibile, quod non sub aliqua conditione esset possibile, immo necessarium, ita nullum est merè possibile, quod non sub aliqua conditione esset futurum: ergo si pro his ponenda est alia scientia præter simplicem intelligentiam, Deus per simplicem intelligentiam nihil cognosceret. Ulterius: nihil est absolutè futurum, quod non sub aliqua conditione esset merè possibile, ut adventus Christi esset merè possibilis in multorum sententia, si Adamus non peccasset; nihil enim præter Deum necesse est esse: ergo si merè possibilia quia sub aliqua conditione essent futura, non cognoscuntur per simplicem intelligentiam, etiam absolutè futura, quia sub aliqua conditione essent merè possibilia, non cognoscentur per scientiam visionis, eritque hujusmodi scientia supervacanea.

16. Verum hæc quæstio est merè de nomine. Fatemur enim omnes in Deo non nisi unicam, & simplicissimam esse scientiam, sive ea visionis, sive simplicis intelligentiæ vocetur secundum diversitatem objectorum. Major est difficultas in assignando medio, in quo Deus futura illa merè conditionata cognoscat. Ut enim supra dicebatur, quæ absolutè non sunt futura, non possunt cognosci a Deo in seipsis, quia nunquam æternitati præsentia sunt. Nec possunt cognosci in potentia causarum secundarum, quia non habent causam determinatam, atque adeo non sunt determinate vera, unde qui cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem, ut ajebat D. Thom. (*1. p. q. 14. art. 13. & q. 2. de ver. art. 12.*) Neque item cognosci possunt a Deo in se ipso. Nam merè possibilia Deus in se ipso cognoscit, quatenus Essentia sua ratio est similitudo rerum omnium; sed hæc similitudo quamvis sit ratio qua res est possibilis, non tamen est ratio qua res sit sub hac, aut illa conditione futura, alias omnia quæ sunt Deo possibilia essent conditionate futura: ergo ea similitudo non est medium sufficiens, in quo Deus futura merè conditionata cognoscat. Item: Absolute futura Deus cognoscit in se ipso, quia ipse facit, ut sint futura, sive quia ejus scientia ut determinata per imperium voluntatis est causa ut sint absolute futura; sed circa conditionatè futura nulla supponitur determinatio divinæ voluntatis, alias aliquando existerent: ergo ea futura Deus in se ipso non cognoscit, atque adeo nullum est assignabile medium, in quo hujusmodi futura Deus certo, & infallibiliter cognoscat.

17. His tamen non obstantibus dicendum est Deum cognoscere futura merè conditionata in se ipso tanquam in causa. Sicut enim non

Digitized by Google

non cognoscit absolutè futura, nisi quia in suis rationibus, ac decretis novit quid facturus est, ita non cognoscit conditionatè futura, nisi quia in suis rationibus, ac æternis decretis novit, quid in hac, aut illa rerum diversa combinatione facturus esset. Ipse est ergo Plastes Israel faciens futura, sive absoluta, sive conditionata, & ibi videt facienda sive absolutè, sive conditionata, ubi videt facta; sed in rebus factis nil aliud videt, nisi quod ipse facit, nec in alio videt, nisi in se ipso faciente: ergo in rebus sive absolute, sive conditionate faciendis, nihil videt aliud, nisi quod est ipse facturus, nec in alio videt, nisi in seipso, aut absolutè, aut sub hac, aut illa conditione facturo. Præterea: Ex eo dicitur aliquid futurum, (sive absolutè, sive conditionate) quia in causa sua erat, ut fieret: unde sublata causa non esset futurum illud fieri: ergo ea quæ futura sunt (aut essent) semper fuit verum esse futura, quia in causa sempiterna fuit ut essent futura; causa autem sempiterna solus est Deus: futura ergo conditionata solum in Deo habent determinatam veritatem, & veritatis æternitatem; ergo solum in ipso certo, & infallibiliter cognosci possunt.

18. Hinc ad rationem dubitandi propositam in Scholastica forma distinguo minorem syllogismi, quo tertia pars impugnabatur: Hæc similitudo secundum se sumpta non est ratio &c., concedo; ut determinata per imperium divinæ voluntatis decernentis, quid in his, aut illis circumstantiis faciendum esset, nego. In sua enim divina Essentia per simplicem intelligentiam non solum videt Deus omnium rerum possibilium similitudines, & quidditates, sed etiam quid unaquæque earum factura esset, si produceretur in esse, & in his, aut illis circumstantiis ad operandum applicaretur, quod non solum de causis naturalibus, sed etiam de voluntariis verissimum esse dixit supra citatus Suarezius. Sicut autem nulla causa operatur, nisi Deo in ipsa, cum ipsa, & per ipsam operante, ut infra demonstrabitur, ita nulla prævideri potest sic, aut sic operatura, nisi Deo sic in illa, aut per illam operaturo. Quum ergo conditionata creaturarum operatio prævidetur, etiam divinæ voluntatis decretum, & omnipotentiæ concursus, & omnia reliqua ad operationem creaturæ necessaria prævidentur. Et sicut res merè possibilis transit in absolute futuram Deo decernente quod facturus est, ita res possibilis transit in conditionatè futuram, Deo decernente quid in his, aut illis circumstantiis facturus esset. Ad 2. autem impugnationem nego minorem, & probationem inclusam. Non enim existunt, nisi quæ Deus absolute decernit, non quæ decernit sub conditione, nisi prius impleatur conditio. Insurges vero: Scientia, qua Deus cognoscit futura conditionata, sive sit simplicis intelligentiæ, sive mediæ, præcedit

omne decretum divinæ voluntatis: ergo nulla est solutio. Distinguo antecedens: præcedit omne decretum absolutum, concedo; conditionatum, nego. Quum enim nulla creatura aut esse, aut operari possit, nisi Deo volente, cooperante, & præfiniente, inde in omni natura, aut operatione creata, Deus suas voluntates, sua decreta, suam operationem cognoscit, in possibilibus possibiles, in conditionatis conditionatas, in absolutis absolutas. Nam quomodo convertendi ad pœnitentiam essent Tyrii, & Sidones, nisi Deo miserente, & per suam gratiam cooperante? ergo quum conditionatam eorum conversionem agnovit, suummet decretum, suæ miserationis effectum, suæ gratiæ operationem agnovit. Etenim scientia quæcumque illa sit, aut vocetur, qua Deus res creatas agnoscit, posterior est, ab eaque derivatur, qua Deus semetipsum agnoscit, ut supra ostensum est; sed Deus cognoscens seipsum, omnes suas voluntates, ac decreta cognoscit, quæ non sunt aliud ab ipso: ergo ante omnem creaturarum cognitionem, sive per simplicem intelligentiam, sive per scientiam mediam, Deus omnes suas voluntates tam absolutas, quam conditionatas cognoscit. Dices: Quid ergo differt scientia visionis a scientia simplicis intelligentiæ? In hoc differunt quod scientia visionis supponit decretum jam exequutioni mandatum, resque intuetur existentes secundum esse physicum, quod habent in se ipsis eo modo quo sunt æternitati præsentes, & ideo scientia visionis dicitur quia visio proprie non est nisi rei physicè præsentis, extra causas suas, & extra ipsum videntem positæ, non sic autem intellectiva cognitio, quæ actualem rei existentiam non requirit. Video adhuc multa dictis adjicienda, quæ quum ex dicendis pendeant, suis quæque locis opportunius explicabuntur.

PROPOSITIO XI.

Scientia Dei est causa rerum.

1. DEus enim est prima causa, est primum agens, ut ostensum est: (*prop. 1.*) operatur autem per mentem, & voluntatem, ut item est ostensum. (*prop. 7.*) Neque enim sicut annulus operatur Deus, qui quod exprimit, non sentit, inquit Ambrosius. (*de fid. c. 7.*) Omnes ergo res naturales comparantur ad scientiam Dei, inquit, D. Thom. (*1. de Verit. art. 8.*) sicut res artificiales ad scientiam artificis; sed scientia artificis est causa omnium artefactorum; modum enim ipsis, ordinemque & speciem præscribit: ergo scientia Dei est causa rerum omnium naturalium. Unde dictum est (*Sap. c. 7.*) omnium artifex docuit me Sapientia. Et ipsa de se:

(*Prov.*

Digitized by Google

(*Prov. c. 8.*) Cum eo eram cuncta componens .... Ego feci (*Eccli. c. 24.*) in Cælis ut oriretur lumen indeficiens, & hujusmodi sexcenta, quæ ex Scripturis, Patribus, & Philosophis nullo negotio coacervari possent. Item (*2. de Verit. art. 4. & 14.*) Quandocumque duo, vel plura in natura aliqua, aut forma conveniunt, vel unum est ex alio, vel utrumque est ab uno, nam optimum in unoquoque genere est causa cæterorum illius generis, & optimum in unoquoque genere, nisi unum esse non potest; sed omnis cognitio fit per quandam assimilationem cognoscentis ad cognitum; similitudo autem est convenientia in forma, nam similia sunt quorum forma, aut qualitas est una: ergo ea forma, vel derivatur a cognito in cognoscentem, vel ab cognoscente in cognitum, vel in utrumque ab aliqua communi amborum causa. Sed hoc ultimum esse non potest, quum Deus causam habeat nullam, nec item fieri potest, ut similitudo derivetur a rebus cognitis in Deum cognoscentem, quum Deus non intelligat per species ab rebus acceptas, alias scientia Dei inciperet in tempore: ergo relinquitur ut similitudo derivetur a Deo cognoscente in res cognitas, sive ab scientia Dei in res scitas: est igitur scientia Dei causa, & principium rerum scitarum. Ex quo patet, ut hoc obiter ex D. Thoma adnotemus discrimen inter divinam, Angelicam, & humanam scientiam. Angelica enim nec est causa rerum, sicut divina, nec derivatur ab rebus, sicut humana, sed similitudo rerum in mente Angelica, & res ipsæ in propriis naturis ab eadem communi causa procedunt, nimirum a Deo, a quo res effluunt, & secundum esse physicum, quod habent in seipsis per realem productionem, & secundum esse intentionale, quod habent in mentibus Angelicis, per specierum infusionem, ut suo in loco dicetur. Ut autem præ allato artificis exemplo res clarescat, notandum est ex D. Thoma, (*2. de Verit. art. 8.*) artificem etiam de re operabili habere posse vel solum speculativam cognitionem, quum rationes operis contemplatur, quin eas ad operandum applicet per animi intentionem, ac propositum; vel practicam, quando per intentionem operandi extendit rationes operis ad operationis finem. Cognitio igitur artificis practica sequitur cognitionem ejus speculativam, nam intellectus speculativus extensione fit practicus; remoto autem posteriori, non removetur id quod est prius: esse igitur potest in artifice cognitio alicujus artefacti, quandoque quidem quod facere intendit, quandoque autem sine animo, aut proposito operandi. Deus igitur quorumdam cognitionem actu praticam habet, nimirum eorum quæ aliquando sunt, erunt, aut fuerunt; quæ ex ejus scientia secundum ejus dispositionem, aut propositum prodeunt; quorundam vero solum speculativam, aut solum virtute practicam, eorum scilicet,

quæ nunquam creare disposuit. Quum autem dispositio illa, aut propositum operandi sit actus voluntatis, de qua mox, inde est scientiam in nullo agente causam rei alicujus esse posse, nisi prout subest imperio voluntatis, seu voluntate adjuncta. Hinc autem nonnulli Theologi scientiam Dei causam rerum simpliciter dicere inficiantur. Scientia enim per sese non est qualitas, aut habitus operativus, nec ullo modo influit in externam operationem, nisi media voluntate. Et hoc quidem est verissimum. Quare si nihil aliud velint, non certabimus, dummodo id nobis quoque concedatur artefactum quodvis non a voluntate solum, & potentia artificis, sed etiam ab ejus scientia procedere. Unius enim, & ejusdem effectus, ut a D. Thoma dicitur, (*1. p. qu. 19. art. 4.*) etiam in creatis, causa est scientia, ut dirigens, quia per eam forma operis, & modus concipitur: voluntas ut imperans, quia forma operis ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc ut sit, vel non sit in rebus, nisi per voluntatem artificis; potentia autem ut exequens, quia nominat immediatum operationis principium. Hæc autem omnia unum, atque idem in Deo sunt propter simplicitatem divinam.

2. Major est autem inter Scholasticos Doctores controversia; cuinam scientiæ causam rerum esse proprius conveniat, simplicis nimirum intelligentiæ, an visionis? Hanc quidem quæstionem posteriorum horum sæculorum controversia peperit, quam D. Thom. sub his terminis non tractavit. Ex ejus tamen perpetua doctrina dicendum videtur, scientiam rerum effectricem eam esse, quæ simplex Intelligentia dicitur, quæque per imperium divinæ voluntatis ad operis effectionem determinatur. In omni enim (*in 1. di. 38. q. 1. art. 1.*) artefactorum productione hic est processus: Primo scientia artificis proponit finem, itemque modum, & formam, qua fieri aliquid possit. Secundo voluntas intendit finem, & ex intentione finis tertio imperat operis exequutionem, tum denique quarto scientia artificis in materia ponit formam mente præconceptam. Ex quibus sic: Scientia effectiva rerum ea est, quæ proponit finem, & media formamque præscribit futuri operis ante imperium voluntatis absolutum, quæque post imperium illud exequitur; sed hæc est scientia simplicis intelligentiæ, nam scientia visionis supponit rem jam actu in rebus positam; nam visio est eorum, quæ sunt in rebus extra videntem; ergo scientia rerum effectrix est scientia simplicis intelligentiæ.

3. Confirmatur: Intellectus speculativus extensione fit practicus: extenditur autem per imperium voluntatis: ergo intellectus speculativus per imperium voluntatis fit practicus; sed intellectus speculativus in Deo est ipsa simplex intelligentia: ergo scientia simplicis intelligentiæ est, quæ adjuncta voluntate fit practica, sive rerum effectiva.

ctiva. Præterea: Rerum similitudines in Deo habent rationem Idearum, sive Exemplarium, ut ostensum est (*prop. 8.*) sed Idea, aut exemplar dicitur de cognitione, aut actu, aut saltem virtute practica: ergo rationes rerum, & similitudines in Deo pertinent ad cognitionem vel actu, vel virtute practicam; sed hæ similitudines, aut rationes pertinent ad simplicem intelligentiam, nam scientia visionis est contingentium, & eorum quæ habent esse extra videntem, ut sæpe docet D. Thom. Non enim videre propriè dicimur, nisi quæ extra nos in rebus existunt: ergo scientia simplicis intelligentiæ est rerum effectiva, seu practica, vel actu, si adsit voluntatis imperium, vel virtute, si desit, ut in iis omnibus, quæ Deus scit, & potest facere, sed facere non vult. Item: Inter scientiam Dei, quæ est causa rerum, & res ipsas invenitur duplex medium, ut dicitur in secunda de Veritate, unum ex parte Dei, nimirum imperium divinæ voluntatis: Non enim quæ Deus scit facere faciet, nisi velit, ut alibi demonstrabitur: aliud ex parte rerum ipsarum, & hoc non pro omnibus, sed pro aliquibus solum effectibus, nimirum causæ secundæ, quibus mediis Deus nonnulla operatur; sed hoc duplex medium non invenitur inter scientiam visionis, & res ipsas, sed inter simplicem intelligentiam, & res ipsas; nam scientia visionis, quum sit rerum in æternitate jam præsentium, præsupponit decretum absolutum divinæ voluntatis, & causarum secundarum operationem: ergo scientia Dei effectrix rerum est scientia simplicis intelligentiæ. Adhuc: Scientia est causa rerum, ut dirigens, voluntas, ut imperans; sed scientia dirigens est simplicis intelligentiæ; visio enim directionem, immo exequutionem supponit, uti dictum est, quum sit rerum jam in seipsis existentium, & æternitati præsentium: ergo.

4. Ex præmissis porro patet, qui possint commode explicari diversæ illæ, sibique primo fronte adversantes Patrum, & Theologorum loquutiones. Inquit enim Origenes in Ep. ad Romanos: (*lib. 7.*) Non propterea aliquid erit, quia id Deus scit futurum; sed quia futurum est, ideo scitur a Deo. Idemque apud Eusebium: (*6. de Pr. Evan.*) Si ita loqui fas est, non prænotio causa est futurorum, neque enim in eum, qui peccaturus prænoscitur, influit Deus, quum peccat. Sed (ut quod mirabilius est, sed tamen verum eloquar) futurum causa est, ut talem de eo prænotionem Deus habeat. Non enim quia cognoscitur, est futurum, sed quia futurum est, cognoscitur. Totidem fere verbis Justinus, (*qu. 58.*) seu quis est author quæstionum ad Orthodoxos, (*De quo vid. Prolog. 3. in Justin.*) Non est, inquit, prænotio causa ejus, quod futurum est; sed quod futurum erat, causa prænotionis. Non enim prænotionem sequitur res futura, sed rem futuram prænotio. Similia Hieronymus: (*in Isaiam*)

iam) Non quod praeſcientia Dei cauſam vaſtitatis attulerit, ſed quod vaſtitas futura praenota ſit. Item (in 26. Jerem. & in 2. Ezech.) Non ex eo quod Deus ſcit futurum aliquid, id circo futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus novit praeſcius futurorum. . . . Non enim inquit Gaudentius Brixienſis, (3. de Paſch.), ideo futurum erat (peccatum Judaeorum) quia erat praedictum, ſed ideo praedictum erat, quia erat futurum. Conſonat Damaſcenus inquiens (adv. Manich. n. 76.) Certa quidem, & invariabilis eſt ſcientia Dei; ſed ipſa non eſt cauſa cur omnino fiat id, quod futurum eſt, quin potius, quia hoc, vel illud acturi ſumus, illud praenoſcitur.

5. Contra vero Auguſtinus: Nos iſta, quae feciſti, inquit, (ult. Confeſs.) videmus, quia ſunt, tu autem quia vides, ea ſunt. Et item: (l. 6. de Trin. c. 10.) Non quia creata ſunt, ideo a Deo ſciuntur, ac non potius ideo facta ſunt; vel mutabilia, quia immutabiliter a Deo ſciuntur . . . (lib. 15. de Trin. c. 13.) Univerſas igitur creaturas ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo novit Deus, ſed ideo ſunt, quia novit. . . Quia ergo ſcivit, creavit, non quia creavit, ſcivit . . . Quam enim praepoſterum eſt, inquit Boetius, (l. 5. de Conſol. Proſa 3.) ut aeternae praeſcientiae temporalium rerum eventus cauſa eſſe dicatur. Quid eſt autem aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam ſunt eventura praevidere, quam putare quae olim acciderunt, cauſam ſummae illius eſſe praevidentiae? Deinde eam omnia comprehendendi, videndique praeſcientiam non ex futurarum proventu rerum, ſed ex propria Deum ſimplicitate ſortitum eſſe aſſerit. Ex quo etiam inquit Philoſophiam alloquens, illud etiam ſolvitur, quod paulo ante poſuiſti, ſcilicet indignum eſſe, ſi Dei ſcientiae cauſam futura noſtra praeſtare dicantur. Haec enim ſcientiae vis praeſentanea notione cuncta complectens, rebus modum omnibus ipſa conſtituit; nihil vero poſterioribus debet. Conſonat Gregorius Romanus inquiens: (l. 20. Mor. c. 32.) Quae ſunt in aeternitate ejus non ideo videntur, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia videntur. Immo poſt Auguſtinum, qui ad Scholaſticam rerum tractandarum methodum, & loquendi proprietatem proprius acceſſit, fere nullus eſt Latinorum Patrum, qui priorem illum dicendi modum uſurpaverit.

6. Uterque tamen modus ſecundum praedicta ſuſtineri poteſt, & adhibendus eſt Theologo. Qui enim negant res ideo futuras, quia a Deo ſciuntur, loquuntur de ſcientia, aut praeſcientia eorum, quae aliquando extitura ſunt, id eſt futurorum abſolutorum. Futura autem abſoluta cognoſcuntur a Deo per ſcientiam viſionis, quae non eſt rerum cauſa, uti dictum eſt, ſupponit enim res jam exiſtentes, & aeternitati praeſentes. Haec igitur ſcientia merè ſpeculativa eſt, & ſe-

Digitized by Google

secundum illam recte dicitur: non res sunt, quia videntur. II. Loquuntur Patres de scientia secundum rationem formalem scientiæ, non ut connotat voluntatem, a qua res scita, sive existens, sive futura dependet. Forma enim ut est in intellectu tantum non determinatur ad hoc ut sit, vel non sit in rebus, nisi per imperium voluntatis, ut ex D. Thoma dictum est. Unde etiam in nobis verissimum est scientiam per se consideratam non esse operativam, & tamen scientia architecti in causa est cur domus existat, non domus existens causa est scientiæ in artifice. Idem ergo dicendum de scientia Dei, quæ est omnium artifex. Et in hoc sensu Origenem interpretatus est D. Thom. Quod enim, ait, (*1. p. q. 14. art. 8.*) dicunt aliqui ideo Deum res prænoscere, quia futuræ sunt, intelligendum est secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi. Sequitur enim: si aliquid est futurum, Deus id noscit; non tamen res futura est causa, cur Deus eam sciat. Unde loquutiones illæ Origenis, & Justini, rem futuram esse causam prænotionis, bonæ quidem sunt apud Græcos, quibus nomen causæ non malè sonat in rebus divinis, non vero apud Latinos, ut ex laudati Boetii loco planum est. III. Illo loquendi modo usus est Origenes (idemque de aliis Patribus dicendum) ut innueret, quod scientia non est causa, quæ inducit necessitatem rei scitæ, ut ex hoc cogatur aliquid evenire quia Deus illud scit, (*2. de Ver. art. 14.*) inquit D. Thom. IV. Denique reformidabant Patres dicere res ideo esse futuras, quia sciuntur a Deo, quoniam aliqua sunt futura, nimirum peccata, quorum scientia Dei non est causa, ne tribueretur erroris occasio imperitis, & nescientibus malum non esse effectum, sed defectum, non rem, sed negationem, aut privationem rei. Loquuntur enim omnes citati Patres de peccatis præscitis. Justinus quidem: nam mox subdit: (*l. 9. contr. Gent. q. 58.*) Quo circa non Christus causa fuit proditionis Judæ, sed proditio causa præscientiæ. De eadem loquitur & Origenes: Non enim ait, (*l. 7. sup. Epist. ad Rom.*) quia Prophetæ prædixerunt, ideo prodidit Judas; sed quia futurus erat proditor, id quod ex animi sui nequitia gesturus erat, prædixerunt Prophetæ. Gaudentius item Brixiensis de Judæorum Christum occidentium peccato loquitur, ut ex ejus verbis liquet. De malis item solis loquutus est Damascenus. Subdit enim: (*Dialog. cont. Man. n. 79.*) Multa quippe Deus prænoscit, quæ ipsi minime grata sunt, quorumque propterea ipse non est author. Sicut nec Medicus morbi causa est, quia futurum prænovit. Sed ægrotatio quidem ex alia causa est. Medici vero præscientia ex ipsiusmet arte oritur. Ita pariter id, quod a nobis futurum est, malum scilicet, Deum causam non habet, sed liberam nostram voluntatem. In eadem sententia

Chry-

Digitized by Google

Chryſoſtomus: (*Homilia 60. in Matth.*) Non quia futura ſcandala prædixit, ideo evenient; ſed quoniam eventura erant, ideo prædixit.

7. Jam vero ex alia parte Auguſtinus, Patreſque, ac Theologi, qui res ideo futuras affirmant, quia a Deo ſciuntur, loquuntur de illa divina ſcientia, quæ cunctis rebus ordinem, formamque, & modum præſtituit, quæ tamen, niſi adjuncto divinæ voluntatis imperio, in effectum non prodeunt. Quod ſi videndi verbo Aug., & Gregor. quandoque uſi ſunt, non propterea de ſcientia viſionis loquuntur. Videndi enim verbo quæcumque intellectualis notitia comprehenditur, ſicut & de humana ſcientia loquimur ſæpiſſimè, quamvis in ſenſu Scholaſtico, & proprio de ſola rerum jam exiſtentium cognitione accipiatur, quod ideo eſt, inquit D. Thom. (*1. p. q. 14. art. 9.*) quia ea quæ videntur, habent eſſe diſtinctum extra videntem. Loquuntur autem PP., non in ſenſu illativo, ut recentior quidam voluit, ſed cauſali. Quamvis enim hæc enunciatio: res ideo ſciuntur a Deo, quia ſunt futura, vera ſit in ſenſu ſolum illativo, ſive ſecundum cauſam conſequentiæ, ut ex D. Thoma vidimus; tamen hæc alia: ideo res ſunt, quia Deus earum ſcientiam habet, non ſolum in ſenſu illativo, ſed etiam in ſenſu cauſali vera eſt: ſicut hæc: ideo domus exiſtit, quia artifex ejus conſtruendæ ſcientiam, & artem habuit. Loquuntur item Patres non de iis duntaxat, quæ Deus per ſe ſolum facit, ſed de omnibus omnino quæ per cauſas ſecundas operatur tam neceſſarias, quam liberas. Operatur autem omnia omnino, omniumque rationes, archetypa, atque Ideæ ſunt in ipſo. Ideas propterea appellavit Dionyſius (*De Divin. nomin. c. 5.*) rationes ſubſtantificas, id eſt, ſubſtantiæ rerum effectrices, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia, inquit, prædefinitiones vocat, & bonas voluntates exiſtentium prædeterminatrices, & efficaces, ſecundum quas ſuperſubſtantialis Eſſentia omnia prædefinivit, ac produxit. Ubi Summus Theologus ad Ideæ naturam explicandam ſpeculativam notitiam cum practica, & operationem intellectus divini cum divinæ voluntatis operatione conjunctam aptiſſimè commemorat.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XII.

Eſt in Deo voluntas,

1. p. q. 19. ar. 1. 1. cont. Gent. c. 72. & 23. de Ver. ar. 1.

1. DEus enim omnia, quæ ſunt, perfectiſſimè cognoſcit, ut oſtenſum eſt: cognoſcit ergo omnes proprietates, & affectiones entis; ſed omne Ens qua tale, bonum eſt: Deus igitur bonitatem, ſive rationem boni cognoſcit; ſed bonitas intellecta, ſeu cognita eſt proprium, & immediatum objectum voluntatis; proprium autem objectum voluntatis eſt actu, vel potentia amatum, ſicut proprium objectum viſus eſt, quod eſt actu, vel potentia viſum; actu autem, vel potentia amatum dicitur aliquid relatè ad volentem, aut amantem: ergo ſi eſt aliquid actu, vel potentia amatum, eſt aliquid actu, vel potentia amans, ſeu volens, ad quod illud refertur; ſed bonitas intellecta, aut cognita, quæ eſt actu, vel potentia amata, refertur ad cognoſcentem, ſive intelligentem: ergo omne intelligens, aut cognoſcens, eſt actu, vel potentia volens: eſt autem Deus intelligens, ut oſtenſum eſt. Eſt igitur in Deo voluntas, quod erat propoſitum. II. Omnem formam conſequitur aliqua inclinatio, ſicut formam naturalem conſequitur inclinatio, ſive appetitus naturalis, & formam per ſenſum apprehenſam, inclinatio, ſive appetitus ſenſitivus: ergo formam per intellectum apprehenſam conſequitur inclinatio, ſive appetitus intellectivus, ſeu rationalis; ſed hic appetitus eſt, quem dicimus voluntatem: In omni igitur intelligente eſt voluntas; eſt autem Deus intelligens ut ſupra: ergo. III. Res omnis per ſuam formam refertur ad ea, quæ ſunt extra ipſam; ſed formæ apprehenſæ ſunt in apprehendente: ergo per eas formas apprehendens refertur ad res per ſenſum, aut intellectum apprehenſas, ſed non refertur per actus intellectionis, aut ſenſationis, quia per has operationes potius res ſunt in intelligente, aut ſentiente, quam ſentiens, aut intelligens in rebus: ergo refertur per inclinationem, ſive appetitum: Omne ergo apprehendens, eſt appetens, & omne intelligens, volens: eſt autem Deus intelligens, ut ſupra.

2. IV. In his, quæ operantur propter finem, finis proximus agentis, & forma per quam agens agit, coincidunt in idem ſpecie, quod patet inductione. Omne enim agens aut naturale eſt, aut artefactivum. In omni autem agente naturali finis agentis eſt forma geniti: forma autem geniti ſemper eſt ejuſdem ſpeciei cum forma generantis. Similiter finis intentus ab artifice eſt forma artefacti, per

quam

quam apprehensam artifex agit; sed nihil coincidit in idem specie cum Deo: Deus enim non est in aliquo genere, ut ostensum est: per tertiam. Ergo in Deo unum & idem sunt finis agentis, & agens propter finem. Ex quo sic, Deus est primum agens, ut ostensum est, per primam, & agens intelligens, ut item est ostensum per septimam: ergo ei maximè convenit agere propter finem: ergo quum in eo non sit aliud finis, & agens propter finem, Deus agens propter finem est suimet finis, unde dicitur: Universa propter semetipsum operatus est Dominus; (*Ps. 16.*) sed finis habet rationem boni, & appetibilis: Deus igitur uti primum bonum, ita est primum appetibile: ergo & quia primum agens propter finem est primum appetens; sed appetens cum cognitione est volens: est igitur in Deo voluntas. V. Deus per suam scientiam est causa rerum naturalium, sicut artifex per suam artem est causa artefactorum, ut ostensum est; (*per præced.*) sed forma in mente artificis præconcepta prodire nequit in externam operationem, nisi per imperium voluntatis, ut in omni artifice patet: voluntas enim est, quæ mentem, & alias inferiores potentias ad operationem determinat: ergo scientia divina nequit esse rerum causa, nisi per voluntatem: est igitur in Deo voluntas. VI. Liberum est, quod sui causa est; sed quod sui causa est, per se ipsum agit: liberum ergo est quod per se agit: ergo quod est maximè per se agens, est maximè liberum, sed primum agens, id est, Deus, est maximè per se agens, quum nullius alterius virtute, aut operatione ad agendum moveatur, aut applicetur: Deus ergo est maximè liber; libertas autem sine voluntate esse non potest: Est igitur in Deo voluntas, quod innumeris Philosophorum, Patrum, & Scripturarum testimoniis confirmare facillimum esset.

3. Quum autem voluntas ipsam intelligendi facultatem consequatur, de divina voluntate, sicut de divino intellectu discurrendum est. Hinc.

COROLLARIUM I.

1. cont. Gent. c. 73.

4. Sicut nec intellectus divinus, nec ejus intellectio est aliquid ab divina essentia distinctum, ita nec voluntas, nec ejus operatio, sive ipsum velle. Nam velle est aliqua perfectio volentis: si ergo esset aliquid ab Dei essentia distinctum, divina Essentia per aliud a se perficeretur, quod & infinitati perfectionis ipsius, & summæ simplicitati, atque actualitati repugnat.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM II.

ibid. cap. 74.

5. Sicut divina Essentia est primarium, & adæquatum objectum divini intellectus, ita est primarium, & adæquatum objectum divinæ voluntatis; Objectum quippe voluntatis est bonum cognitum; sed bonum primario, & per se a Deo cognitum est divina Essentia, ut ostensum est. (*prop. 7.*) ergo est primarium divinæ voluntatis objectum. Item: appetibile comparatur ad voluntatem, sicut movens ad motum: si ergo aliquid extra divinam Essentiam esset Deo primum appetibile, divina voluntas ab alio extra Deum moveretur, aliudque esset Deo causa volendi, & ultimus finis ejus, quæ omnia rationi primi motoris, & primæ causæ, & Summi Boni repugnant.

COROLLARIUM III.

1. cont. Gent. c. 75. & 76.

6. Sicut divina intellectio non est nisi una, quia Deus multa non cognoscit nisi in uno, ita velle divinum non nisi unum, & simplex est, quia multa non vult nisi per unum, quod est sua Bonitas, sive Essentia sua. Ubi enim est unum (*1. p. q. 19. art. 2.*) propter aliud, ibi est unum tantum; sed Deus alia non vult, nisi propter seipsum, ut dictum est: volens igitur alia a se, non vult nisi seipsum. Item: Virtus causæ quo perfectior est, tantò ad plura se extendit in quocumque genere causæ; sed quia Deus infinitus in genere causæ efficientis, omnia sunt propter ipsum: ergo quia est infinitus in genere causæ finalis, omnia appetuntur propter ipsum.

COROLLARIUM IV.

7. Deus unico voluntatis actu, sive operatione vult omnia quæcumque vult, se nimirum, & alia extra se. Nam sicut omnia intelligit in uno, nimirum in Essentia sua, ita omnia vult per unum, nimirum Essentiam suam, ut dictum est; sed quia intelligit in uno, unica mentis operatione omnia simul, & semel intelligit, nec est in eo successio, aut multitudo intellectionum: ergo quia vult omnia per unum, unica voluntatis operatione vult simul, & semel quæcumque vult. Item: quævis potentia per eundem actum fertur in

Digitized by Google

objectum, & in rationem formalem objecti, sicut visus in parietem, & in colorem; sed divina bonitas est finis, & ratio formalis, per quam Deus omnia extra se vult, uti dictum est: ergo per eundem actum seipsum vult, & alia extra se. Item: fines sunt in appetibilibus, sicut prima principia in cognoscibilibus; sed quia Deus in se ipso, tanquam in primo cognitionis principio omnia intelligit, non est in mente divina discursus, aut successio, vel diversitas intellectionum: ergo quia per seipsum, tanquam primarium, & ultimum finem vult omnia, non est discursus, aut successio, sive operationum multitudo in divina voluntate.

COROLLARIUM V.

1. cont. Gent. c. 77.

8. Sicut in Deo, quamvis per unicam speciem, & unicam intellectionem omnia intelligat, est tamen multitudo intellectorum, quatenus plura in seipsis distincta secundum proprias singulorum rationes intelligit, ita quamvis propter unum, & unico actu voluntatis omnia velit, est tamen in eo multitudo eorum, quæ vult, quatenus plura vult in se ipsis distincta, & secundum propriam, & singularem cujusque bonitatem. Sicut enim Essentia divina, ut repræsentabilis per multa, seu modis pluribus est propria ratio veritatis multorum, ita eadem ut infinitis modis communicabilis a creaturis est propria ratio bonitatis cujusque creaturæ: sicut ergo in uno cognoscit, ita & per unum vult multiplicitatem rerum. Item: ordo totius Universi resultat ex bonitate, & ordine singularum partium: si ergo bonitas, & ordo partium ad invicem non est quid intentum a Deo, nec item ordo totius Universi: Erit ergo a casu, & fortuitò accidens, quum talis ordo non possit esse effectus alicujus causæ contentæ intra universitatem rerum creatarum, ut supra est demonstratum. (*prop. 8.*)

COROLLARIUM VI.

9. Sicut divina scientia non derivatur a rebus scitis, nec scibile in causa est, ut a Deo sciatur, ita appetibile non est causa movens divinam voluntatem in iis, quæ Deus extra se vult. Sicut enim in divino intellectu non est discursus, aut progressus operationis unius ex alia, ita nec in divina voluntate, ut dictum est: ergo sicut cognoscit hoc esse ex illo, v. g. fumum ex igne, & tamen non cognoscit hoc ex illo; ita inquit D. Thom. (*q. cit. a. 5.*) vult hoc esse

Digitized by Google

esse propter illud, sed non vult illud propter hoc. Nec bonum speciei, aut naturæ in rebus invenit, nec modum ordinis, sed facit ipsæ ut sint, & ut bonæ sint, & ordinem præscribit, quo sint. Igitur sicut veritas rerum a veritate divini intellectus, ita bonitas rerum a bonitate divina pendet; non autem contra. Nec enim quia res bona est, ideo amatur a Deo, sed quia Deus eam voluit esse, & bonam esse, bona est. Divina ergo voluntas causa rerum est, sicut divina Scientia, sed hæc ut dirigens, illa ut imperans & artem ad opus applicans, ut ex D. Thoma supra adnotatum est.

10. Quæri vero hic solet: utrum eorum quæ non sunt, sit in Deo voluntas? Et quidem eorum, quæ in aliqua temporis differentia existunt, quæque apud nos non existunt, ut præterita, & futura, nisi voluntas Dei esset, nunquam illa extitissent, aut extitura essent. Item: Quæ nunquam extiterunt, aut extitura sunt, sed sub aliqua conditione existerent, aut extitissent, nisi Deo ita volente, ac disponente non existerent, aut extitissent, ut ex dictis planum est. Voluit enim Deus, & sanclvit, ut ea conditione posita, & rerum combinatione existerent, & non aliter. Circa merè autem possibilia (si erit aliquod ita mere possibile, quod non data alia causarum combinatione esset futurum) si qua est in Deo voluntas, est sola quædam simplex complacentia, quæ certè in Deo est, non tam de rerum passiva possibilitate, quam de infinitate, & interminabilitate perfectionis, sapientiæ, & virtutis suæ, sicut complacet sibi artifex in artefactis excogitandis, quæ nunquam est exequuturus. De iis porro, quæ nec sunt, nec esse possunt, nulla est in Deo voluntas. Quæ enim non possunt esse, nec bona sunt, nec possunt bona fieri: (*Ib. c. 84.*) ergo nec potest Deus ea velle, qui non vult, nisi quæ sunt, aut fieri possunt bona.

11. Jam vero ad alia extra se duplex distinguitur a Theologis divina voluntas, aut divinæ voluntatis operatio. Utraque enim, nimirum tam voluntas, quam ipsummet velle voluntatis nomine significari consuevit apud sacros, non minus quam profanos authores. Alia dicitur voluntas antecedens, alia consequens. Cujus distinctionis intellectus, inquit D. Thomas, (*23. de Ver. art. 2.*) ex verbis Damasceni desumendus est, qui primus hanc distinctionem introduxit. Sic autem Damascenus loquitur: (*1. de fid. ort. c. 23.*) Sciendum est Deum præcipua, & antecedente voluntate velle omnes salvari. Non enim nos ut puniret condidit, sed ut participes simus bonitatis ipsius, quippe bonus est. Peccantes autem punire vult, quippe justus est. Itaque prior illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, quod ex ipso est. Secunda autem voluntas consequens, & permissio ex nobis ortum habens. Hanc autem divisionem primum

Digitized by Google

Damascenum introduxisse, ideo fortasse dixit D. Thomas, quod in Dialectica, & Scholastica disputatione ea fuerit primum usus Damascenus.. De cætero enim eandem doctrinam & alii Patres tradiderunt, disertissimè quidem Joann. Chrysostom: Ubique, inquit, (*Ex homil. 1. in epist. ad Eph. in comm. pag. 766.*) beneplacitum est voluntas antecedens. Nam est & alia voluntas . Veluti voluntas prima est, ut nequis pereat; voluntas secunda, ut qui malus est, & impius pereat. Non enim impios necessitate compulsus damnat, sed voluntariè. Simile quid ex Paulo efficitur. Inquit enim: Volo omnes esse sicut me ipsum. Idem autem: volo adolescentiores nubere. Beneplacitum ergo voluntatem primam designat, voluntatem vehementem, voluntatem rei cupidam, & certam, firmamque animi sententiam. Hæc Chrysostomus. Verbo: voluntas antecedens est ejus, quod simpliciter placet; consequens est ejus, quod in his, aut illis circumstantiis placet, quia expedit. Non sunt ergo contrariæ aut diversæ voluntates, sed unius, & ejusdem diversæ habitudines ad objecta diversa. Non enim sibi contrarius est Judex, qui vellet hominem vivere, sed vult, latronem suspendi; immo ideo vult illum suspendi, quia humani generis quieti, & securitati consulit . . . . Sicut ergo dicimus de prima intentione naturæ esse, ut animal perfectum producatur; sed quod propter indispositionem materiæ nascatur imperfectum, est de secunda intentione naturæ . . . ita illud ad quod Deus, quantum est de se, creaturam ordinavit, dicitur esse volitum ab eo, quasi prima intentione, aut voluntate antecedente. Sed quando creatura impeditur propter sui defectum ab hoc fine, implet in ea Deus id bonitatis, cujus est capax, & hoc est quasi de secunda intentione ejus, & dicitur voluntas consequens. Hæc ex citatis Patribus D. Thom. (*loc. citat.*)

12. Rursum distinguunt Theologi inter beneplacitum Dei, quod est propositum, & internus actus divinæ voluntatis, & signa; quibus innotescit nobis quid velit, quid nolit Deus. Et quidem circa bonum præsens signum divinæ voluntatis, est ipsa operatio, sive rei eventus. Ab eo enim est omne datum optimum. Circa malum autem præsens, Permissio. De malo futuro, Prohibitio: de bono futuro necessario, Præceptum; de superabundanti, Consilium. Quinque ergo hæc sunt divinæ signa voluntatis, quæ cum Mag. Sententiarum numerat D. Thom., & Theologi communiter. Prima ergo divisio antecedentis, & consequentis voluntatis non ad voluntatem signi, sed ad beneplacitum pertinet, ut D. Thom. in citato loco adnotavit, inquit enim: (*de Verit. q. 23. a. 3.*) Voluntas in Deo propriè dicitur, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ in antecedentem, & consequentem dividitur. At Chrysostom. in loco adducto, ubi-

ubique, inquit, beneplacitum esse voluntatem antecedentem. Non est autem D. Thom. Chrysostomo contrarius. Beneplacitum enim apud Chrysostomum sumitur pro eo, quod simpliciter placet: placet autem secundum præsentes circumstantias aliquid, quod simpliciter secundum se non placeret. Secundum hæc igitur diversa placita, voluntas in antecedentem, & consequentem dividitur, ut optimè D. Thom. De utraque autem plura ex dicendis pendent, quæ suis locis dabimus.

PROPOSITIO XIII.

Est in Deo libera voluntas.

1. Libertati enim duo opponuntur, coactio nimirum, & necessitas. Et primo quidem: Omnis coactio est violenta; violentia autem in Deum non cadit, nam violentum est, cujus principium est extra; nihil autem extra Deum in Deum agere potest, ut ostensum est: (*1. prop.*) Deus igitur ab nullo cogi potest. Si ergo in iis, quæ extra se operatur, non est liber, ideo est quia necessario operatur; vel ergo necessitate naturæ, vel necessitate determinatæ voluntatis; sed neutrum: est ergo Deus liber. Prima pars minoris ostenditur I. Intellectus enim, & natura operantur propter finem, ut in Physicis demonstratur; (*1. p. q. 19. ar. 4.*) sed agens naturale nequit præstituere sibi finem, quum finis cognitione careat: ergo omni agenti naturali præstituitur finis ab aliquo cognoscente finem, sive operante per intellectum: agens ergo per intellectum est prius agente per necessitatem naturæ; sed Deus est primum agens, ut ostensum est: (*prop. 1.*) ergo non agit per necessitatem naturæ. II. Agens naturale, & effectus naturalis coincidunt in idem specie, quia omne agens agit sibi simile, & hoc ideo, quia omne agens naturale agit per formam naturalem, quæ sub certa specie continetur, & semper eodem modo se habet, unde est ad unam speciem effectus determinata. Si ergo Deus agit per naturam, effectus ejus essent ejusdem speciei, & naturæ cum Deo quod ex prædictis esse non potest: (*prop. 5.*) Deus ergo extra se non operatur per necessitatem naturæ. III. Effectus a sua causa profluunt secundum modum, quo in ea præexistunt; præexistunt autem in ea secundum modum ipsius: unde domus in mente artificis non est lignea, aut lapidea; sed Essentia Dei, in qua res omnes, tanquam in causa præexistunt, est ipsamet Dei intellectio, ut ostensum est: (*prop. 7.*) res ergo præexistunt in Deo secundum modum intelligibilem: sed forma in mente artificis existens non potest agere, neque similitudinem suam in

Digitized by Google

externa materia imprimere, nisi media voluntate: Deus igitur per voluntatem operatur, & non per necessitatem naturæ, quod erat priori loco demonstrandum.

2. Demonstratur item secunda pars primæ minoris, nimirum, Deum non necessario velle quæcumque extra se vult, necessitate voluntatis. (*1. cont. Gent. c. 81. 1. p. q. 19. ar. 3. 23. de Ver. art. 4.*) Voluntas enim non fertur necessario, nisi in illud, quod est primarium, & adæquatum ejus objectum, & ultimus finis, vel in ea, quæ ad finis consequutionem sunt simpliciter necessaria; sed objectum primarium, & adæquatus finis divinæ voluntatis est solum divina bonitas, quæ ab rebus creatis non pendet, nec ut sit, nec ut melius sit, ut ex præmissis patet: nullam ergo creaturam Deus necessariò vult. Confirmatur: Ordo divinæ voluntatis ad res, est idem ordo divinæ Bonitatis ad res; sed ordo divinæ Bonitatis ad res non est necessarius, quum sine illis stare posset: ordo ergo divinæ voluntatis ad res non est necessarius. Præterea: Quum Deus alia a se non velit, nisi propter suam bonitatem, eatenus ea vult, quatenus divinam bonitatem participant; sed divina bonitas est infinitis modis ab infinitis creaturis participabilis: Deus ergo si necessariò vult, infinitas creaturas vellet, si autem vellet, essent, quum ejus voluntas sit causa rerum, ut ostensum est: (*in prop. 11.*) creaturæ igitur essent actu infinitæ. Item: Res a Deo procedunt, sicut artefacta ab artifice; sed nullus artifex artem suam exercet, nisi liberè, nam omnis ars est quidam habitus; habitus autem est, quo utimur, quum volumus: Deus ergo liberè operatur.

3. Ulterius: Omnis operationis principium est forma. Unumquodque enim operatur, quatenus est actu; est autem unumquodque actu per formam. In agente igitur naturali operationis principium est forma naturalis; in agente autem intellectivo forma per intellectum apprehensa; sed intellectus potest non solum plura, sed etiam eandem rem pluribus modis apprehendere: apprehensio igitur non est determinata, nec determinativa ad unum; sed vis appetitiva sequitur apprehensivam, quia objectum voluntatis est bonum apprehensum: ergo voluntas non est ad unum determinata: omne igitur agens per intellectum, sive omne intellectivum est liberum: Deus autem est maxime intellectivus: ergo maximè liber. Adhuc: Voluntas fertur in bonum apprehensum: ergo eo modo, atque impetu fertur, quo bonum apprehenditur, quod & proprio experimento comprobatur; sed nullum bonum creatum apprehendi potest, aut apparere intellectui, ut omnino, & usquequaque bonum maximè, si apprehendens talis sit, qui falli non possit, ut Deus est, quum omnis creatura sit aliquo modo imperfecta: in nullum ergo bonum creatum voluntas omni-

Digitized by Google

omnino fertur, & maximè divina: non ergo quæcumque Deus vult, necessasio vult. Amplius: forma apprehensa per intellectum est universalis; actio autem est circa singularia; ergo ad formam mente apprehensam non sequitur actio externa, nisi conceptio mentis universalis ad particularia applicetur; sed hæc conceptio universalis potest applicari ad multa, & diversa particularia, quæ sub universali conceptu continentur; talis autem applicatio est judicium de agendis: ergo judicium de agendis non est ad unum determinatum: omne igitur agens intellectivum habet indifferens judicium de agendis, sive liberum arbitrium, quod definitur: liberum cum ratione judicium.

4. Deinde: Liberum est, quod sui causa est: ergo quod non est sibi causa agendi non est liberum: sed quod non agit, nisi ab alio motum, non est sibi causa agendi: ergo id solum liberum est, quod movet se ipsum. In omni autem movente seipsum, oportet aliquid esse movens, & aliquid motum, motum vero est appetitus; movens est intellectus, phantasia, aut sensus, quarum potentiarum est judicium: ergo id solum movet seipsum, cujus est judicare: Quæcumque igitur sunt libera, liberum habent judicium, sed non libere judicant, nisi quæ se ipsa movent ad judicandum; nihil autem potest se ad judicandum movere, nisi supra suum judicium reflectatur: omnia vero, & sola intelligentia supra suum judicium reflectuntur: omnia ergo, & sola intelligentia sunt libera. Est autem Deus summè intelligens: ergo & summè liber. Confirmatur: In omni se movente liberè, actio externa sequitur judicium de bonitate, & convenientia agendorum; sed de bonitate agendorum judicari non potest, nisi apprehendatur ipsa communis ratio boni, nec enim judicari potest hoc tale bonum esse, nisi boni ratio habeatur: communis autem boni ratio ab omni, & solo intelligente apprehendi potest: omne ergo, & solum intellectivum est liberum. Omitto multa Scripturarum, Patrum, & Philosophorum testimonia, quæ eorum studiosis occurrunt passim.

5. Omittendæ tamen non sunt difficultates nonnullæ, ex quarum solutione præjacta doctrina maximè illustrabitur. Sic enim Spinosistæ, atque alii divinæ libertatis impugnatores argumentantur: Actio Dei, secundum prædicta, ab ejus Essentia non distinguitur, quod maximè verum est de actione immanente, quales sunt voluntatis, mentisque operationes: ergo vel nullus divinæ voluntatis actus potuit non esse, atque adeo nullus est liber, aut ipsa Dei essentia potuit non esse, quorum utrumque præmissis non cohæret. Item: Omne æternum est necessarium; sed omnis actio Dei est æterna, quum sit ejus essentia: ergo omnis actio Dei est necessaria, neque Deus est in agendo liber. Præterea: Si Dei voluntas circa creaturas est libera;

est indifferens; sed quod est indifferens, eget aliquo determinante; quia ab indifferenti ut tali, non oritur determinatio: ergo divina voluntas ab alio determinabitur, quod prædictis opponitur. Ulterius: Existens, aut futurum, quamvis in se contingens, habet tamen necessariam habitudinem ad divinam scientiam, unde quidquid Deus scit, necessario scit: ergo etiam habet necessariam habitudinem ad divinam voluntatem, atque adeo quidquid Deus vult, necessario vult. Denique: Quod est Deo naturale, est necessarium; sed Deo naturale est velle, quæcumque vult, quia nihil in eo esse potest, quod contra, aut præter naturam sit, nam quod est contra naturam, est violentum; quod est præter naturam est adventitium, quorum utrumque Deo non competit, ut in Metaph. habetur, & supra ostensum est: (*in præc.*) necessarium est igitur Deum velle quidquid vult. Hæc illi.

6. Primum porro argumentum difficultatem tangit multum inter Scholasticos Theologos exagitatam, circa constitutionem actuum liberorum Dei, pro cujus solutione notandum est ex supra dictis; voluntatis divinæ unicum, & simplicissimum esse actum, quo Deus vult se, ut finem, & alia a se in ordine ad se ut finem. (*in præc.*) Habitudo ergo divinæ voluntatis ab bonitatem divinam est necessaria, atque adeo Deus seipsum de necessitate vult; habitudo autem divinæ voluntatis ad creaturas est secundum habitudinem divinæ bonitatis ad ipsas: quum igitur nulla creatura ad infinitam Dei bonitatem, & perfectionem, vel efficiendam, vel augendam, vel conservandam necessaria sit, actus idem divinæ voluntatis, qui relatè ad divinam bonitatem est necessarius, relatè ad res alias extra se liber est, seu non necessarius. Actus igitur Dei liber nihil est aliud, quam actus necessarius divinæ voluntatis dicens habitudinem non necessariam ad alia extra se . . . Divinum ergo velle (*loc. cit. de Verit.*) necessitatem habere ex parte ipsius volentis, indubitabiliter verum est, sed quod non ex necessitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ex defectu divinæ voluntatis, sed ex defectu, qui competit volito secundum suam rationem, quia nimirum ut sine illo possit esse perfecta bonitas Dei, qui quidem defectus consequitur omne bonum creatum. Hinc in scholastica forma distinguo primam partem consequentis: nulla actio Dei potest non esse secundum absolutum, & subjectivum quod dicit, sive ex parte volentis, concedo; secundum terminativum, & relativum quod dicit, sive ex parte rei, nego. Sicut igitur actio Dei creantis mundum est æterna, & tamen creatio mundi non est æterna, quia Deus actione æterna creat, & regit mundum in tempore; ita actus divinæ voluntatis circa quodcumque creatum est necessarius, & tamen velle creaturam, non est ne-

Digitized by Google

necessarium, quia Deus actu necessario vult rem sibi non necessariam.

7. Dices: Libertas est Deo intrinseca, sicut & denominatio libere volentis. Item: actus liber est intrinsecè liber: ergo per aliquid intrinsecum constituitur, & non per habitudinem extrinsecam. Totum conceditur. Libertas enim in Deo nihil est aliud, quam ipsius summa perfectio, ratione cujus est omnino independens, sibi sufficiens, & nullius indigus. Libertas autem actus non consistit in habitudine, quam connotat, aut non connotat, sed quod habitudinem illam non necessariò connotat, quia res, quæ est illius actus terminus, non est ad Dei perfectionem, felicitatem, beatitudinem necessarius. Inde & denominatio libere volentis est Deo intrinseca, quippe ab intrinseca forma proveniens, non ab extrinseca habitudine, sed quia illa habitudo non est sibi necessaria propter summam, & infinitam perfectionem, per quam bonorum nostrorum, & omnino rerum creatarum non eget. Insurges vero: Actui, quo Deus vult existentiam mundi est intrinseca habitudo, seu relatio ad mundi existentiam; sed hæc habitudo non est ipsa entitas actus, quia stante ipsa entitate actus, potuit Deus non voluisse mundum, ut fatemur: est ergo aliquid entitati actus superadditum. Distinguo ultimum consequens: Est aliquid reale superadditum, nego; aliquid rationis superadditum, concedo. Urgebis: Relatio, sive habitudo illius actus ad mundi existentiam est realis: ergo per aliquid reale constituitur. Distinguo item consequens: ergo per aliquid reale existens in aliquo extremorum, concedo; in utroque extremo relationis, nego. Relatio enim cognoscentis ad cognitum est realis, & tamen non constituitur per aliquid reale superadditum rei cognitæ, sed per aliquid reale in cognoscente. Similiter relatio dextræ, aut sinistræ est aliqua relatio realis, & tamen non per mutationem realem in columna, sed in situ animalis. Ita igitur relatio volentis, aut creantis, & universim omnia, quæ de Deo relativè ad creaturas dicuntur, sunt aliquid reale in creatura, quam Deus vult, aut creat, non in Deo volente, aut creante, in quo voluntas, & actio idem est quod Essentia.

8. Dices adhuc: Si habitudo divinæ voluntatis ad mundi existentiam non est aliquid reale ex parte Dei superadditum, sed solum ex parte mundi, talis relatio non esset nisi mundo existente, atque adeo inciperet in tempore, sicut de relationibus Domini, Creatoris, & judicis docet D. Thomas: (*1. p. q. 14. art. 15. ad 1.*) Deus ergo non diceretur volens ab æterno; sed hoc est falsum, dicitur enim: (*Jerem. c. 31.*) Charitate perpetua dilexi te: ergo habitudo illa dicit aliquid reale, non solum ex parte termini, sed etiam ex parte Dei. Negatur antecedens. Quia voluntas solum est finis, aut eorum, quæ

quæ sunt ad finem. Hæc autem non movent physice voluntatem, solum enim movent, ut apprehensa. Unde quamvis mundi existentia, ut condecens bonitatem Dei terminet actum divinæ voluntatis, non necesse est, ut detur ab æterno, sed ut detur, quando eam Deus dari voluit. Ex voluntate enim non sequitur effectus, quando voluntas est, sed quando voluntas vult. Actiones autem aliæ, ut Creativa, Gubernativa &c. terminum exigunt physicè existentem, unde sine Dei mutatione existere possunt per solam creaturarum inceptionem, ut infra latius explicabitur. Et hæc quidem dicta sint, attenta duntaxat natura voluntatis, ut ab creata, & increata prænscindit; si autem habeatur ratio æternitatis complectentis omnia tempora, sicut Deus nec scivit, nec sciet aliquid, sed semper omnia intuetur præsentia, quia temporis differentia, in qua unumquodque existit, nunc coexistit toti æternitati, ita nec voluit aliquid ab æterno, nec volet, sed solum indesinenter vult, quia quum divina voluntas semper sit in actu, & in actu uno, qui numquam transit, actus ejus semper est, quasi in egrediendo a divina voluntate, ut ad rem aliam dixit D. Thom. (*in 1. dis. 39. q. 1. a. 1.*) Et de primo quidem argumento satis.

9. Ad secundum distinguo majorem: Omne æternum est necessarium, vel absolutè, vel ex suppositione, concedo; absolutè duntaxat, nego. Solutio est D. Thomæ, (*1. p. q. 19. art. 3. ad 1.*) & satis per se clara. Ad tertium distinguo itidem majorem: Est indifferens indifferentia passiva, sive potentialitatis, nego; activa, sive independentiæ, concedo. Hanc item solutionem habes apud D. Thomam. (*1. cont. Gent. cap. 82.*) De primo autem indifferentiæ genere philosophicum illud axioma procedit. Ad quartum respondet idem D. Thom., quod scientia est de rebus secundum quod sunt in sciente, voluntas autem comparatur ad res secundum quod sunt in seipsis. Quia igitur omnia secundum quod sunt in Deo, habent esse necessarium; non vero habent absolutam necessitatem secundum quod sunt in seipsis, ita quod sunt per se ipsa necessaria, propter hoc quæcumque Deus scit, necessario scit, non autem quiquid vult, ex necessitate vult. Possumus etiam similiter de divina scientia, ac de voluntate philosophari. Sicut enim Deus possibilia cognoscit scientia necessaria simplicis intelligentiæ, ita etiam omnia possibilia amat, seu vult voluntate necessaria simplicis complacentiæ, ut dictum est. (*prop. 12.*) nam sicut possibilia in Deo habent necessariam veritatem, ita & necessariam bonitatem. Veritas enim possibilium nihil est aliud, quam divina Essentia infinitis modis repræsentabilis, ita eorum bonitas nihil est aliud, quam divina bonitas infinitis modis communicabilis. Sicut ergo Deus semet cognoscens, cognoscit modos

Digitized by Google

dos infinitos, quibus Essentiam suam in creaturis repræsentare potest, ita semet volens, necessariò sibi complacet in modis infinitis, quibus bonitatem suam in creaturas effundere potest. Et sicut simplex intelligentia non infert alicujus rei existentiam, ita neque simplex complacentia, ut exemplo artificis supra explicatum est. Jam vero sicut præter simplicem intelligentiam est in Deo scientia visionis, qua res extra se positas in propriis naturis intuetur, ita præter simplicem complacentiam est in Deo voluntas beneplaciti, qua res in propriis naturis esse vult, aut non esse. Hæc autem voluntas non est in Deo absolutè necessaria, sicut neque scientia visionis, sed solum ex suppositione. Unde quia argumentum de solis futuris, & existentibus procedit, potest negari major propositio, aut ita explicari: habet tamen habitudinem absolute necessariam ad divinam scientiam, nego; necessariam ex suppositione, concedo. Sic enim necessarium est esse, ea quæ Deus futura scit, sicut necessarium est Sortem sedere, dum sedet, ut D. Thom. loquitur. (*1. cont. Gent. c. 67.*)

Ad quintum negatur minor cum eodem D. Thoma. (*ib. c. 82.*) Voluntas namque Dei uno, atque eodem actu vult se, & alia a se. Sed habitudo ejus ad se est necessaria, & naturalis; habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quandam, non quidem necessaria, & naturalis, neque tamen violenta, aut innaturalis, sed voluntaria. Quod autem voluntarium est, neque naturale, neque violentum necesse est esse. Sic enim in textu D. Thomæ (*1. cont. Gent. c. 82.*) legendum reor, non ut vulgo habetur, *neque* [illegible] est esse. Est enim voluntarium aliquod, quod necesse est [illegible] cut amor, quo se Deus amat, & quo beati Deum amant. [illegible] catur, ibi D. Thomam voluntarium accepisse pro libero, [illegible] viro supra quam dici potest, cautissimo, & in loquendi mo[illegible] gatissimo non adducor, ut credam. Et tamen illis D. Tho[illegible] bis utitur Dionysius Petavius, ut probet ei quod voluntari[illegible] (id est liberum) non solum opponi id, quod est violent[illegible] etiam id, quod est naturale, & necessarium. Quod, inqu[illegible] *1. l. 5. c. 4.*) adversus recentem opinionem de libertate [illegible] superioribus confutatam capitibus observari debet. Hæc obi[illegible]

10. Opponunt item: Radix libertatis est arbitrium liber[illegible] pe docet D. Thom.; sed in Deo non est liberum arbitrium [illegible] Minor probatur I. Liberum arbitrium est facultas voluntatis [illegible] nis; sed in Deo non est ratio, quia rationis operationes [illegible] cium, & discursus, quæ in Deo non esse, supra est demon[illegible] (*prop. 7.*) ergo. II. Liberum arbitrium est circa election[illegible] ctio autem est appetitus præconsiliati; consilium vero quæ [illegible] cet, quia dubitationem, & inquisitionem supponit, quæ in Deum [illegible]

non cadunt : ergo. III. Liberum arbitrium ex Augustino (*lib. 1. Retract. c. 9.*) facultas est, qua peccatur, & rectè vivitur; sed in Deo non est facultas ad peccandum, quum malum in eo esse non possit, ut supra est demonstratum : ergo. Denique : actum liberum bonum (qualis solum in Deo esse potest) consequitur laus; sed laus Deo non competit, quia laus non est ejus, quod est natura optimi, sed ejus quod fit optimum per propriam electionem, ut in 1. Ethicor. dicitur : Deus autem, & divina omnia sunt natura optima: non est ergo Deus in suis actibus liber. Hæc tamen levia sunt. Negatur igitur prima minor, cujus primam probationem distinguo : Est facultas rationis strictè sumptæ secundum quod ratio significat facultatem perceptivam per compositionem, aut divisionem, nego. Et in hoc sensu Deum rationalem dici posse, negat D. Thom. (*7. de potent. per totum, & alibi.*) rationis largè sumpta secundum quod significat potentiam apprehensivam immaterialem concedo. Et sic ponitur a Dionysio inter divina nomina, & Dei Verbum græcè λογος, seu ratio dicitur. Responderi etiam potest, definitionem illam Philosophi intelligendam esse de libero arbitrio humano; non autem univocè libertas de Deo dicitur, & de nobis, sicut nec scientia, aut voluntas, aut quicquam omnino eorum, quæ de Deo, & creaturis prædicantur. Utraque solutio habetur (*in 23. de Verit. articulo 3.*) Eademque adhibenda est ad secundum, & tertium. Illæ enim sunt definitiones electionis, & voluntatis ut in hominibus inveniuntur; non autem simpliciter. Consilium enim quod cum inquisitione & hæsitatione est, accidit electioni secundum quod invenitur in natura rationali, quæ veritatem noscit per discursum; sed in natura intellectuali, quæ habet simplicem acceptionem veritatis, electio invenitur sine præcedente inquisitione. Hæc D. Thom. (*loc. cit. ad 4.*) qui etiam alibi ita interpretatur Damascenum electionem in Deo negantem. In Deo enim, ajebat Damascenus, (*lib. 2. c. 22.*) voluntatem dicimus; electionem non dicimus. Non enim consultat Deus, quia ignorantis est consultare. Quod si non est in Deo consilium, nec electio. Hæc autem ita exponit D. Thom., (*2. 2. q. 14. a. 1. ad 2.*) ut intelligantur de Electione secundum imperfectum illum modum, quo in nobis invenitur. Ad quintum explico minorem : Laus strictè sumpta in sensu philosophico Deo non competit, concedo; largè sumpta in sensu cummuni, nego. Laudatur enim propria, & stricta laude, qui (*Ecc. 31.*) potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Deus autem quamvis non sit a natura determinatus ad operandum extra se, est tamen determinatus ad benè operandum : non enim potest malè operari. Propterea & major omni laude dicitur, & ei silere omnem laudem.

In

In aliquo tamen sensu laus Deo propriè convenit, quatenus liberrimè bonitatem suam in creaturas diffundit, & sic intelligenda omnia loca Scripturarum, quibus laus Deo tribuitur, & ad ipsum laudandum invitamur, aut etiam largè sumpta laude pro gratiarum actione ob divina in nos beneficia, aut pro complacentia, congratulatione, admiratione divinarum perfectionum, aut operum. Ita D. Thom. (*23. de Verit. & 2. 2. qu. 91. art. 1. & alib.*)

II. Patet porro ex dictis, voluntatem Dei esse immutabilem, & quînam immutabilitas hæc cum libertate non pugnet. Quum enim objectum voluntatis sit bonum apprehensum, mutabilitas, aut immutabilitas voluntatis sequitur mutabilitatem, aut immobilitatem apprehensionis. Apprehendi autem res potest ut bona, vel quia de novo incipit esse bona cognoscenti, vel quia ejus bonitas de novo cognoscitur, quæ antea latebat. Quorum primum arguit mutationem in natura cognoscentis, secundum vero in cognitione, quæ in Deo esse non possunt: unde dictum est: (*Numer. 23.*) Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec quasi filius hominis, ut mutetur. Non enim est (*Jacob. c. 1.*) apud ipsum transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Metaphoricè ergo intelligenda illa: Tactus dolore cordis intrinsecus, Pœnitet, inquit, (*Gen. 6.*) me fecisse hominem .... (*Jerem. 18.*) Agam & ego pœnitentiam super malo &c. cum aliis similibus. Quod autem de pœnitentia, idem de reliquis illis affectionibus dicendum est, (*1. cont. Gent. c. 89.*) quæ imperfectionem important aliquam, ut desiderium, & spes, quæ sunt de futuro bono, tristitia, & dolor, quæ oriuntur ex præsenti malo conjuncto, aut non conjuncto, timor, qui est de malo futuro, invidia, & ira, quæ sunt species tristitiæ. Hæc igitur quum in Deo in scripturis tribuuntur, metaphoricè intelligenda sunt ab effectus similitudine, non ab affectus qualitate. Amor autem, gaudium, & delectatio, & alia hujusmodi, quæ neque ex objecto, nec ex mo[illegible] dendi in illud, imperfectionem important aliquam, de Deo [illegible] dicuntur. (*ibid. c. 90. & 91.*) Quum vero intensio, & rem[illegible] quædam affectuum proprietates, quæ in natura immutabili lo[illegible] habent, quum dicitur, Deum hoc magis quam illud amare, [illegible] magis quam de illo gaudere &c. intelligenda hæc sunt non [illegible] ctus vigore subjectivo, & intrinseco, sive de ipsa actus [illegible] quæ crescere, & minui non potest, sed objectivo, ut ita di[illegible] sive ratione objecti. Unde Deus magis amat, non quem maj[illegible] ritatis ardore prosequitur, sed cui majus bonum confert. Hi [illegible] voluntatis actus in Deo passiones non sunt, sicut in nobis esse [illegible] lent. (*ib. cap. 89.*) Passiones enim non sunt, (*7. Physic.*) in[illegible] secundum sensitivam affectionem, sensus autem est virtus [illegible]

re, unde omnis paſſio cum quadam corporis immutatione conjuncta eſt. Libertati etiam officit, voluntatem ſecundum quemdam impetum ad unum determinans, ſicut natura, & judicium rationis invertens: unde talis unicuique finis apparet, qualis verſus ipſum paſſione affectus eſt, ut in Ethicis habetur: Item omnis paſſio, quum ſit actus hujus ab hoc, eſt exiſtentis in potentia, quod cum ſumma Dei perfectione ſtare non poteſt. Quod autem de affectibus, idem etiam de virtutibus dicendum. Unde quænam Deo tribuendæ, quæ non ex propria cujuſque indole, ac definitione conſiderare oportet. Quæcumque vero in Deo ponantur, non ſecundum habitum ipſi tribuendæ ſunt. Omnis enim habitus, quum ſit de genere qualitatis, & potentiæ admixtum aliquid præſeferat, imperfectionem ſecum affert divinæ ſimplicitati repugnantem.

PROPOSITIO XIV.

Deus eſt potens.

1. p. quaſt. 25. 1. de Pot. 2. cont. Gent. c. 8.

1. Loquimur de potentia activa. Paſſivam enim in Deo nullam eſſe patet ex ſupra demonſtratis. Activa autem potentia perfectio eſt. Agit namque unumquodque ſecundum quod eſt actu: ergo quod maximè eſt in actu, eſt maximè activum: Deus autem maximè eſt in actu, quum ſit merus actus: eſt igitur maximè activus. Item: Potentia activa dicitur relatè ad id, quod ab ea eſſe poteſt. Quidquid enim eſſe poteſt, in alicujus cauſæ virtute continetur: ſed quod poteſt eſſe, poteſt non eſſe; quod autem poteſt non eſſe, quum cauſa ſui indigeat, non poteſt eſſe prima, & univerſalis cauſa omnium, quæ ſunt; prima ergo, & univerſalis cauſa omnium, quæ eſſe poſſunt, neceſſaria eſt; nihil autem præter Deum neceſſe eſt eſſe: omnia ergo quæ eſſe poſſunt, in Deo tanquam in cauſa continentur, ab eoque habent ut ſint: eſt igitur in Deo potentia eorum effectiva. Præterea: demonſtratum eſt, (*prop. 1.*) Deum eſſe primam cauſam, & primum agens, & movens; ſed primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum illius generis: ergo Deus cauſa eſt omnis actionis, & omnis motus; ſed plura agentia naturalia agunt, & movent in genere cauſæ efficientis, ut in Phyſicis demonſtratur: ergo Deus in genere cauſæ efficientis eſt primum agens, & movens; ſed cauſæ efficientis potentia, activa eſt; in Deo igitur eſt potentia activa. Ulterius: Unumquodque tanto eſt perfectius, quanto poteſt ſibi ſimile producere; ſed Deus eſt agens perfectiſſimum:

ergo

ergo ſibi ſimile poteſt producere; ſed potentia activa attenditur ſe-
cundum virtutem producendi ſibi ſimile. Eſt igitur in Deo activa
potentia.

2. De hac autem, ſicut nuper dicebamus, ut de reliquis, quæ de Deo, & creaturis prædicantur, loquendum, & cogitandum eſt, nimirum non eſſe eorum nominum eandem in Deo, & in creaturis rationem. In creatis enim omnis potentia operativa eſt accidens, & de ſecunda ſpecie qualitatis. In Deo autem neque qualitas, neque accidens eſt ullum, ut ſupra oſtenſum eſt. (*prop.* 3.) Potentia igitur in Deo non eſt aliquid divinæ naturæ, atque Eſſentiæ ſuperadditum, ſed ejus Eſſentia eſt ipſamet operativa potentia. Similiter neque actio Dei ab ejus potentia, id eſt, Eſſentia diſtinguenda eſt. Actio enim potentiam perficit. Si ergo actio Dei ab ejus potentia, ſive Eſſentia diſtingueretur, Dei Eſſentia per aliquid a ſe diſtinctum perficeretur: ergo nec ſimplex erit, nec ſummè perfecta Dei natura per ſeſe, cujus oppoſitum ſupra eſt demonſtratum. (*prop.* 3.) Porro in creatis potentia operativa, & principium facti eſt & principium actionis, quæ a potentia diſtinguitur, ſicut potentia ab Eſſentia; in Deo invenitur ratio cauſæ, & potentiæ, non quatenus id nomen ſignificat principium actionis, quum ipſa actio ſit Eſſentia, & potentia; ſed quatenus ſignificat principium rei factæ.

3. Ex hac item ratione efficitur Dei infinitam eſſe potentiam. (*1. p. q. 25. art. 2. 1. de potent. ar. 2.*) Quum enim omne agens per ſuam formam operetur, tanto eſt perfectioris in agendo virtutis, quanto perfectiùs habet formam per quam agit, unde magis calidum magis calefacit, & magis lucidum magis illuminat; ſed forma, per quam Deus operatur, eſt ſua Eſſentia, ut oſtenſum eſt; (*prop.* 12.) eſt autem in ratione Entis infinitè perfectus, ut item eſt demonſtratum: (*prop.* 6.) ergo eſt ejus virtus in agendo infinita. [illegible] tem potentia ad effecta comparetur, ex hac etiam parte [illegible] divinæ potentiæ conſideratur, & non ſolum ſecundum Eſſ[illegible] fectionem. Relatè igitur ad creaturas Dei potentia duplic[illegible] invenitur, primò ut Scholæ loquuntur extenſivè, quia nun[illegible] effectus producet, quin poſſit plures producere: ſecundo in[illegible] quia nunquam ita intenſè operatur, quin poſſit intenſiùs; [illegible] Intenſio autem in divina operatione non eſt attendenda ſec[illegible] quod eſt in operante, quia ſic eſt ipſa divina Eſſentia, ſec[illegible] dum quod attingit effectum ipſum. Sic enim quædam mov[illegible] Deo efficacius, quædam minus efficaciter, ut in citato loco de [illegible] tia habetur.

4. Efficitur hinc etiam, Deum eſſe Omnipotentem. Omnipot[illegible] autem [illegible]

autem nomino virtutem illam, cui subest omne, quod est simpliciter possibile. Dico autem simpliciter possibile, illud ex cujus positione nulla sequitur contradictio, quod in Metaphysicis explicatur. Jam vero si fieri aliquid potest, quod sub Dei potentia non contineatur, divina potentia ad determinatos effectus, aut effectuum species coarctabitur: non ergo erit infinita. Deinde: Ostensum est, (*prop. 1.*) Deum, quia est primum Ens, esse causam omnis Entis; sed nihil est possibile, nisi quatenus rationem Entis participat: nihil ergo esse potest, cujus Deus non sit author. Item: Omne quod potest esse, a se ipso non est, nec esse potest: causam ergo a se distinctam habet. Si ergo aliquid esse potest, & non a Deo, nec item ejus causa a Deo erit. Erit ergo alius ordo causarum præter Deum. Non ergo erit primum Ens, & prima causa, contra id, quod supra demonstratum est. Præterea: Illa virtus non potest ad omnia se extendere, quæ ex aliqua materia operatur, aut quæ aliquo instrumento indiget; sed Deus non operatur ex materia præsupposita, alias illa materia non esset opus Dei, nec aliquo instrumento a se distincto indiget propter eandem rationem: ergo divina virtus ad determinatos effectus non coarctatur. Est ergo Deus omnipotens.

5. Cui quidem veritati non Scripturæ solum, & Patres, quorum testimonia recensere supervacaneum esset, sed totius humani generis consensus suffragatur. Unde illi ipsi Græcorum Theologi, Poetæ inquam, quamvis turpissimis, & sibimet repugnantibus mendaciis divinam naturam obscuraverint, tamen Omnipotentem summum Deorum Jovem, quasi vi rationis acti confessi sunt. Proinde Gentes omnes quæ Idolis credunt, inquit in Apologia sua Justinus: (*apud Damas. in Ecl.*) persuasum habent, posse Deos omnia facere, sicut illorum Poeta dixit Homerus: Possunt namque omnia Divi ... Et facilè. Ubi & particulam καὶ κεῖρα adjecit: Et facilè, ut magnitudinem divinæ virtutis ostenderet. Similia observarunt in profanis scriptoribus (*ap. Petav. lib. 5. c. 5.*) Boetius, Orosius, Clem. Alex., Tertullianus, Arnobius, ex quibus Aug. (*serm. 139. de temp.*) Da mihi, non Christianum, non Judæum, sed Paganum Idolorum cultorem, qui Deum esse omnipotentem non dicat. Itaque aut nemo hoc negat, aut qui negat, nihil est illo stultius, ut citatus concludit Arnobius. (*cont. Serapion.*)

6. Hanc porro infinitam Dei virtutem Græci duabus exponunt vocibus. Nam & παντοδύναμον, & παντοκράτορα Deum vocant, quorum primum illud ad virtutem Dei omnium effectricem refertur; secundum autem latius patet, in omnes enim creaturas potestatem Dei, dominationem, vimque omnia non producentem solum, sed tuentem,

tem, regentemque significat, & latinè omnitenens, sive omnia continens reddi commodè potest. Unde quem nos in Symbolo Patrem omnipotentem, Græci πατερα παντοκρατορα dicunt. Utriusque autem vocabuli vim explicans Augustinus, Creatoris potentia, inquit, (*4. de gen. ad lit. c. 12.*) atque Omnipotentis, & omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ. Quæ virtus, si ab iis, quæ creata sunt regendis aliquando cessaret, simul & eorum cessaret species, omnisque natura concideret.

7. Ad divinam ergo omnipotentiam pertinet, non solum rerum omnium productio, verum etiam earundem conservatio; (*3. cont. Gent. c. 67. 5. de potent. art. 1. &c.*) unde portare omnia Deus dicitur (*ad Hebr. c. 1.*) verbo virtutis suæ. Conservari autem aliquid potest dupliciter; vel indirectè per remotionem corrumpentis, vel directè per jugem, atque indesinentem influxum, a quo pendeat rei existentia, & quo cessante, cessaret, sicut cessante influxu corporis lucidi, cessat lux, sive illuminatio in diaphano. Et primo quidem modo non omnis creatura divina conservatione, ac tuitione indiget: Sunt enim multa, quæ semel in rebus posita, conservantur per sese, quia a nulla contraria natura corrumpi, aut lædi queunt. Secundo autem modo omnis creatura Deo conservatore indiget, quod sic patet. Quandocumque enim forma facti est ejusdem speciei cum forma facientis, agens non est causa formæ secundum esse, sive simpliciter, sed solum secundum quid. Homo enim non est causa humanitatis simpliciter, alias esset causa sui ipsius; sed est solum causa humanitatis in hoc, id est, causa est, ut in hac materia forma hominis introducatur, & similiter in omni actione generativa; quæ solum competit agenti creato; sed Esse est ejusdem rationis in omnibus naturis subsistentibus: ergo Esse simpliciter non est effectus alicujus causæ creatæ: est igitur proprius effectus solius Dei; sic ergo est actio Dei ad esse., sicut actio generantis ad fieri; sed cessante omni actione agentis naturalis, cessaret fieri rerum, quod ab ipsa est: ergo cessante actione Dei cessaret esse rerum.

8. Item: Impressio agentis non permanet in effectu cessante actione, nisi aliquo modo convertatur in naturam, ut patet inductione in omnibus habitibus, dispositionibus, & passionibus rerum natura[illegible] lium,. quæ tanto magis permanent, quanto magis in rei natura[illegible] transeunt, sive quo magis fiunt rebus connaturales; sed Esse [illegible] potest transire in naturam alicujus rei creatæ, quia nullius [illegible] Essentia, aut quidditas est, aut esse potest suum Esse, [illegible] solius Dei est proprium, ut ostensum est: (*prop. 3.*) ergo [illegible] Esse creatum remanet, cessante actione Dei. Præterea: Sicut

tio artis supponit operationem naturæ, ita operatio naturæ supponit operationem Dei; sed cessante operatione naturæ, deficeret omnis operatio artis, sicut rueret domus, cessante soliditate, & gravitate naturali, qua se mutuo sustinent ligna, & lapides: ergo tota natura concideret, quod citatus ajebat Augustinus, cessante operatione Dei.

9. Hinc etiam illud ad divinæ virtutis omnipotentiam pertinet, ut rem quamcumque sicut producere, ita etiam possit in nihilum redigere. (*5. de pot. art. 3. & 4. 1. p. q. 104. art. 3. Quodlib. 4. qu. 2. & alibi.*) Ostensum est enim, (*prop. 1.*) Deum esse causam rerum non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse; Ostensum est item, (*in præc.*) causam esse rerum, non per necessitatem naturæ, sed per liberam voluntatem; sed quia Deus est causa rerum secundum fieri, quidquid fit virtute causarum naturalium, potuit non fieri: ergo quia est causa libera rerum secundum esse, quidquid est, potest non esse. Confirmatur, & explicatur hæc ratio: Sicut Deus est causa rerum effectrix, ita & conservatrix; sed ita est in efficiendo liber, ut potuerit non producere: ergo ita est in conservando liber, ut possit non conservare.

10. De facto tamen nullam creaturam in nihilum redactam, aut redigendam esse, credendum est. Dicitur enim: (*Sap. 11.*) Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Et item: (*Ecc. c. 3.*) Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in æternum. Quod etiam hac optima D. Thomæ ratiocinatione suadetur: Omnis enim operatio Dei circa creaturas vel est secundum naturas rerum, vel præter; sed neutro modo Deus rem aliquam in nihilum redigit: ergo &c. Minoris prima pars suadetur. Quidquid est, vel est immateriale, & omne immateriale est suapte natura perpetuum, ut infra demonstrabitur, vel est materiale, quod in materiam, ex qua est, secundum naturam resolvitur: Deus igitur, ut author naturæ, sive secundum rerum naturam agens, rem nullam in nihilum redigit. In iis vero quæ Deus, ut author supernaturalis præter, aut supra naturam operatur (de quo infra, quod nunc supponimus) omnis (*ad Corint. c. 12.*) manifestatio Spiritus, inter quas est miraculorum operatio, datur propter utilitatem, id est, in ordine ad finem salutis, sive propter augmentum gratiæ, aut gloriæ; sed in præsenti providentia nulla videtur utilitas resultare in ordine ad salutem ex eo, quod creatura aliqua in nihilum redigatur, quum potius (*ad Rom. 1.*) invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciantur: nulla igitur creatura a Deo supernaturaliter operante redacta, aut redigenda est in nihilum.

11. Ex

Digitized by Google

11. Ex dictis alia etiam divinæ Omnipotentiæ proprietas oritur, nimirum, in omni operatione agentis creati sive naturali, sive libera Deum operari. Quod quadrupliciter intelligi potest. Ostensum est enim, (*prop. 1.*) Deum authorem esse, & institutorem naturæ; sed nullum agens agit, nisi per suam virtutem naturalem: ergo nullum agens agit, nisi per virtutem sibi a Deo datam. Primum igitur Deus est principium omnis operationis tanquam causa omnis causæ operantis, & omnis operativæ virtutis. Item ostensum est, res omnes a Deo in Esse conservari, ex quo fit, ut non solum ab eo sit omnis virtus activa causarum, sed ita sit, ut semper ab ejus influxu, & operatione pendeat. Est ergo secundo causa omnis actionis, aut naturalis, aut liberæ, quatenus omnem causam, & vim omnem activam ejus indesinenti influxo tuetur, ac fovet. Ostensum est etiam, (*prop. 1.*) Deum esse primum motorem immobilem: omnis ergo creatura est movens motum; sed omne movens motum sequitur in movendo impressionem, & impulsum superioris moventis, sicut securis impressionem manus, a qua movetur, & applicatur ad operationem: ergo omne agens creatum sive naturale, sive liberum a Deo movetur, & applicatur ad agendum. Denique omne agens sive naturale, sive liberum per suam operationem tribuit effectui esse in actu; sed nihil potest tribuere esse in actu, nisi per virtutem divinam: ergo omne agens, sive naturale, sive liberum per virtutem divinam operatur. Minor probatur multipliciter. I. Ordo effectuum est secundum ordinem causarum: ergo primus, & universalissimus effectus respondet primæ, & universalissimæ causæ; sed esse est primus, & communissimus omnium effectuum, in eo enim omnes alii radicantur, & de eo omnes participant: ergo correspondet primæ, & communi rerum omnium causæ, nimirum Deo, tanquam proprius effectus ipsius. II. Omne, quod invenitur in aliquo per participationem, est proprius effectus illius, in quo invenitur per naturam, & Essentiam; si enim quod naturam calidi, aut lucidi participat, ut ferrum, vel lignum, calefacit, vel illuminat, calor, & lumen est proprius effectus ejus, in quo invenitur per naturam; sed esse per Essentiam non invenitur, nisi in Deo: ergo tribuere Esse, est proprius, & peculiaris effectus Dei. III. Item ut supra argumentabamur: Quandocumque duo, aut plures causæ præter proprios effectus, conveniunt in aliquo effectu communi, effectus ille communis in altiorem, & magis communem causam referendus est; sed omnia agentia naturalia præter proprios effectus minis v. g., aut ligni, hoc habent commune, quod omnes tribuunt esse effectui: ergo hic effectus in altiorem, & communiorem causam

referendus est, tanquam ipsi peculiaris, & proprius. Confirmarique id potest apud Dei cultores ex illo: (*Sap. c. 1.*) Creavit Deus, ut essent omnia. Unde Dionysius: Divinissimum naturæ esse, inquit, (*De Cœl. Hier. c. 3.*) cooperari Deo. Consonatque author libri de Causis, apud quem, (*inter oper. Aristot.*) Intelligentiæ non dant esse, nisi quatenus operantur virtute divina. Nam IV. agens inferius non pertingit ad effectum proprium superioris agentis, nisi quatenus ut instrumentum superioris, & virtute ejus operatur. Non enim serra facit scrinium, nisi quatenus est instrumentum fabri per illam operantis; sed omnis natura creata est agens inferius relate ad Deum, qui est primum agens: ergo nulla creatura pertingit ad effectum proprium Dei, nisi quatenus agit ut instrumentum quoddam divinæ virtutis in illa, & per illam operantis. Ab ipso igitur, (*Rom. 1.*) per ipsum, & in ipso sunt omnia . . . Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et quum conjunxerimus his, quod Deus est suamet virtus, & quod sit, ut mox demonstrabitur, intra rem quamlibet, non sicut pars Essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur, quod ipse in omni operante immediate operetur, non exclusa tamen operatione voluntatis, & naturæ. Verba sunt D. Thom. (*3. de pot. art. 7.*) diligenter notanda.

12. Multiplex enim hac in re fuit Philosophorum error. Fuerunt quippe, nec nostris temporibus desunt, qui effectus omnes, ita causis naturalibus tribuunt, ut Deum nihil existiment in natura operari, ut Epicurus, & ejus sectatores Lucretius, & Horatius, qui Deos ajebat,

> . . . . securum agere ævum,
> Nec si quid miri fecit natura, Deos id
> Tristeis ex alto cœli demittere tecto.

Et contra hos quidem statutum est, esse in Deo veram, & activam virtutem omnium effectricem, conservatricem, & motricem. Fuerunt item, suntque ex opposito, qui ita Deo omnem in natura operationem tribuunt, ut res naturales omni operativa virtute, aut vi activa, sive actuosa, & verè effectrice destitutas existiment, ut Avicebron, & alii apud R. Moisem, nec multum abest Malebranchius. (*Recherch. de la Verité.*) Contra hos naturalium agentium effectricem virtutem, & operationem ex Aristotele, ac D. Thoma alibi demonstravimus. Fuerunt etiam, suntque bene multi, qui quamvis im-

immediatum Dei influxum, & operationem in omni creaturarum actione fateantur, causas tamen liberas a Deo ad operandum moveri, atque applicari negent, eam Dei motionem libertati voluntatis creatæ inimicam arbitrantes. Enim vero non ita Deus agit, ut voluntas, aut natura non agat; immo agit quidquid natura, aut voluntas agit, & voluntatem, & naturam applicat, movetque, ut agat, sicut non ita manus movet securim, ut securis non agat; immo movet, ut agat, & ut naturaliter agat, quia ex natura sua hoc habet, ut agere non possit, nisi ab alio mota. Est tamen particularis difficultas in conciliando divinam motionem, & omnipotentissimam divinæ voluntatis efficaciam cum humana libertate, de qua, quum de hac agendum erit, disseremus. Vide interea D. Thomam in cit. qu. 3. de Potent., & maximè responsiones ad postrema quatuor argumenta.

19. Hinc alia quoque divinæ Omnipotentiæ dos fluit. (3. cont. Gentil. 98. 99., & alib.) Nec enim ita Deus in omni operante creaturarum commiscetur, ut operatur, ejusque actio actioni agentium creatorum, interdum quædam non præter solitum cursum, ordinemque naturæ hominum saluti operetur ad potiorem virtutis suæ manifestationem naturali ordini congruentem. Deus enim naturalis ordinis institutor ordinem instituere non est subjectus: ergo sicut potuit alium rerum ordinem voluerit. Dices: Dei ita potest præter ordinem institutum agere, quum lex æterna est enim vero ordo creationis, & gubernationis rerum est: (prop. ...) sed Deus contra legem suam æternam agere non potest: non potest, & alii omne decretum divinæ voluntatis immutabile, ut ostensum est, aut ne 13.) ergo Deus contra institutum in rebus ordinem agere, quæ ignotest. Hoc illud argumentum est, quo Bailius, Russojusque, & Præsentis nostrorum temporum Philosophi miraculorum existentiam aut negant, aut explicare se posse desperant. Sed cæcutiunt, & quæ ignorant, blasphemant. Est enim ordo duplex, alius totius sanctio divinæ providentiæ, & hic nihil est aliud, quam decretum, & efficientis divinæ voluntatis cuncta disponentis, ordinantis, & efficienter, ut de facto accidunt. Sub hoc autem ordine non solum contingentia, quæ accidunt, Deo se attemperante, & cooperante cum causis naturalibus juxta eorum exigentiam, & modum; sed ea etiam, quæ non attentis eorum exigentiis, Deus pro temporum opportunitate sibi facienda reservavit. Igitur contra, aut præter hunc ordinem, seriem, nexumque eventuum Deus facere non potest, quam vis solum ordinem, & seriem velle, & facere potuisset. Et hoc solum probat adductum argumentum. Alius est autem ordo rerum, seu ordo universi, & causarum singularum inter se, qui dicitur.

sus naturæ, quatenus attentis rerum exigentiis, dispositionibus, motibusque perficitur,

Dove se stesso il mondo strugge, e pasce,
E nelle guerre sue muore, e rinasce.

Quo in genere, inquit Aug., (*tract. 24. in Joann.*) Deus secundum ipsam suam misericordiam reservavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore, præter usitatum cursum, ordinemque naturæ. Deus igitur præter ordinem naturæ quandoque facit; præter ordinem autem suæ providentiæ nunquam facit; sive clarius: operatur quandoque præter illum modum, quo naturalia agentia operarentur; sed non præter illum modum, atque ordinem, quo ipse eventura cuncta disposuit. Deus, inquit Augustinus utrumque hunc ordinem apertè distinguens, (*26. cont. Faust.*) contra solitum cursum naturæ facit; sed contra summam legem (id est ordinem præsentis providentiæ) non facit, quia contra seipsum non facit. Natura etiam aut universalis est, aut particularis. Dicitur quidem natura particularis secundum ordinem singularis agentis ad singularem effectum, sicut descensus est lapidi naturalis, & præter hunc ordinem, nedum Deus, sed etiam quodvis agens naturale operatur quandoque, ut homo quum sursum lapidem proiicit. Sed hoc ipsum quod aliquid agitur contra naturam particularem, est secundum naturam universalem, quæ dicitur secundum ordinem fortiorum agentium, & magis universalium ad effectus magis universales, sive secundum exigentiam totius naturæ, præter quam solus Deus operatur, de quo dictum est: Qui facit mirabilia magna solus, (*Ps. 71.*) & hujusmodi operationes appellantur miracula.

14. Nec tamen quia in miraculorum operatione Deus consuetum ordinem, & totius naturæ facultatem prætergreditur, contra naturam facit, aut violentiam infert creaturis. (*3. cont. Gent. c. 100.*) Sicut enim quod est contra naturam particularem, v. g. lapidis ascensus, non desinit esse naturale, quia fit ad exigentiam, & impressionem aliorum agentium fortiorum, ita quod est contra naturam universalem agentium inferiorum; non est contra ordinem primum, & potissimum in omni re creata, qui est subjectio, & ordo ad primam caussam motricem, & moderatricem naturæ. Unde quum nihil sit tam naturale, & intrinsecum creaturæ, quam subjici, & subesse Creatori, quidquid Deus in sua creatura operatur, violentum, aut innaturale esse non potest. Naturam enim rebus singulis voluntas Dei attulit, inquit Hilarius. Conditor igitur, & Creator naturæ nihil contra naturam facit.

Digitized by Google

facit. Hoc enim est rei cuicumque naturale, quod ipse fecerit, a quo est omnis modus, & numerus, & ordo naturæ. Non ergo ista miracula, quum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non Deo, cui hoc est natura quod fecerit. Verba sunt Augustini, (l. 6. de Genes. ad litt. c. 13.) qui etiam alibi: (21. de Civ. c. 8.) Quomodo, inquit, contra naturam est, quod Dei fit voluntate, quum voluntas conditoris conditæ rei cujuslibet natura sit? Quid enim est aliud natura, ut ab Seneca optimè dictum est, quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inserta? An est aliud natura artefacti præter id, quod placuit artifici? Non tamen defuerunt Theologi, qui Deum contra naturam facere, & veram violentiam inferre creaturis, nec id, omnipotentiam divinam, aut Sapientiam dedecere arbitrantur. Equidem existimo, de modo loquendi controversiam hanc esse. Quum autem de rebus constat, quod ad verba pertinet, cum D. Thoma, id est, cum Patribus loquendum existimo.

15. Porro subjectionem illam naturæ intrinsecam, qua Creatoris ad nutum obtemperant creaturæ omnes, potentiam Obedientialem appellant Scholastici, quam præter alios Patres disertè explicuit Cyrillus inquiens: (3. in Joann. c. 4.) Rerum naturalium causa sola voluntas Dei jure creditur. Ideoque quoties videtur aliquid contra naturam evenire, quodammodo non contra naturam est, quia potissimum hoc eximium habet natura rerum, ut ejus, a quo est, semper jussis obtemperet, ut sicut velle Dei ejus profecto est esse, ita quoque quidquid profecto Dei virtus esse decreverit, jure aut crescendo augeatur, aut nascendo . . . Quoniam (3. cont. Julian.) quod ei libitum est, hoc singulis eorum, quæ facta sunt, pro natura est . . . Ipsa enim rerum natura, inquit Petrus Damianus, (Opusc. 36. c. 11.) habet naturam suam Dei voluntatem, ut sicut illius leges quævis creata conservant, sic illa, quum jubetur, sui juris oblita, divinæ voluntati reverenter obediat, quæ ita attingit a fine usque ad finem fortiter, ut nihil ei possit resistere, & disponit omnia suaviter, ut rerum creatarum conditionem, & jura non dat.

Nam subditur omnis
Imperiis natura suis, rituque soluto
Transit in adversas jussu dominante figuras,

ut Sedulius cecinit.

16. Duo tamen hic Augustini dicta explicanda sunt; primum quod miracula Dei, (Tract. 24. in Joann.) quibus totum mundum regit, & universam creaturam administrat, assiduitate vilis...

nemo dignetur attendere opera Dei magna, & stupenda, quæ facit in quolibet seminis grano. Et infra: Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque mille hominum de quinque panibus. Ubi miraculi nomen non in propria, & stricta significatione usurpasse, dicendum est, Sanctum Doctorem. Ea enim, quæ natura facit, aut Deus ad agentium naturalium exigentiam, nobis tamen occulta, ut dicitur, (*in 6. de pot. art. 2. in corp.*) vel etiam quæ Deus facit, nec aliter, quam a solo Deo nata sunt fieri, miracula dici non possunt, sed solum mira, vel mirabilia. Cœlum autem, (*Ib. ad 3.*) & terra, & rationales animæ non sunt secundum ordinem naturalem nata fieri ab alia causa, quam a Deo, & ideo tales creationes non sunt miracula, & idem dicendum de justificatione peccatoris, de gubernatione mundi, & similibus.

17. Alter est Augustini locus obscurior, (*in 6. de gent. ad lit. cap. 13.*) ubi disputat an numeri, sive rationes seminales, quas mundo Deus indidit in prima mundi conditione, ita sint institutæ, ut ex iis consueto solum cursu, & ordine naturalia effecta proveniant, an ita ut præter illum ordinem quædam insolita, quæ miracula dicimus, aliquando fiant? Quod secundum amplectens, restat; inquit, ut ad utrumque modum habiles creatæ sint; sive ad istum, quo usitatissimè temporalia transcurrunt, sive ad illum, quo rara, & mirabilia fiunt, sicut Deo facere placuerit . . . Nec enim potentia temeraria, sed Sapientiæ virtute omnipotens est, & hoc de unaquaque re in suo tempore facit, quod antea in ea fecit, ut posset. Ut ergo lignum aridum floreat, ut sterilis & anus pariat, ut asina loquatur, & si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex eis & hæc fieri possint . . . Nec enim ex eis vel ille faceret, quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, nam se ipso non est ipse potentior. Ex quibus sic argumentum efformatur: Hoc Deus de unaquaque re facit in decursu temporis, quod antea in ea per rationes seminales inditas fecit, ut posset, v. g. ut asina loquatur; sed quod elementa, aut creatura quævis per rationes seminales sibi inditas potest, non excedit facultatem naturæ, quum rationes seminales sint facultates naturales rebus a creatione inditæ: ergo nihil Deus de unaquaque re in decursu temporis, facit, quod facultatem naturæ excedat; sed quod facultatem naturæ non superat, non est miraculum, nam miraculum, ut ex Aug. eodem habet D. Thomas, est aliquid arduum, & insolitum supra naturæ vires, & præter spem admirantis apparens: ergo nihil, quod Deus de unaquaque re facit, est miraculum.

18. Dicendum est tamen, Augustinum numeros, seu rationes seminales induxisse ad explicandum non solum habilitatem naturæ ad

omn agen-

Digitized by Google

agendum, sed etiam ad patiendum; ad explicandum, inquam, non solum quid elementa, aut agentia quævis creata operari possent per propriam, & naturalem activam virtutem, sed etiam quid in eis, aut ex eis fieri posset per virtutem supremi agentis, ut ex ejus verbis satis apertè liquet. Ex quo sic explicandam reor illius syllogismi majorem: quid fecit, ut possent potentia activa, vel passiva, concedo; potentia solum activa, nego . . . Est autem res aliqua in potentia passiva ad diversa secundum habitudinem ad diversa agentia. Unde nihil prohibet, ut natura creata sit in potentia ad aliquid faciendum per divinam potentiam, quæ inferior potentia facere non potest. Et hæc vocatur potentia Obedientiæ, secundum quod quælibet creatura obedit Creatori. Hæc D. Thom. (*in cit. quæst. art. 1. ad 18.*) eamque fuisse mentem Augustini, patet ex verbis sequentibus. Pergit enim Augustinus: (*l. 9. de Genes. c. 17.*) Verum alio modo dedit, ut hoc non haberent in motu naturali, sed in eo, quod ita creata essent, ut eorum natura voluntati superiori amplius subjaceret.

19. Superest solum explicandum, quomodo Deus omnipotens dicatur, (*2. cont. Gent. c. 25.*) cum quædam non possit, quod imperfectæ nostræ naturæ præcipuum solatium, nescio an impiè magis, quam stolidè vocavit Plinius. (*hist. nat. lib. 2. c. 7.*) Nam neque potest, inquit, sibi mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis, nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos, nec facere, ut præterita non fuerint. Atque, ut facetis quoque argumentis, societas hæc cum Deo copuletur, ut bis dena viginti non sint, Deus facere non potest. Ubi veris falsa commiscuit argumentator ineptissimus. Primum enim illud verum est, mori non posse Deum, nec item

Infecta facere facta, quæ fuerint prius,

ut ille apud Aristotelem (*lib. 6. Eth. c. 3.*) cecinit: nec [illegible] item rerum quidditates ipsis manentibus, evertere, aut immutare. At mortales immortales facere, & mortuos ad vitam revocare non posse solum, sed etiam fecisse, & facere, alibi invictissimis argu[illegible] monstrabitur. Addere alia plura potuisset; si Deum non [illegible] mentiri, vel quoquomodo peccare, mutari, sedere, ambulare, [illegible] mire, quicquam oblivisci, aut nescire, & hujusmodi in[illegible] posse Deum, quæ si posset, omnipotens non esset. Omnipotens quippe est, faciendo quidquid vult, non patiendo quod non [illegible] (*ut ait Augustinus serm. 109. de temp. & 5. de Civ. D.* [illegible] Ostensum est autem supra, Deum omnipotentem dici, non [illegible]

(...)

dum potentiam passivam, quæ in eo esse non potest, sed secundum virtutem activam. Statutum est item, omnipotentem eum dici, quia omnia potest, quæ contradictionem non implicant. Ex quo principio reliqua deducenda sunt, quæ non posse Deum impunè, immo sapienter, dicunt Orthodoxi Theologi. Quid est autem aliud mori, quam esse desinere? Deum autem necesse est esse, ut ostensum est: (*prop. 1.*) mori ergo Deum, esset desinere esse, quod necesse est esse, quæ apertissima contradictio est. Quod si hoc optimum dedit homini Deus in tantis vitæ pœnis, ut posset sibi mortem consciscere, quod pessimus ille Ethicus assumit, & alibi impugnabitur: ergo seclusis vitæ pœnis, non esset homini optimum, sibi mortem consciscere; sed Dei vita nullius pœnæ est capax.

Omnis enim per se Divum natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur . . .

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, ut est apud Lucretium. Horatius etiam didicit, Deos securum agere ævum. Tullius, Homerus, Plato, & oculatissimi quique Philosophorum, immo omnes fere gentes, Deum beatum quoddam animans esse, cognoverunt: ergo mori non esset optimum Deo, ruitque similitudo illa seu Societas, quam imperfectæ nostræ naturæ solatium præcipuum esse voluit turgidus Declamator. An fuit unquam, qui Regem aliquem ideo minus potentem dixerit, quia vinci non potuerit, aut regno, vel vita spoliari? En igitur laudatissimi Plinii argumentationem. Non ergo potest, quum omnia possit, seipsum destruere, inquit Hugo Victorinus. (*li. 1. p. 2. c. 22.*) Hoc enim posse, posse non esset; sed non posse. Itaque omnia potest, quæ posse potentia est, & ideo est verè omnipotens, quia impotens esse non potest. Nam qui ea potest, quæ sibimet non expediunt, ea non potentia potest, sed impotentia . . . Non enim dicitur posse, quia ipse potest, sed quia impotentia sua facit, ut aliud in se quicquam possit, ut loquitur Anselm. (*in prosolog. cap. 7.*)

20. Jam vero quisquis hoc dicit: Si omnipotens est, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere: Si omnipotens est, faciat, ut quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint. Non est enim, quod verè dicimus fuisse. Sed ideo verum est illud fuisse, quia in nostra sententia verum est, non in reipsa, quæ jam non est. Sententia quippe, qua dicimus, aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non potest falsum facere, quod verum est. Verba sunt Aug. (*in 26. cap. 5. contra Faustum...*)

stum . . .) Nimirum, sicut omne quod est, quamdiu est, necesse est esse, ita omne quod fuit, ex suppositione quod fuit, necesse est fuisse, uti argumentatur Petrus Damianus. (*opus. 36. cap. 5.*) Idem ergo est dicere, faciat infecta, quæ facta sunt, ac dicere, faciat ut quæ sunt actu, non actu sint, quod apertissimæ insaniæ est. Hinc illud Hieronymi: (*in ep. ad Eust.*) Quum omnia possit Deus, suscitare Virginem post ruinam non potest. Quid ita? Quia alienum est a Deo penitus mendacium; mendacium autem esset, si efficeret, ut quæ strupum passa est, nunquam sit passa, quod est apud Cyrillum (*l. cont. Antropom. c. 1.*)

21. Item quum remota quidditate, aut aliquo ex prædicatis rei intrinsecis res ipsa deficiat, quia species seu quidditates rerum sunt, sicut numeri, qui per minimam additionem, aut substractionem variantur, rerum quidditates, ipsis manentibus, everti non possunt. Esset enim simul res, & non esset. Quæ autem contradictionem implicant, sub divina Omnipotentia non continentur, non propter defectum divinæ omnipotentiæ, sed quia illa non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientiùs dicitur, quod ea non possunt fieri a Deo, quam quod Deus non possit ea facere. (*De potent. ar. 3.*) Posse mentiri, posse mutari, aut nescire aliquid, infirmitatis, & imbecillitatis, non potentiæ argumenta sunt. Defectus enim sunt, & privationes rerum, potius quam res: defectus autem causam efficientem non habet, sed deficientem: causa vero deficiens infirma, & imbecillis est. Impossibile est igitur mentiri Deum, aut mali aliquid facere. Sed istud impossibile non infirmitatis est, inquit Ambrosius, (*Annot. in Num. ad Chrom. t. 2. Coll. 458.*) sed virtutis, sed majestatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem. Similiter dicendum est de sessione, & hujusmodi corporum affectionibus, aut inferiorum naturarum proprietatibus, quæ cum divinis perfectionibus pugnant.

PROPOSITIO XV.

Deus immensus est.

3. cont. Gent. c. 68. 1. p. q. 8. & alibi.

1. IMmensum voco, quod ubique totum simul, & semper est. Demonstratur propositio primum: Movens, & motum oportet esse simul, ut in Physicis demonstratur; sed Deus rem omnem creatam movet, applicatque ad suam operationem, ut nuper demonstratum per præc.: ergo ubique, sive in omnibus rebus est

non secundum aliquid sui, quum sit Ens simplicissimum, ut ostensum est per tertiam, neque solum in aliquo tempore, quum non moveatur neque secundum locum, neque secundum aliquam speciem motus, ut item statutum manet: ergo est ubique totum simul, & semper, quod immensum dicimus. Item: Quum omne, quod est in aliquo, ipsum aliquo modo contingat, sicut corpus contingit locum contactu quantitatis, ita res incorporea contactu virtutis; sed si esset corpus aliquod infinitæ quantitatis, repleret omnem locum: ergo si est res aliqua infinitæ virtutis, omnem locum contingeret; sed Deum esse infinitæ virtutis, supra est demonstratum: Deus igitur in omni loco est. Præterea: Causa, & ejus proximus, & immediatus effectus semper inveniuntur esse simul; sed in omni re creata invenitur aliquid, quod sit proximus, & immediatus effectus Dei, nam in omni creatura est aliquid, quod non fit, nisi per creationem; creare autem est proprium solius Dei, quod utrumque alibi demonstratur: (*lib. 5. prop. 2.*) oportet ergo, Deum omni creaturæ adesse. Ulterius: Causa, quæ non est præsens nisi uni suorum effectuum, non potest suam virtutem derivare ad aliorum productionem; nisi illo mediante: ergo quum Deus sit causa omnis entis, ut statutum est, (*in præced.*) si non est præsens omni enti, per aliquod intermedium reliqua omnia produceret; sed causa intermedia debet esse porportionata ad omnes effectus, quos per illam causa suprema producit: effectus autem, quos Deus potest producere, sunt tam numero, quam specie infiniti, ut dictum est: (*in præc.*) ergo causam illam intermediam oporteret esse proportionatam ad productionem effectuum tam numero, quam specie infinitorum; sed finiti ad infinitum non est proportio: ergo causa illa intermedia non esset finita, atque adeo nec creatura, quod apertam contradictionem involvit.

2. Cæterum ajunt quidam, inquit Athanasius, (*orat. de incarn. Dei nat.*) Deus in omnibus est efficacia operandi: essentia vero nusquam. Vim autem hanc operatoriam vocant effectum, qui ex ea virtute procedit. Hæcque fuit posterioribus hisce sæculis sententia Eugubini ajentis, (*in ps. 138.*) præsentiam Dei in rebus omnibus, non substantiæ esse, sed potentiæ, ad instar effluxus cujusdam tanquam radiorum, ajebat, sive lucis ab eo manantis, omniaque implentis. At Ego dico, (pergit Athanasius) Dei operationem ab ipsa divina natura sejungi non posse ... Unde ubicumque actio Dei apparebit, una cum ipsa, & substantia consideratur, a qua actio procedit. Si ergo in toto universo virtus Dei operatoria cernitur; ab hac autem substantia sejungi non potest, circa totum, & in toto universo præsens est Dei substantia. Namque in simplici, & incircumscripta natura, (*inquit Basilius 5. cont. Eun.*) eadem est substantiæ, & operatio-

rationis ratio. Ex quo etiam capite Anselmus, Hugo Victorinus, & alii Scholastici argumentantur. Prætermittendus tamen non est Hilarius inquiens: (*lib. 8. de Trinit.*) Deus immensæ virtutis, vivens potestas, quæ nunquam non adest, se totum per sua edocet, & sua non aliud, quam se esse significat, ut ubi sua sint, ibi ipse esse intelligatur. Non autem corporali modo, quum alicubi insit, non & ubique esse credatur, quum per sua in omnibus esse non desinat, non autem aliud sint, quam quod ipse est, quæ sua sunt. Illa ergo distinctio de immediatione virtutis, & suppositi, qua nonnunquam utuntur Scholastici, locum habet, ubi actio a virtute, & virtus a supposito distincta est; in Deo autem, quum neque actio a potentia, nec potentia a substantia distincta sit, ut supra ostensum est, (*prop. 12.*) id locum non habet. Si ergo Dei virtus ubique est, quum virtus Dei non sit aliud, quam Deus, ubicumque præsens est opere, præsens etiam necesse est, ut sit Deitate, ut citatus concludit Hugo Victorinus. (*lib. 7. Erud. Theol. c. 19.*)

3. Firmatur denique propositio ex communi sapientum, immo Gientium omnium consensu. Nam Orphei Poetarum antiquissimi, sive ut alii putant Onomacriti versus ii sunt apud Clement. Alexandrinum, & Cyrillum, (*1. contr. Jul.*) quibus Dei immensitas iisdem ferè, quibus in Scriptura coloribus describitur.

Ipse in cœlo aheneo immobilis sedet.
Aureo in solio, terræ autem insistit pedibus,
Et manum dexteram ad fines Oceani
Undique extendit; circum tremunt alti montes
Et flumina, & profundum cani, ac cærulei maris.

Quibus respondent illa Isaiæ: (*cap. 66.*) Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum, & in Psalmis, & Prophetis plurima. Jam vero Pythagoras, quem quasi magistrum, & parentem habent Philosophi, Deus, inquit apud Minucium, (*in Octavio.*) animus est per universam rerum naturam commeans, & intentus, ex quo omnia, quæ nascuntur animalia vitam, & spiritum hauriunt, quod elegantissimè Latinus Poeta extulit: (*6. Æneid.*)

Principio cœlum, ac terram, camposque liquenteis
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Et alibi: (*Georgic. 4.*) Deum namque ire per omneis
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.

Omnia

Omnia namque Deo plena sunt, ut Symmachus, (*de Ar. Victor.*) & ante ipsum Aratus dixerat, (*in Phenom.*) ex quo ad literam Virgilius: (*Eglog. 9.*)

Ab Jove principium, Musæ, Jovis omnia plena.

Quippe quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat: opus suum ipse implet, inquit Seneca, (*4. de Benef. c. 8.*) a quo nepos Lucanus (*Phars. 10.*)

Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris

Quid Glaucus apud Homerum? (*Iliad. 16.*)

Arcitenens, seu tu Lyciæ, seu pinguia Trojæ
Arva tenes, namque unde potes mecumque vocantem
Exaudire, Pater.

Unde non immeritò id omni naturæ insitum esse, inquit Plotinus, (*Enn. 6. lib. 5. c. 4.*) ut simul Deum existimet, etiam ubique totum esse arbitretur.

4. Quapropter non facilè adducar, ut Cyrillo credam, ita scribenti: (*Glaphyr. in Gen. lib. 4.*) Etiam beati illi Patriarchæ, qui recens ab Idolorum cultu abducti erant, Deumque naturaliter, ac verè existentem adorare docti, non in omni loco, nec in omni terra adesse sibi, opitularique Deum credebant, exiguam adhuc de divinis rebus cognitionem habentes. Sed primum: Quinam sunt beati illi Patriarchæ ab Idolorum cultu recens abducti? Deinde an Adamus, an Sethus, an Noemus, an pater fidei nostræ Abraham summus, an Jacobus, an Isaacus ubique Deum esse ignoraverint? Atqui veteres illi Patres ab Adamo usque ad Moisem, ubicumque reperirentur, Deum invocabant, lapides in altaria erigebant, sacrificia offerebant: Deum ergo, undecumque invocaretur, precantes audire, atque præsentem opitulari posse credebant. Ut enim verè ac sapienter ab Cœlestino Papa scriptum est, (*ep. 2. ad. Ep. Gall.*) legem credendi demonstrat, ac firmat lex supplicandi. Quid? quod eodem Cyrillo teste, Pythagoras, & Plato solo adjuti naturæ lumine Dei immensitatem agnoverunt? Plusne ergo Philosophis, quam beatis illis Patriarchis a Deo edoctis tribuendum ille existimaverit? Quapropter quod Cyrillus idem, (*2. cont. Julian.*) & Hieronymus (*in c. ult. Isai.*) scribunt, Hebræos in eo fuisse errore, ut invisibilem, & incorporeum, & incomprehensibilem Deum Hierosolymitano in templo concludi cogitarent, id inquit Petavius, (*3. de Deo c. 7.*) rudi populo, non quidem omni, & imperito Hebræorum, aut Samaritanorum vulgo tribuen-

buendum, quorum utrorumque præsumptio, inquit Hilarius, (*2. de Trin.*) Deum intra quem omnia, & extra quem nihil ejus est capax, aut collis edito, aut exstructæ domus concavo continebat. Id, inquam, Samaritana quædam muliercula, aut ineruditus quispiam e vulgo crediderit, non Patriarchæ, non Prophetæ, non Sacerdotes, aut Doctores, aut Reges, e quibus David: Si ascendero, inquit; (*Ps. 138.*) in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Et Salomonis in Dedicatione templi coram infinita populi multitudine illa est oratio: (*Reg. 3.*) Cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi nomini tuo? Dictum est item: (*Jerem. 23.*) Cœlum, & terram ego impleo . . . Ubi est ista domus, quam ædificabitis mihi? Et quis est iste locus quietis meæ? (*Isai. 66.*) atque hujusmodi sexcenta.

5. Fuit hæc ergo perpetua, & constans tam Synagogæ veteris, quam Ecclesiæ fides, Deum ubique esse . . . Quamvis (*Aug. ep. 57.*) in eo ipso, quod dicitur ubique diffusus Deus, carnali resistendum est cogitationi, & mens ab corporis sensibus evocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut aer, aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto. Deus autem, (*Damas. in 1. de fid. c. 14.*) quum sit corporis expers, & incircumscriptus, in loco non est. Ipse enim sibi locus est, implens omnia, & supra omnia consistens, & ipse continens universa. Est vero, (*Pet. Damian. ep. 36. c. 6.*) ut ita dixerim, ipse sibi locus illocalis, quia sic in se continet omnia loca, ut non moveatur ipse per loca, nec per loca tendatur. Sicut enim in se sine transitu continet omnia tempora, ita intra se sine spatiis universa continet loca. Qua Petri Damiani similitudine retenta, sicut æternitas nec tempus est, nec aliquid temporis, & tamen per illam Deus vere dicitur in omni tempore simul, & semel existere, quamvis ipse non existat in tempore; ita immensitas nec locus est, nec aliquid loci, & tamen per illam Deus, quamvis non sit in loco, simul, & semel adest omni loco. Atque hoc modo intelligendi sunt nonnulli ex Patribus, & Catholicis Doctoribus, qui Deum nusquam, seu nullo in loco esse dixerunt. Nusquam enim est Deus, ut verè Chrysostom. (*in ep. ad Gal. hom. 5.*) & tamen ubique est. Quippe non est in loco, neque locus aliquis est, in quo sit. Et vero in omnibus ipsum esse dicere minus est quam pro illius infinitate, ut dicitur in libro de divinis nominibus, (*cap. 3.*) quæ omnia & amplectitur, & excedit. Atque adeo magis propriè dicitur omnia esse in ipso, quam ipsum esse in omnibus.

6. Eorum quippe quæ in loco sunt, duplex est genus. Aliud quod loco circumscribitur, quum nimirum tota res toti loco, & parti rei

Digitized by Google

pars loci respondet, eaque præsentia, sive situs corporum est, quibus solum propriè convenit esse in loco. Unde Deus omnino incorporeus, circumscriptivè in loco non est, neque enim, ut Isidorus inquit, (*l. de Sum. Bon. c. 2.*) particulatim implet omnia, ut unaquæque res per suæ positionis magnitudinem eum capiat, maxima magis, minima minus, quum sit potius ipse totus in omnibus, sive omnia in ipso. Alterum genus est rerum, quod loco non circumscribitur, definitur tamen, ut ultra illum res non sit, atque hujus generis est humanus animus, qui in toto corpore ita est, ut in qualibet parte corporis totus sit, nec enim parti corporis pars animi respondet, magnitudine tamen corporis, ejus præsentia definitur, quia extra corpus quod vivificat, non extenditur. Deus autem, inquit Ambrosius, (*Enarr. Ps. 118. Col. 1060.*) non implet solum omnia, verum excedit . . . Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, ultra omnia, extra omnia, præter omnia, ut ex Aug. loquitur Isidorus, (*loco cit.*) tamen sicut extra omne tempus præsens simul, & semel est omni tempori, quia æternitas per sæculorum spatia non distenditur, ita extra omnem locum, simul, & semel adest omni loco, quia immensitas per locorum spatia non porrigitur.

7. At enim licet Dei in rebus præsentia uniformis, immo unica, & simplicissima sit, tamen secundum humanum concipiendi, & loquendi modum multipliciter in rebus esse dicitur. In humanis enim (*1. p. q. 8. art. 3.*) Rex v. g. dicitur esse in toto regno suo per potentiam, quia toti dominatur, ac præest, sive ei jubenti paretur. Secundo dicitur aliquis esse præsens omnibus illis locis, qui in prospectu ejus sunt, sicut qui in foro est, dicitur præsens toti foro, qui tamen non est secundum substantiam suam in qualibet fori parte. Tertio denique magis strictè, & philosophicè dicitur physicè, & per essentiam esse in loco, ubi ejus substantia invenitur. Quum igitur nec divina potentia sit aliquid a Deo distinctum, nec divina scientia ab aliquo exteriori derivetur, quum per seipsum, & in se ipso omnia videat, & cognoscat, quæ supra ostensa sunt omnia: reliquum est igitur ut ad universa, ad quæ divina potentia, aut sapientia extenditur, etiam divina Essentia extendatur. Sic ergo (concludit D. Thom.) (*ibid.*) Deus est in omnibus rebus per potentiam, quatenus omnia ejus potestati subduntur. Est per præsentiam in omnibus, quatenus omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus. Est item in omnibus per Essentiam, quatenus adest omnibus, ut causa Essendi, sicut supra dictum est.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XVI.

Justus Deus, & Sanctus est.

1. p. qu. 21.

1. JUstitia est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Jus est autem triplex, aut naturale, aut gentium, aut civile. Et quidem existimare, Deum jure gentium, aut civili ad rei alicujus productionem, vel conservationem, aut quamcumque operationem teneri, extremæ dementiæ esset. Jus porro naturale in ipsa naturæ indigentia, atque exigentia fundatur. Exigentia autem universæ naturæ primaria est duplex. Prima quidem Catholica, sive toti naturæ, & singulis individuis communis in sui conservationem; secunda non omni speciei communis, sed toti communis naturæ ad speciei propagationem. Justitia igitur in Deo ut naturæ authore erit constans, & perpetua voluntas tribuendi rei, aut naturæ cuilibet eas affectiones, proprietates, & virtutes, quæ sint ad sui, & propriæ speciei conservationem maximè congruentes; sed hoc in rebus omnibus, quarum Deus causa est, continua observatione, atque experimento deprehendimus: Deus igitur justus est. Ex quo capite author Libri de divinis Nominibus: Oportet, inquit, (*cap. 8.*) in hoc veram Dei justitiam agnoscere, quod omnibus propria, & congruentia tribuit secundum uniuscujusque existentium dignitatem, & cujusque naturam in proprio salvat ordine, ac virtute. At vero ad primam rerum productionem nullum præcessisse potuit, aut exigentia naturalis rerum, ut planum est: ergo ipsa universalis rerum productio ex debito justitiæ provenire non potuit, ut concludit, & multis firmat D. Thomas (*in 2. cont. Gent. cap. 27.*)

2. Sicut autem creaturarum prima productio dici non potest, fuisse ex debito justitiæ, quo Deus creaturæ obstrictus esset, ita nec ex tali debito justitiæ, quo suæ bonitati esset debitor. Posset enim aliquis dicere, Deum non fuisse obligatum creaturæ ad eam producendam: fuisse autem sibimet, aut suæ bonitati obligatum ad rerum productionem. Hoc tamen stare non potest. Nam primo: Quamvis hoc ita esset, Dei ad suam bonitatem, id est, ad se ipsum justitia esse non potest, justitia enim est ad alterum, ut in 2. Ethicor. dicitur. Esset ergo quoddam debitum ex decentia, quatenus infinitam Dei bonitatem deceret, semet in res alias diffundere, quum omne bonum sit sui diffusivum. Deinde, Divinæ bonitatis infinita perfectio ab nullius extra se existentia pendet, eave indiget: ergo quamvis Deus

suam dignitatem de necessitate velit, non tamen creaturas de necessitate vult, ut supra ostensum est; (*prop. 13.*) sed debitum ex propria, & stricta justitia, est debitum ex necessitate, adeo ut si debitor superiorem habeat, ad ejus solutionem cogi possit, ac debeat: ergo divinæ bonitati non debetur ex stricta justitia creaturarum productio. Et tamen etiam in prima rerum productione Deus est justissimus, quatenus citra ullam debiti obligationem, & sibi decentissima, & naturis rerum convenientissima operatur. Hoc autem decentiæ, aut condecentiæ debitum (*art. 1. ad 3.*) dupliciter attendi potest in operatione divina, aut secundum quod aliquid debetur Deo, aut secundum quod aliquid debetur creaturæ, & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum enim est, ut impleatur in rebus, id quod ejus Sapientia, & voluntas habet, & quod ejus bonitatem manifestat, & secundum hoc justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundum quam reddit sibi, quod sibi debetur. Debitum est etiam rei creatæ, (*2. cont. Gent. c. 29.*) ut habeat id, quod ad ipsam ordinatur. Et secundum hanc necessitatem debitum in creaturarum productione invenitur tripliciter. I. Secundum ordinem totius universi ad quamlibet partem, quæ ad perfectionem universi requiritur: si enim tale universum facere Deus statuit, opus fuit, ut Solem crearet, atque in tali a terra distantia eum collocaret &c. II. Ex ordine singularum partium inter se, ut si animalia Deus esse voluit, opus fuit, ut terram frugiferam faceret, & aera spirabilem, quamvis hæc, & illa Deus ex mera fecerit voluntate. III. Ex ordine cujusvis rei creatæ ad eas proprietates, inclinationes, & motus, sine quibus aut esse, aut perfectè esse non potest, ut si Deus hominem condere voluit, opportuit, ut ei facultates naturales, & vitales, & animales, & rationales eidem indiderit; sed hoc triplex debitum (*loc. cit. prima part.*) ex illo primo oritur, ac dependet. Hoc enim & universo, & singulis partibus ad invicem, & unicuique speciei, atque individuo debetur, quod est ordinatum ad ipsa secundum divinæ Sapientiæ, & divinæ bonitatis dispositionem . . . Unde si rectè attenditur, (*loc. cit. cont. Gent.*) Deus creaturæ debitor non dicitur, sed suæ dispositioni implendæ.

3. Nonnulla tamen hic dubia tangenda sunt, ex quorum explicatione, maximè præjacta doctrina illustrabitur. Fuerunt enim qui ex capite divinæ justitiæ omnipotentiam everterent, ita colligentes: Si Deus justus est in prima rerum productione, ideo est, quia facit quod sibi, & rerum naturis debetur; si autem id facit, quod debet, non potuit facere, nisi quæ fecit; si autem non potest facere, nisi quæ facit, non est infinitè potens: vel Deus igitur justus non est, vel non est omnipotens.

4. Fue-

Digitized by Google

4. Fuerunt etiam qui ex capite divinæ Libertatis, divinam justitiam impugnarent. Deus enim, ajunt, quum sit liberrimus, operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut dicitur ad Ephes. 1. sed qui operatur omnia ad libitum voluntatis, non secundum justitiam operatur; ergo vel Deus in operando liber non est, vel non secundum justitiam operatur.

5. Fuerunt item qui ex rerum creatarum diversitate, & inæqualitate divinam justitiam impugnaverint, quorum hæc est argumentandi ratio. Justitia respicit æqualitatem, immo ipsa est quædam æqualitas, unde quod justum est, id etiam æquum latinè dicimus: ergo injusti datoris, aut dispensatoris est, nullis præcedentibus meritis, diversa, atque inæqualia tribuere; sed primam rerum productionem nulla præcesserunt rerum merita: ergo in prima rerum productione, omnia fieri debuerunt æqualia: quod si ita facta non sunt, iniquus fuit, & injustus rerum conditor. Ita prisci Pagani apud Origenem.

6. Quarto denique ex capite divinæ bonitatis sic alii: Deus est summè bonus: ergo non potest velle malum; sed ordo Universi, secundum quem Deus justus dicitur, id exigit, ut in rebus sint mala multa, quum omnia agentia naturalia, in agendo deficiant, & contrarias inclinationes, & motus habeant, quibus se invicem lædant: ergo vel Deus infinitè bonus, vel infinitè justus non est. Item: Justissimus quisque diligentissimè conatur omne malum vitare, atque ab opere suo excludere, si sciat, & possit; sed Deus scit, & potest omne malum excludere ab rebus, quæ sunt omnes opera sua: non ergo vitat, quia non vult; sed qui scit, & potest malum vitare, & non vult, justus dici non potest. Deus igitur non est justus.

7. Hi sunt veluti argumentorum fontes, unde Pagani Philosophi Christianam doctrinam impugnabant, quæ tamen ex præmissa D. Thomæ doctrina facilè diluuntur. Ad primum enim ex dictis patet solutio, quæ in Scholastica forma talis est: facit Deus quod sibi, & naturis debetur, debito antecedente, & absoluto, nego; debito consequente, & ex suppositione præsentis dispositionis, & providentiæ, concedo. Et inversis terminis ad minorem. Ad secundum distinguo item minorem: Qui operatur omnia ad libitum, non secundum justitiam operatur, si voluntas talis sit, quæ ab infinita sapientia dirigatur in eligendo, nec ab ejus ductu exorbitare possit, nego; si voluntas ea sit, quæ sapientiam comitem, & ductricem non habeat, aut quæ ab rationis ductu exorbitare possit, concedo. Quum enim objectum voluntatis sit bonum apprehensum, eatenus potest voluntas ab recto deviare, quatenus aut bonum apparens pro verò ipsi proponitur, qui defectus est mentis, aut ab recto proposito deflectit,

qui defectus est voluntatis, quorum neutrum in Deo locum habet; ut supra ostensum est.

8. Tertium argumentum illud est, quo deceptus Origenes turpissimè erravit. Volens enim huic antiquorum Paganorum argumentationi occurrere, Deum, dixit, ex sola sua bonitate primitus omnes creaturas æquales produxisse, omnes spirituales, rationales omnes, quæ deinde per liberum arbitrium diversimodè sunt motæ: quædam magis, aut minus adhærentes Deo. quædam magis, aut minus ab eo recedentes. Ex quo diversi gradus in substantiis spiritualibus ex divina justitia sint subsequuti, ut quædam facti sint Angeli secundum diversos gradus, quædam animæ hominum secundum diversos status; quædam etiam Dæmones in diversis conditionibus. Deinde secundum hanc diversitatem rationalium creaturarum ex libera earum voluntate provenientem, dicebat, corporalium creaturarum inæqualitatem Deum instituisse, ut nobilioribus corporibus meliores substantiæ copularentur: inferioribus deteriores. Hæc Origenes, cujus errorem & Christianæ fidei, & sanæ Philosophiæ contrarium multis convincit D. Thom. (*in cit. lib. 2. cont. Gent. c. 44.*) ex cujus doctrina secundum Scholasticam formam distinguo primum consequens argumenti: Injusti datoris, aut dispensatoris est nullis præcedentibus meritis inæqualia tribuere, quando largitio, aut dispensatio retributoria est, sive antidoralis, concedo; quando largitio est merè gratuita, & liberalis, nego. An injustus est figulus, (*ad Rom. c. 9.*) qui ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facit? Adde quod quum bonum totius sit melius quam bonum singularum partium, non est optimi artificis minuere bonum totius, ut aliquarum partium augeat dignitatem. Non enim Architectus eandem pulchritudinem fundamento tribuit, atque aulæ, & porticibus. Factor igitur omnium Deus mundum non fecisset in suo genere optimum, si omnes partes essent æquales, quia multi bonitatis gradus universo deessent, ex quorum varietate, & combinatione ejus pulchritudo, & subsistentia resultat.

9. Quartum argumentum difficultatem tangit de malo, quæ pervicacia ingenia in varias, & æquè perniciosas fecit abire sententias. Fuerunt namque, qui ea de causa Deum esse negaverint, ut est apud Boetium, (*1. de cons. pros. 4.*) & qui providentiam de medio tollerent, ut Epicurus, & sui, tum qui aliquot malorum principium suapte natura malum excogitarent, ut Marcion, & Manichæi, quos omnes multis argumentis confutavit D. Thom., (*qu. 1. de Mal. & 3. cont. Gent. c. 4. & 1. p. q. 8. & alibi.*) ex quo distinguo primum consequens: ergo non potest velle malum physicum, sive quod naturaliter consequitur actiones, & motus causarum secunda-

darum, nego; malum morale resultans ex deviatione creatæ voluntatis ab divina, concedo. Et inversis terminis ad minorem. Ordo universi exigit, ut sint in rebus mala physica, concedo; neque enim quicquam sine alterius corruptione generatur; mala moralia, nego. Ad id quod ultimo additur, dicendum, (*q. de Provid. art. 4.*) quod sapiens, & justus provisor sustinet quandoque aliquod exiguum malum, quod vitare posset, ne impediatur majus, & communius bonum; quodlibet enim particulare malum exiguum est comparativè ad bonum naturæ universæ. Non posset autem impediri malum, quod ex aliqua naturali, aut libera provenit, nisi eorum natura tolleretur, quæ potest deficere, vel non deficere, & quæ alicui particulari nocumentum affert, & tamen universo quandam pulchritudinem addit. Et ideo Deus, quum sit sapientissimus, permittit unumquodque agere secundum modum, & conditionem suæ naturæ, non enim providentiæ est naturam perdere, sed salvare, quod in libro de divin. nominibus habetur. (*cap. 4.*)

10. Ex dictis patet, quinam explicanda sunt Scripturarum loca multa, quibus velle, aut facere mala Deus dicitur; ut illud Isaiæ: (*cap. 45.*) Ego Dominus faciens pacem, & creans malum, & illud Amos (*cap. 3.*) Si erit malum in civitate, quod Dominus non fècerit. Intelligenda enim hæc sunt, (*1. p. q. 19. art. 9.*) non de malo culpæ, secundum quod tollit ordinem ad bonum divinum, quod quidem malum Deus velle non potest, ut dictum est, sed de malo naturalis defectus, vel de malo pœnæ, quod Deus vult (non quasi ex primaria intentione, in quo sensu dicitur: (*Sapient. 1.*) Deus mortem non fecit.) volendo aliquod bonum, cui tale malum conjungitur, sicut quum vult justitiam, vult sontem puniri, & quum vult ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi.

11. Liquet hinc etiam, Sanctum Deum esse, immò Sanctissimum, & omnis sanctitatis fontem, Sanctum autem eum voco, cui ratum, & sanctum est, nihil nisi sapienter, atque decenter operari, sive cui adest constans, & perpetua voluntas semper justè, ac rectè operandi; hæc tamen voluntas semper Deo adest, nec ab ea deflectere unquam potest: Deus igitur sanctus est. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Nam licet ea voluntas, quæ non est sibi finis, & regula suarum operationum, possit ab regula, & fine in operando exorbitare; ea tamen voluntas, quæ est sibimet finis, & regula, ab regula, & fine deviare non potest, nec enim ab eo quod est, potest deficere; sed divina voluntas est idem cum divina natura, & bonitate, quæ est finis, & adæquatum objectum ipsius; est item idem cum divina Sapientia, quæ est prima justi, & honesti regula, ut su-

Digitized by Google

supra ostensum est: ergo divina voluntas ab justo, & honesto deviare non potest. Quod enim per se rectum est, est regula sui, & aliorum. Hinc illud: (*Habac. c. 1.*) Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris, cum aliis multis, quibus Dei sanctitatem passim prædicant Scripturæ nostræ, quæ nunc omittimus, sicut & Patrum, & Philosophorum Etnicorum testimonia, ne in re non dubia, testibus utamur non necessariis. Detestanda ergo cum Platone, (*2. de Repub.*) Homeri, & veterum Poetarum Mythologia, quæ peccati authorem Deum facit, (*Alexandr. 3.*)

Nec verita est magnis affingere crimina Divis.
Scilicet ut Martis, Venerisque exempla sequuti
Eluerent nullas scelerum, nullasve timerent
Divorum artifices ab cœlo vindice pœnas.

Nedum igitur Sanctus est Deus, sed ita Sanctus, ut ab sanctitate per indeclinabilem voluntatem deficere non possit, quam impeccabilitatem appellant nostri Theologi. Qui tamen cum hac indeficiente divinæ voluntatis rectitudine stare possit cooperatio, & concursus Dei cum creata voluntate ad actionem peccati, opportuniori loco explicabitur.

PROPOSITIO XVII.

Deus ab creata mente comprehendi nequit, nec videri quidem in seipso solo naturæ lumine.

1. Comprehendere aliquando idem est, quod assequi, in quo sensu Paulus: (*ad Philip. cap. 3.*) Sequor autem, si quomodo comprehendam. Et item: (*ibid.*) Ego me non arbitror comprehendisse, quo etiam modo Beati Comprehensores dicuntur ad distinctionem Viatorum, seu qui nondum ad suæ peregrinationis terminum pervenerunt. Sed de hac significatione hic non agimus. Est autem in illa, de qua nunc sermo est, hujus nominis significatione a re corporea ad incorpoream usurpata translatio. Ut enim ea, quæ manu prehendimus, & undique conclusa tenemus, comprehendere dicimur, ita etiam ea, quæ visu, mente, aut cogitatione tota pervadimus. Totum enim videtur, ut est apud Augustinum, (*ep. 112.*) quod ita videtur, ut nihil ejus videntem lateat, sive cujus fines, aut extrema circumspici possunt; mente autem aliquid comprehendimus, (*8. de Verit. art. 2.*) quando cognitum perfectè substat cognitioni; a comprehensione vero deficimus, quando cognitum cognitionem

Digitized by Google

nem excedit. Hic autem exceſſus in potentia ſenſitiva eſſe poteſt aut ſecundum quantitatem, ſicut impeditur oculus ne comprehendat molem terræ, quia totam ſimul telluris circumferentiam videre non poteſt, vel ſecundum virtutem, ſicut oculus impeditur ne Solem videat, quamvis totus ejus diſcus conſpicienti pateat. In potentia autem intellectiva quantitas impedire non poteſt, niſi per accidens, quatenus impeditur ſenſus, a quo ſpecies in mentem derivantur; in his vero, quæ per ſeſe intelliguntur ſine conjunctione ad ſenſum, ut in cognitione quidditatum, non impeditur comprehenſio intellectus, niſi propter exceſſum virtutis in cognoſcibili, quando nimirum poteſt intelligi perfectiori modo, quam eo, quo intelligitur. Si enim quiſquam noverit, tres angulos trianguli duobus rectis æquales eſſe, ductus authoritate docentis, aut probabili ratione non id comprehendit, quia quamvis totam rei veritatem cognoſcat, non tamen eam cognoſcit tota ea certitudine, claritate, & evidentia, qua cognoſci poteſt; ſed virtus divinæ naturæ tam ſecundum eſſe phyſicum, quam ſecundum eſſe intelligibile, (quæ in Deo ſunt idem) infinitè excedit omnem creatam mentem, & omne lumen creatum, quo adjuvari mens poſſit: ergo impoſſibile eſt, quod aliquis intellectus creatus divinam Eſſenſiam comprehendat, non quia partem ejus aliquam non videat, quum Deus ſit ſimpliciſſimus, ſed quia ad perfectiſſimam ejus cognitionem pertingere non poteſt.

2. Item: Quod comprehenditur, terminos comprehendentis non excedit. (*3. cont. Gent. c. 55.*) Si ergo mens creata Divinam naturam comprehenderet, illa creatæ mentis facultatem, & limites non excederet; non ergo eſſet infinita. Præterea: Qui aliquid mente comprehendit, adæquat, & exhaurit totam cognoſcibilitatem objecti; (*1. p. q. 12. art. 7.*) ſed omnis virtus, & lumen intellectus creati eſt quid finitum; divina autem natura quum ſit infinita, eſt infinitè cognoſcibilis, nam verum, ſeu cognoſcibile convertitur cum Ente: virtus ergo finita adæquaretur, & exhauriret infinitum, quod ex terminis repugnat. Ulterius: Omne agens tanto operatur perfectius, quanto perfectius participat formam, quæ eſt operationis principium, (*3. cont. Gent. c. 55. arg. 3.*) ſicut magis lucidum magis illuminat; ſed forma intelligibilis, per quam Deus intuitivè cognoſcitur, eſt ipſamet Eſſentia divina intimè præſens intellectui, ut infra explicabitur: ergo tanto perfectius Deus videtur, quantò divina Eſſentia eſt magis intimè præſens intellectui videntis; ſed divina Eſſentia eſt magis intimè præſens intellectui divino (quum ſint idem ſecundum eſſe) quam cuicumque menti creatæ: ergo Deus infinitè perfectius ſeipſum cognoſcit, quam a quopiam intellectu creato cognoſci poſſit; ſed Deus ſeipſum cognoſcit, quantum eſt perfectè cognoſcibilis: ergo

mens creata ad eam cognitionem, sive ad Dei comprehensionem non pertingit.

3. Huic autem veritati etiam Divina Scriptura testimonium perhibet. Dicitur enim apud Jeremiam: (*cap. 32.*) Fortissime, magnè, potens, Dominns Exercituum nomen tibi: magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Consonant tam Græci, quam Latini Patres. Creata enim natura, inquit Ambrosius, (*in Symbol.*) increati substantiam, ut talis est, nunquam potest ad plenum comprehendere, quoniam intelligendi capacitatem, ait Hilarius, (*2. de Trin.*) quod fine nullo continetur, excedit . . . Et si igitur Deum in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen ejus Essentiam planè contuemur, ut est apud Gregorium. (*10. Mor. cap. 7.*) Angelica enim, aut humana mens, quum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo creatura est, coangustat, & super se quidem per profectum tendit, sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit . . . Excelsior itaque cœlo est, quia ipsi quoque cœlestes spiritus visionem tantæ celsitudinis perfectè non penetrant . . . . Excedit enim omnia ait Dionysius, (*de div. nom. c. 13.*) & quum infinitatem omnem determinat, tum præter omnem terminum expanditur, & a nullo capitur, aut comprehenditur . . . Unde invisibilem Dei esse naturam, inquit Albinus, (*2. de Trin. c. 16.*) confirmat Evangelista dicens: Deum nemo vidit unquam, quia plenitudinem Divinitatis nemo mente comprehendit. Et invisibilem, atque incomprehensibilem Trinitatem sibi soli, uti est ad perfectum notam esse, eodem sensu scripsit Ruffinus. (*apol. 1. in Hien.*) Nemo enim (*Mat. 11.*) novit Patrem nisi Filius, neque filium quis novit nisi Pater. Quis enim hominum scit, (*1. ad. Cor. 2.*) quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Propterea opus fuit, ut Unigenitus, (*Joan. 1.*) qui est in sinu Patris, ipse enarraret, ubi quod est in Deo ineffabile, atque invisibile, sinum appellavit, inquit Clem. Alexandrin., (*5. Strom.*) quem profundum appellaverunt idcirco aliqui, ut qui omnia comprehendat, & quodam veluti sinu complectatur, ut ea nullus assequi possit.

4. Comprehensionis igitur naturam ita definierunt sancti Dei homines, ut sit plenissima, & perfectissima cognitio, qualem ipse de se Deus habet, id est, ut non solum totum, quod Deus est, cognoscatur, sed ita cognoscatur, ut perfectius, ac dilucidius cognosci non possit. Hujus autem clarissimæ cognitionis incapacem esse creaturam; inde efficiunt, quia nullius creati mens, aut intellectio sit ipsiusmet Essentia. Quod quamvis negaverit, & cum risu veluti novum Scholasticorum commentum exsufflaverit Petavius, (*l. 7. c. 5. n. 9.*) tamen

tamen ex Patrum ab ipsomet allatis testimoniis apertissimè convincitur. Nam quid Marius Victorinus? Cur, inquit, (*lib. 1. cont. Aria.*) nemo novit Patrem nisi Filius, nisi quia nullus habet substantiam ejus? Omnia enim cognoscunt Patrem, & colunt; sed quoniam cognoscere, hoc est, scire ipsius Dei ipsum est ei quod esse, id est substantia ejus, idcirco nullus agnoscit, nisi substantiam eandem habens, Filius. Qui ergo non est ejusdem cum Deo naturæ, & substantiæ, non est capax ejus clarissimæ, & comprehensivæ cognitionis; sed cujus scire non est ejus esse, non est ejusdem cum Deo substantiæ: ergo cui scire non est ipsum esse, non est capax illius comprehensivæ cognitionis. Quid Cyrillus? Quum Deus, ait, (*lib. 31. Thes.*) simplex ab omnibus prædicetur, cognitio, quæ in ipso est, non est aliud ab ipso. In nobis autem aliter res se habet. Nam sumus propriè per substantiam; in substantia autem sitam habemus cognitionem, sicut colorem in corpore. Non ergo eodem, quo Deus, modo cognoscimus, qui non similiter, atque ille, sumus. Non ergo intelligit, aut res cognoscit sicut Deus, qui non est sicut Deus; non est autem sicut Deus, illud omne cujus esse non est ipsum intelligere. Quid Chrysostom.? (*Homil. 15. in Joan.*) Nemo novit Patrem, nisi Filius. Quid hoc rei est? An omnes in summa Dei ignoratione versamur? Absit. Sed nimirum nemo Deum novit sicut Filius . . . Multi Deum novimus, ejus tamen essentiam, hoc est, quid tandem ille sit, nemo novit, nisi ille solus, qui ab eo genitus est. Nam cognitionem ibi vocat accuratam speculationem; & comprehensionem talem, qualem Filii Pater habet. Quid magnus Gregor.? Videbimus, inquit, (*18. Mor. c. 4.*) Deum; non tamen sicut videt ipse se ipsum. Longè enim dispariliter videt Creator se quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creaturæ sumus . . . Angelica quippe, aut humana mens, ut in alio loco supra allato dixit Gregorius idem, quum ad incircumscriptum lumen adspirat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat. Quid vero Fulgentius? (*in respons. ad 3. quæst. Ferran.*) Nimirum, quum rogaretur a Ferrando, utrum anima Christi susceptricis Deitatis plenam habeat notitiam? Primò difficilem quæstionem esse, ait, nam ipsa Creatoris, & creaturæ distinctio incomprehensibilem monstrat, & inexplicabilem creaturæ magnitudinem Creatoris. Deinde præmittit verba illa Apostoli ad Colossens. in quò sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ Dei non solum de Divinitate, sed etiam de humanitate intelligenda esse, unde ita argumentatur: Si anima Christi minorem habet in ali-

quo

quo Deitatis notitiam, non in se habet totam Dei sapientiam, totamque virtutem: participium ergo habet, non est ipsa (Sapientia) Christus, si partem solum habet notitiæ Divinitatis suæ. Denique sic concludit. Possumus planè dicere, animam Christi habere plenam notitiam Deitatis suæ. Nescio tamen utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam Deitatem noverit quemadmodum seipsa Divinitas novit, an hoc potius dicendum sit, quod novit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim divinitas sic se novit, ut se naturaliter inveniat esse, quod novit; anima autem illa sic Deitatem suam totam novit, ut tamen ipsa Deitas non sit. Deitas ergo est naturaliter notitia sua; anima vero ab ipsa Deitate, quam plenè novit, accepit, ut noverit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sic animæ suæ secundum Divinitatem, notus est Christus, quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet unam cum Trinitate substantiam. Vel hic unus Fulgentii locus, inquit hic Petavius, comprehensionis rationem adstruere potest, & ab nova opinione vendicare. Immo vero, ego inquam, ad Scholasticorum sententiam, non novam quidem, sed in ratione, & Patrum doctrina fundatam nihil luculentius dici potuit. Sic enim argumentor: Vel anima Christi Deum comprehendit juxta Fulgentium, vel non? Si primum: ergo Deus ab aliqua creata mente comprehendi potest contra quam Patres omnes, ac Theologi docent, & singulariter de anima Christi omnes Scholastici cum D. Thoma, cujus Tu ipse testimonio usus fueras. Si secundum: ergo Fulgentius de comprehensiva cognitione non est intelligendus, quod & ipsa Fulgentii verba manifestè convincunt. Ipsa enim, inquit, (*lib. 7. cap. 4. n. 7.*) Creatoris, & creaturæ distinctio incomprehensibilem monstrat, & ineffabilem creaturæ magnitudinem Creatoris. Deinde asserit animam Christi nosse quantum Deus, sed non sicut Deus, neque nosse Deum, quemadmodum senorunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sed Deus semet comprehensivè cognoscit: ergo anima Christi Trinitatem comprehensivè non cognoscit juxta Fulgentium; sed non aliud assignat discrimen, nisi quia Deitas se naturaliter invenit esse, quod novit, nisi quia Deitas est naturaliter notitia sua, nisi quia habet eandem cum Trinitate substantiam: ergo quia ad comprehensivam cognitionem non satis est cognoscere omne id, quod Deus novit, nisi cognoscatur omni ea perfectione, qua Deus id novit, id est, nisi tanta sit perfectio cognitionis, quod Ruvizius dixerat, (*de Scient. disp. 6. sect. 2.*) quanta est in objecto perfectio cognoscibilitatis; hoc est, nisi objectum cognoscatur omni eo modo, & claritate, qua est cognoscibile, ut in-

Digitized by Google

inquit D. Thom., (*1. p. q. 12. art. 7.*) hoc est, nisi tam accurata ſpeculatione cognoſcatur, quanta illa eſt, qua Pater Filium, & Filius patrem novit, quod dictum eſt ab Chryſoſtomo, (*hom. 5. in Anom.*) hoc eſt nisi is, qui novit, id ſe naturaliter inveniat eſſe, quod novit, ſitque ipſe naturaliter notitia ſui, quod egregiè dictum eſt a Fulgentio.

5. Unum autem eſſe videtur, quo prædicta comprehenſionis expoſitio, & notio impugnari poſſit, nimirum, quia illa ſtante, nedum Deum Opt. Max. verum, nec viliſſimæ ullius rei naturam comprehendere mens creata poſſet. Si quidem nunquam Angelus v. g. lapidem ita cognoſcit, ut non perfectiori modo lapis ſit cognoſcibilis cognitione divina: Angelus ergo non cognoſcit lapidem omni eo modo, quo cognoſci poteſt, atque adeo ejus naturam non comprehendit, quod videtur abſurdum, alias eſſe incomprehenſibilem cogitatu, non eſſet attributum proprium Dei. Ad hoc tamen reſpondetur negando aſſumptum, & explicando antecedens probationis: ut non perfectiori modo lapis ſit cognoſcibilis cognitione divina, tanquam proportionata, & adæquata lapidi, nego; tanquam ſuper excedente omnem lapidis perfectionem, concedo. Sicut ergo cognitio Dei eſt pluſquam comprehenſiva creaturarum, quia modus cognoſcendi infinitè excedit naturam rei cognitæ, ita cognitio cujusvis creaturæ eſt infra comprehenſivam relatè ad Deum, quia res cognita infinitè excedit modum omnem creatæ cognitionis.

6. Jam vero ſecunda propoſitionis pars eſt demonſtranda, nimirum ab nulla mente creata ſolo naturæ lumine Deum videri poſſe, aut intuitivè cognoſci. Huic autem propoſitioni demonſtrandæ hanc aliam cum D. Thoma veluti Lemma præmittimus, nimirum:

Divina natura per aliquam creatam ſimilitudinem, aut imaginem videri nequit. (*3. cont. Gent. c. 49. 1. p. q. 12. art. 2.*)

7. Demonſtratur hoc lemma I. Nam ſimilitudo intelligibilis, per quam aliquid ſecundum naturam cognoſcitur, oportet ut ſit vel ejuſdem ſpeciei, vel ſpecies ejus, quod per illam intelligitur, non enim per ſpeciem lapidis poteſt animal intelligi; ſed nihil creatum poteſt eſſe ejuſdem ſpecie cum Deo, vel ſpecies ejus, quum Deus ſub nullo genere contineatur, ut ſupra oſtenſum eſt: (*prop. 3.*) ergo per nullam ſimilitudinem Dei eſſentia videri poteſt. II. In omni cognitione, quæ fit per ſimilitudinem, (*8. de ver. art. 1.*) modus cognitionis eſt ſecundum convenientiam, & conformitatem ſimilitudinis, aut imaginis cum eo, cujus eſt ſimilitudo. Convenientiam dico in repræſentando. Unde per imaginem Sortis cognoſcendum

dum Sortem esse corporeum, sicut est ejus imago, & coloratum; sicut imago, & talis magnitudinis, aut figuræ, qualem imago exhibet; sed per ceream, aut lapideam imaginem non cognosceretur Sortem vivere, moveri, sentire, loqui, nisi aliunde viventis idea, & similes præhaberentur, quia in hujusmodi nulla est imaginis cum Sorte conformitas; sed nulla similitudo. Essentiæ divinæ in intellectu recepta potest habere aliquam convenientiam cum divina natura, nisi mere analogicam: per nullum ergo similitudinem divina Essentia videri potest. Patet autem, utramque hanc D. Thomæ rationem æquè procedere de similitudine factitia, ac de naturali, & innata. Similitudinem autem innatam, & naturalem eam voco, quæ rei naturaliter inest, ut omnis effectus est quædam similitudo causæ, & omnis res creata est quoddam speculum, in quo potest Creator omnium videri. Per similitudinem autem naturalem effectus cum causa, non potest quidditas causæ cognosci, nisi effectus sit ejusdem speciei cum causa, adæquetque, & exhauriat totam virtutem activam causæ; sed nullus effectus Dei esse potest ejusdem speciei cum ipso, nec virtutem ejus activam adæquare, ut ostensum est (*prop. 14.*) ergo nulla creatura per naturalem cum Deo similitudinem potest ipsum quidditativè, & intuitivè cognoscere. Patet item, in argumentatione D. Thomæ non confundi modum existendi cum modo repræsentandi, ut existimavit Aureolus. Non enim D. Thom. requirit in specie impressa, aut similitudine, vel forma intelligibili convenientiam in natura, sed convenientiam in repræsentatione. Sicut autem in imagine corporea; non potest repræsentari color, nisi per colorem, nec magnitudo, nisi per magnitudinem, nec figura, nisi per figuram; ita in imagine intelligibili non potest repræsentari infinitas, nisi per infinitatem, nec incircumscriptio, nisi per incircumscriptionem, nec id, quod est suum Esse, nisi per aliquid quod sit suum esse, & sic de cæteris.

8. Quum igitur in nullo creato medio, aut sui similitudine Deus per essentiam videri possit, restat, ut si Essentia Dei videatur, (*3. cont. Gent. c. 52.*) per ipsammet Essentiam divinam intellectus ipsam videat, ut sic in tali visione essentia sit, & quod videtur, & quo videtur, id est, ut ipsa divina essentia adsit menti creatæ ut species impressa, aut forma intelligibilis; sed Essentia Dei Divina est forma infinitè excellentior quacumque mente creata: agens autem inferius non agit ad formam superioris ordinis per naturalem suam virtutem: ergo mens nulla creata per naturæ suæ vires ad Dei intuitivam cognitionem pervenire potest, quod erat secundo loco propositum. Item: In unoquoque genere id, quod est per se, est primum, & causa ejus, quod est per aliud; (*ibid. arg. 4.*) sed mens divina

per-

Digitized by Google

persemet ipsam divinam Essentiam videt, quum sint idem, ut supra est demonstratum; (*prop. 13.*) mens autem creata non nisi per aliud a se distinctum divinam essentiam videt, ut nuper dictum est: ergo hæc visio non potest advenire intellectui creato, nisi per actionem Dei, atque adeo non per propriæ naturæ facultatem. Præterea: Cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente; (*1. p. q. 12. ar. 4.*) sed cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis, nam omne quod est in alio, est in eo secundum modum recipientis, unde lapis materialis est in anima immaterialiter: ergo cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum, & conditionem suæ naturæ. Quod ergo infinitè excedit naturam cognoscentis, infinitè excedit vim cognoscitivam ipsius; sed Deus est infinitè perfectior quacumque natura creata: ergo vim omnem intellectivam creatæ mentis infinitè excedit, atque adeo solis naturæ viribus ad perspicuam ejus cognitionem mens creata pervenire non potest. Ulterius: Dispositio ultima ad formam, & forma semper sunt unius ordinis, (*8. de Ver. art. 4.*) in hoc quod si unum est naturale, & reliquum; sed Essentia divina non est naturalis forma intelligibilis ullius mentis creatæ, nam forma naturalis, & potentia ejusdem generis esse debent, unde forma materialis recipi non potest in subjecto immateriali, aut contra: sicut autem forma sensibilis est infra genus intellectivæ potentiæ, ita Deitas est supra, & extra omne genus creatarum rerum: Essentia igitur divina nequit esse forma naturalis alicujus creatæ mentis: ergo nec ultima dispositio ad eam formam est creato intellectui naturalis, sed supernaturale quoddam lumen, quo mens creata elevatur, roboratur, perficitur modo infra explicando.

9. Hinc illud est quod dicitur: (*ad Rom. 6.*) Gratia Dei vita æterna; sed hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum: ergo cognitio veri Dei, & filii ejus JESU Christi gratiæ Dei est, non viribus naturæ tribuenda. Cui veritati consonant etiam Christianorum Patrum testimonia. Natura enim creata omnis, inquit Chrysostomus, (*hom. 15. in Joan.*) qui tandem Increatum videre potest? Similia Nyssenus: (*12. in Eunom.*) Non est in humana natura vis ad perspicuam cognitionem divinæ substantiæ. Immo si quis incorpoream naturam inferiorem esse dicat, quam ut infinitam substantiam capere, & complecti cogitatione possit, non ille penitus aberraverit. Unde Cyrillus: (*Catech. 6.*) Vident Angeli Deum pro mensura unusquisque ordinis sui; cæterum pura, & liquida Patris visio propriè Filio, & Spiritui Sancto reservatur. Iisdem ferè verbis, quibus Greg. Nissenus, mentem suam explicuit Basilius frater, (*1. cont. Eunom.*) & Basilio.

lio conjunctiſſimus Gregor. Nazianzenus. (*trat. 39.*) Cyrilli Alexandrini luculentiſſima illa ſunt: (*32. Theſaur.*) Nullam rerum creatarum intelligentiam divinam ſubſtantiam cogitatione complecti ullomodo poſſe, quoniam omnem ſuperat mentem, & omnem intelligentiam excedit præſtans illa, & incorrupta pulchritudo, ut a ſe ipſa ſola id, quod eſt ſuapte natura cognoſcatur. His ad numerandus venit Cæſarius, qui Cherubinos pennis faciem velare, inquit (*Dial. 3.*) quod divinam naturam capere nequeant. In eadem ſunt ſententia Titus Boſtrenſis, Theodoretus, Baſilius Seleucienſis, Anaſtaſius Synaita, Origenes, Oecumenius, Hieronymuſque, & Ambroſius, quorum teſtimonia infra dabimus ab eodem, a quo hæc deſumpta ſunt, Petavio. (*lib. 7. cap. 6.*) Plus enim aliquid voluiſſe videntur, quam ut Deus ſolis naturæ viribus per eſſentiam cognoſci non poſſit.

PROPOSITIO XVIII.

Mens creata ſupernaturali lumine elevata Dei eſſentiam intueri poteſt.

1. QUum igitur ad viſionem divinam aſſurgere mens creata non poſſit, niſi Eſſentiæ divinæ, tanquam formæ intelligibili copuletur, ut oſtenſum eſt; (*in præc.*) huic autem copulari nequeat per naturalem ſuam virtutem, aut operationem, ut item eſt oſtenſum, reſtat, ut ſupernaturali aliqua illuſtratione indigeat, quam lumen gloriæ noſtri Theologi appellare ſolent, de quo dictum eſt: (*Ps. 35.*) In lumine tuo videbimus lumen. An autem per ſupernaturale aliquod lumen poſſit ad Deum in propria natura conſpiciendum elevari, prius inquirendum eſt. Et quidem non ſolum poſſe, ſed ita reapſe a beatis mentibus Dei eſſentiam videri fides noſtra docet; verum de his quæ ſunt per fidem nota, nunc non agimus. A ratione autem naturali ita argumentatur D. Thom. (*1. p. q. 12. a. 1.*) Ineſt enim homini (& omni menti creatæ) naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, quum intuetur effectum, & hoc deſiderium maximè in admiratione cernitur, quæ ex cauſæ ignoratione procedit; ſed hoc naturale deſiderium ſatiari non poteſt per eam Dei notitiam, quæ eſt omnibus intelligentibus communis, ac veluti ingenita, quia illa imperfectiſſima eſt, & confuſa: (*cont. Gent. 3. c. 38. Ib. c. 39.*) nec per eam notitiam, quæ haberi poteſt per demonſtrationem acquiſita, quia per eam ſcimus quidem Deum eſſe, ſed non quid Deus ſit, niſi forte per viam remotionis potius, quam affirmationis: nec per eam notitiam, & cognitionem, quæ eſt per fidem;

tam cognitio est
... pter authoritatem
fidem; (*Ib. c. 40.*) quia fides non ... seipsam cog...
sus præstitus rebus non cognitis pr... sit, aut ess...
per eam cognitionem, (*Ib. 41.*) ... tissimum,
lis substantia, quia hæc qualiscum... ivam Dei
aliquid exhibet ab divina natura re... e desideriu...
(*in præc.*) ergo si præter has, in ... x natura...
non posset rationalis creatura, natu... hos ...
non videtur dicendum: Deus enim ... e circa
quod veluti axioma est apud Philo... mini na...
2. Videtur autem dubium oriri p... effectus
tionem D. Thomæ, nimirum inesse ... qu. 12.
gnoscendi causam, quum aliquos ej... atura ra...
quippe dictum D. Thomæ (*in 1.* ... videntia
esse putavit, non de homine, aut cr... ta, & o...
sed de eadem, ut est in præsenti p... imere,
ad supernaturalem beatitudinem destin... n aliquam
opus fuit, inquit, id D. Thomam ex... in Deum...
plicuisset, nec hominem, nec creatu... Sed in hoc
considerationem spectare, nisi quatenus ... eo articulo c...
logiæ primarium subjectum, ordinantur ... attendentes
videtur Gajetanus. Nam D. Thomas in ... essentiam
te argumentatur. Ait enim: Hoc igitur Dei ... enim hominis
runt, quod nullus intellectus creatus ... operatio in...
Sed hoc inconvenienter dicitur. Quum est ... beatitudin...
altissima ejus operatione consistat, quæ ... consistet, ...
nunquam Deum videre potest, vel nunquam in Deo, ...
tur, vel in alio ejus beatitudo, quam in ... rationem. In...
num a fide ... Similiter est etiam præter ... a ratione, ...
mini &c. Argumentatur igitur hic D. Thom. ... quæ procedit sol...
nitur fidei; sed ratio, aut consideratio, non contraponitur fidei
positione principiorum fidei, argumentatio ex suppositione elevati...
est: ergo D. Thomæ argumentatio non procedit, ut Cajetanu...
ræ, quæ sola fide cognoscitur, mentem (*in 3. cont. Gent. c.* ...
Plenius igitur D. Thomæ, qui propositionem illam inter...
quutus videtur Ferrariensis, qui inclinatione naturali, ut naturale ...
non de appetitu, aut inclinatione formam naturalem, sicut ...
quod de necessitate consequitur naturale dicimus illud, quod na...
est igni comburere; sed ut naturale aliquam apprehensionem con...
in anima, aut mente creata ad apprehensionem mortis, ...
ut naturale est homini timere ad apprehensionem conse...
affectio illa animi non innata sit, sed inclinationem, aut propensione...
Propterea non appetitum, inclinationem

naturalem D. Thom., sed naturale desiderium cognoscendi causam; quod cognito effectu, omni homini naturaliter inest, sicut naturalis est admiratio, quæ aliud esse non videtur, quam ignoratio causæ cum ejus cognoscendæ desiderio conjuncta. Unde Sapiens non est admirativus, ut in Metaphysicis dicitur, quia eum causa non latet, nec item est admirativus Stolidus, quia causam scire, non satagit.

3. Secundo id probat D. Thom. (*in 3. cont. Gent. c. 54.*) solvendo, & evertendo rationes, quæ contrarium videntur convincere, quod in quæstionibus, ut vocant, de possibili, satis est efficax probationis genus, quum omne id quod contradictionem non implicat, divinæ Omnipotentiæ tribuendum sit, quod supra est statutum. (*Prop. 14.*) Sic enim argumentantur: Deus videri non potest, nisi ipsa divina Essentia creatæ menti copuletur, tanquam species impressa, aut forma intelligibilis, quod in præcedenti ostensum est; sed hoc esse non potest, quum Deitas sit ipsum Esse subsistens, & in actu completo, quod nullius potest esse forma, alias Deus in compositionem alicujus veniret, sive pars esset alicujus compositi, quod supra improbatum est: Deus igitur in propria natura videri ab creata mente non potest. II. Nullum lumen adveniens visui, potest eum elevare ad conspiciendum ea, quæ naturalem ejus capacitatem excedunt, v. g. sonum, aut spiritum, sive rem incorpoream; sed Deus est supra omnem captum mentis creatæ plusquam quodvis creatum immateriale supra corpus: ergo nullo adhuc supernaturali lumine potest, &c. III. quia lumen illud, uti quid creatum, semper infinitum distat a Deo. IV. Si lumen illud potest creatam mentem ad divinam intuitionem elevare, ideo est, quia est quædam divinæ naturæ similitudo. Sed hoc primum quidem falsum est: nulla est enim creata similitudo, per quam Deus possit intuitivè cognosci, ut supra ostensum est: nec item sufficit; nam quævis res creata, & maximè intellectiva, qua talis, est quædam divinæ substantiæ similitudo; & tamen substantiæ intellectiva seipsam cognoscens, Deum intuitivè non cognoscit, ut supra ostensum est: Deus ergo &c. V. quia lumen illud quum sit creatum, potest esse alicui creaturæ intellectivæ connaturale: dari ergo poterit mens creata, cui sit connaturalis Dei intuitio, sive quæ per solam naturæ suæ facultatem Deum intueri possit, quod dictis non cohæret. VI. Inter mentem, & rem intellectam aliquam esse proportionem oportet; sed inter creatam mentem quocumque lumine perfusam, & Deum nulla est proportio; sunt enim sicut finitum, & infinitum: ergo. VII. Divina Essentia est intimè præsens omni menti creatæ, & quidem naturaliter, & necessario ex suppositione creationis, quod supra dictum est; (*prop. 15.*) sed non ideo omnis mens creata Deum in propria natura naturaliter vi-

Digitized by Google

videt , aut ullo modo videt : ergo intima conjunctio divinæ Essentiæ cum creata mente non est ratio sufficiens , ut divina Essentia videatur . VIII. D. Thom. ex Aristotele contra Averroem probat , intellectum agentem esse in anima , & partem ejus , quia si esset separatum , anima per ipsum non intelligeret ; sed divina Essentia , quocumque tandem modo ponatur præsens animæ , non est pars ejus ; quum Deus in nullius compositionem venire possit , ut ostensum est : (*prop. 3.*) ergo per eam anima , aut mens creata quævis intelligere , aut cognoscere non posset .

4. Hæc tamen omnia præmissam assertionem non labefactant . Ad primum enim respondetur , negando minorem , & exponendo inclusam probationem : nullius esse potest forma naturalis , concedo ; forma intentionalis , aut intelligibilis , nego . Hoc autem Deum non dedecet . Non enim ex forma intelligibili , & intellectu resultat unum per se , aut compositum aliquod . Immo quia Deus sicut est ipsum Esse , ita est ipsa Veritas , sicut propter primum illabitur , & est intimè præsens omni Enti , ita quia est ipsa Veritas , illabitur , & est intimè præsens omni intellectui . Sicut autem in ratione Entis non tribuit creaturæ omnem perfectionem , sed solum illam , quæ naturæ suæ est proportionata , & connaturalis , ita in ratione Veri , aut cognoscibilis non tribuit menti omnem cognitionem , sed solum illam , [illegible] cujus natura rationalis est capax secundum suam conditionem [illegible] sicut de dicitur (*Joan. 1.*) illuminare omnem hominem venientem [illegible] hunc mundum . Omne enim lumen intellectus nostri , sive [illegible] sive gratuitum , est quædam impressio veritatis primæ . Et [illegible] impressio fortior est , & plura manifestat in lumine gratuito [illegible] in puro lumine naturæ , ita multo fortior , & plura manifestat [illegible] terit in lumine beatifico , quam in lumine gratuito [illegible] mortali secundum præsentem providentiam conceditur [illegible] id , quod est lucidum , intra ipsam potentiam visivam [illegible] sit ; id tamen quod esset lux ipsa subsistens , intra [illegible] vam esse posset , eamque informare , ut lux in seipsa [illegible] psam videretur . Ad secundum distinguo majorem : [illegible] ejus capacitatem excedunt , id est , quæ sunt extra capacitatem [illegible] adæquatum , concedo ; quæ naturalem ejus potentiæ , nego [illegible] est , quæ sunt extra sphæram naturalem [illegible] vel quia [illegible] enim potest aliquid facultatem visus excedere , vel quia [illegible] extra objectum visus , veluti quod non est susceptivum [illegible] loris , sicut sonus , aut spiritus , vel quia quamvis intra [illegible] visus existat , tamen propter nimiam distantiam , vel [illegible] lentiam , aut visus debilitatem est omnino extra activitatis [illegible] sphœram , & ad hæc videnda virtus adjuta , atque elevata [illegible]

non autem ad prima. Quod enim in se est visibile, aut conspicuum sublata distantia, aut aeris interjectu, aut lucis defectu, vel radiorum visualium nimia convergentia, vel divergentia ope alicujus instrumenti, etiam naturaliter cerni potest. Tertium planè concedimus; sed id non obstat, quo minus mens illo supernaturali lumine adjuta, Deum videre possit. Potentia enim etiam materialis oculorum majori lumine adjuta, ea cernere potest, quæ cum minori lumine non poterat. Vitrum item concavum, aut convexum, quamvis objecti distantiam non minuat, neque secundum naturam, neque secundum locum, tamen aciem oculorum roborat, elevatque, ut videre possit, quod aliter videre non poterat. Quartum infra explicabitur, quum de Luminis beatifici natura, atque indole agetur.

5. Ad quintum negatur assumptum, quod inclusa probatio non convincit. Non enim quod a Deo fit supra vires totius naturæ, potest esse alicui creaturæ connaturale. Quamvis quod non est connaturale huic naturæ particulari, possit esse connaturale alteri, sicut moveri, quod est naturale homini, non est naturale lapidi, tamen quod est supra vires totius naturæ, nulli esse potest rei creatæ naturale, quamvis innatum esse possit, si ab ipso creationis exordio infunderetur. Ad sextum distinguo majorem: oportet esse aliquam proportionem causæ ad effectum, sive entitatis ad entitatem, nego; objecti ad potentiam, aut aliquid hujusmodi, concedo. Quæ enim proportio inter vitrum, & Solem, & tamen oculus vitro adjutus conspicit Solem, quem per sese conspicere non valet. Ad septimum distinguo item majorem: semper est intimè præsens, & semper eodem modo operatur, nego; & non semper eodem modo operatur concedo. Quamvis enim Deus sit intimè præsens omni rei creatæ, tamen non semper operatur in rebus creatis nisi eos motus, & operationes, quæ naturæ sic institutæ debentur, suntque ipsi connaturales. Unde Deus ut author naturæ semper adest intimè omni rei creatæ, non vero ut author supernaturalis, nisi quando in ea supra naturam operatur. Ad octavum respondeo, doctrinam D. Thomæ, & ejus contra Commentatorem argumentum non enervari. Intellectus enim tam agens, quam passibilis est id, quod in homine intelligit: ergo si esset aliquid mere extrinsecus assistens, ejus operatio non posset homini tribui, sicut non tribuitur homini, quod in eo bonus, aut malus spiritus assistens operatur; at Essentia divina non est id, quod in beata anima intelligit, sed species, aut forma, qua intelligit, quam partem ipsius animæ, aut mentis esse non oportet.

6. Impugnari autem secundo Catholica doctrina potest ex multis Scripturarum, quæ divinæ authoritatis sunt, ut infra dicetur, & Sanctorum Patrum testimoniis. Dicitur enim: (*Joan. c. 1.*) Deum nemo

mo vidit unquam . . . Quem nullus hominum vidit . . . sed nec videre potest . . . Regi (1. ad Tim. c. 6. 1. ad Tim. c. 1.) sæculorum immortali, & invisibili &c. Unde Dionysius, Dei nec sensum esse, inquit, (de div. nom. c. 2.) neque phantasiam, nec opinionem, nec rationem, nec scientiam. Apertius Chrysostom. (hom. 15. in Joan.) Deum, ut in se est, non Prophetæ, immo nec Angeli vident, neque Archangeli . . . quod Apostolus ostendit: (Ib. c. 16.) Quum enim dixisset: Manifestatum est in carne, mox addidit: visum est Angelis. Itaque Angelis etiam ipsis tunc visus est, quando carnem induit. Antea vero non sic eum videbant, quoniam nec ipsis erat adspectabilis. Pro hac etiam sententia citari solet Origenes, (apud Epiph. Hær. 64. n. 4. & apud Hieronim. Epist. 59. ad Avitum.) qui eo usque progressus est, ut assereret, Unigenitum Filium non posse Patrem conspicere, nec ab Spiritu Sancto Filium videri, nec Spiritum Sanctum ab Angelis, neque ab hominibus Angelos. Allegantur etiam ex Latinis Patribus Ambrosius, (Comm. in Luc.) & Hieronym., (in c. 1. Isai.) quod alter non de hominibus solum, sed de cœlestibus etiam virtutibus dictum esse illud Joannis velit: Deum nemo vidit unquam; alter vero quod docuerit, faciem Dei juxta suæ naturæ proprietatem a nulla creatura videri. Sed horum non est adeo difficilis expositio, sicut Græcorum, qui tamen ipsi sana interpretatione non carent.

7. Et primo quidem Dionysium, & Chrysostomum de cognitione aut visione comprehensiva interpretatus est D. Thom. ... enim Dionysius, Deum ab omnibus, & omnino esse incompre... bilem, eamque rationem reddit, cur ejus non sit sens... Chrysostomus autem loquitur de accurata speculatione ... cognitione, ut ipse mox subdidit, & tali, qualem ... Pater, aut cujusmodi est ea, qua seipsum Deus cognoscit. ... Chrysostomi verba sunt alibi. (hom. 5. cont. Anom.) ... ait, Deum tunc Angelis visum, quum carnem induit. Non ... id enimvero de corporea visione intelligendum est. & ... no incorporeos Angelos existimasse Chrysostomum, ... Græcis Patribus alibi multis argumentis planum fiet. ... solutione Theodoreti, Oecumenii, Theophilacti, Basilii ... & Anastasii, quæ citari possent, testimoniis, occurritur ... porro, qui in multis aliis lapsus est, non curamus. ... dum tamen non est, multa de quibus ab Epiphanio, ... accusatur Origenes in libris περι αρχων quales nunc exstant, ... veniri, sive quod ii Patres in vitiatos codices inciderint, ... horum librorum interpres Ruffinus, uti scribit ipse Hieron... genis mentem non fideliter expresserit.

8. Hieronym. vero in citatis verbis comprehensivam quidem Dei cognitionem negat, intuitivam non negat. Præmiserat enim: Homo faciem Dei videre non potest; Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Patris. Et nos quidem nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus. In quibus verbis hominis Dei, inquit hæc verba referens Augustinus, (*ep. 111.*) multa consideranda sunt, primum, quod secundum apertissimam Domini sententiam, etiam ipse sentit, tunc nos visuros faciem Dei, quum in Angelos profecerimus, quod erit in resurrectione mortuorum. Ambrosius similiter solum cognitionem comprehensivam negare videtur, nam in resurrectione Deum ab hominibus videndum scribit non corporalibus oculis, sed purgata mente, & mundo corde. Quo etiam Ambrosii testimonio usus est Augustinus, (*epist. 112.*) ut utriusque Doctoris sententiis ostenderet, Deum sicuti est, nunc fortasse videri a quibusdam Angelis; a nobis autem tunc ita videndum, quum eis æquales facti fuerimus. Consonat Ambrosio, Hieronymo, Augustino Gregorius, (*18. Mor. c. 28.*) qui ea verba Domini adducens: (*Joan. 14.*) Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, ac si patenter dicat, inquit, qui in vestra me cernitis, restat, ut in mea me natura cernatis. Homines igitur Deum videbunt, inquit Irenæus, (*serm. 1. de fid. ap. Melis.*) & vivent per visionem immortales facti . . , quia licet ejus magnitudine attenta, & gloria, nemo eum videat, & vivat; attenta tamen benignitate, charitate, & potentia, etiam hoc largitur iis, qui se diligunt, ut eum videant. Homo etenim ex se non videt Deum; ille autem volens, videtur ab hominibus, a quibus vult, & quando vult. Potens est enim in omnibus Deus. In eandem sententiam Epiphanius: (*hær. 70.*) Invisibilis est natura, & incomprehensibilis majestate; sed quum homini creaturæ suæ apparere voluerit, nihil ejus voluntati refragatur. Igitur invisibilis Deus, per benignitatem, & potentiam suam, id quod imbecillum est, corroborans, ei dignatur concedere, ut quod natura sua invisibile est, videat. Quod ipsum pressius, & aculeatius dixit Ambrosius: (*lib. 1. in Luc.*) Non est in nostra potestate Deum videre; sed in potestate illius est, apparere, aut se videndum præbere. Quorum ex Patrum doctrina: & præcedens, & præsens propositio æquè firmatur. Nam neque mens creata sibi relicta Deum videre potest; quod in præcedenti stabilitum est; & tamen Deo largiente, & creaturæ debile lumen adjuvante, ipsum cernere mens creata potest, quod erat in præsenti propositum.

9. Testimonia vero Scripturarum allegata non difficilem habent explicationem. Aut enim de propria, id est, de corporea oculorum vi-

Google

visione loquuntur, ut intellexit Origenes, (*in 7. cont. Cels.*) aut de statu vitæ præsentis, ut exposuit Gregorius, (*18. Mor. c. 18.*) aut de comprehensiva cognitione, ut apud Augustinum interpretatur Ambrosius. Quare etsi illud Joannis: Deum nemo vidit unquam per identitatem rationis de Angelis quoque intellexerint Patres, ii maximè, qui corporeos Angelos existimarunt, at secundum literam Joannes de hominibus solum est loquutus, sive de corporea visione, sive de statu præsentis vitæ verba accipiantur.

10. Jam vero quænam sit illius beatifici luminus vis, & natura investigandum restat. Et primo quidem ab lumine oculorum deducta metaphora, sicut lumen rationis, & lumen intellectus dicitur, ita & illud, quo mens divinitus illustratur, adjuvatur, perficiturque, ut videre Deum possit, in quo felicitas est hominis summa, ut infra demonstrabitur, lumen gloriæ ab Theologis appellatur ex Scripturis, & Patribus desumpta loquutione. Dicitur enim: (*Ps. 42.*) Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsæ me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Ubi præter illud naturale, quo signatum est super nos lumen divini vultus, per quod bona nobis ostenduntur, aliud supernaturale, & gratuitum postulatur, quo in via peregrinantes deducimur, & quo in nobis perfecto, quum fuerit gratia consummata, adducimur in summi boni perfectam, & plenam possessionem, de quo dictum est: In lumine tuo videbimus lumen. Quod est autem lumen, in quo videt lumen, inquit hic Origenes, (*1. περ. αρχ.*) nisi virtus per quam quis illuminatur, ut veritatem omnem pervideat? [illegible] si vis illa, quæ imbecillitatem creatæ mentis corroborat, ut [illegible] est invisibile videat, ut est apud Epiphanium? (*sup. cit.*) quod assequi non poterat, potens reddita, adauctis viribus [illegible] tur? Perficietur itaque (creata mens) in illo lumine veritatis [illegible] August. (*de pec. mer. c. 19.*) quod incommutabiliter etiam [illegible] stificatos præsentia sui Creatoris illuminat. Dionysius & ve[illegible] mentes, inquit, (*c. 1. de Div. nomin.*) constanter [illegible] ad illucescentem sibi radium attolli .... & quibusdam [illegible] tum pennis sublevari. Ex qua constante Sanctorum sententia [illegible] Viennensi definitum est, animas (idem de omni creata [illegible] cendum) indigere lumine gloriæ, ad Deum videndum, [illegible] fruendum.

11. Invehitur hic suo more in Scholasticos Doctores [illegible] lumen gloriæ minimè omnium, inquit, (*lib. 7. c. 8.*) [illegible] efficientis esse causæ, ac veluti habitum, aut δυναμιν, [illegible] tem actuosam, quod passim in Scholis percrebuit. Immo [illegible] quit, si ex iis quæ palam, & apertè loquuti sunt Patres [illegible]

Digitized by Google

ram de eo facere volumus, cujusmodi lumen illud sit, magis erit, ut ad objectam intelligentiæ, ac visioni rem illud referamus, quam ad efficientem visionis potentiam, quemadmodum lux illa, qua illustrata corpora cernuntur oculis corporis, ad subjecta visui potius colorata corpora, quam ad videndi sensum pertinet, & in objecti, ut loqui solent, censu, apparatuque numeratur. Hæc bellè, comptè, & quoad res controversa patitur, latinissimè Petavius. Quæritur ergo, ut apertius loquamur, an lumen gloriæ se habeat ex parte rei visæ, sive objecti, an ex parte videntis, sive potentiæ? Qua quæstione sic planè proposita, statim apparet deceptum hac in re fuisse Petavium. Nam objectum, sive res visa per beatificam visionem est ipsa Deî natura, sive Essentia divina; sed ex parte Dei visi nihil adventitium, aut creatum esse potest, & circa Essentiam suam nulla esse potest Dei operatio in tempore: ergo lumen gloriæ attendi non potest, aut considerari ex parte rei visæ, sive intelligentiæ, ac visioni objectæ. Deinde si lumen illud se haberet ex parte rei visæ, ideo, vel quia lumen illud est, quod videtur, vel quia rem objectam visibilem, & conspicuam, aut intelligibilem nobis reddit, vel quia est similitudo, aut imago aliqua, inqua, aut per quam Deus videtur; sed nihil horum dici potest: ergo lumen gloriæ ad objectum, sive ad rem visam non pertinet. Primum patet: nam si ipsum lumen gloriæ est id, quod a beatis videtur, quum lumen gloriæ sit quid creatum, objectum beatitudinis quid creatum erit, & a Deo distinctum, atque adeo non in Deo ipso, sed in aliqua re creata summa hominis stabit beatitudo. Non secundum: Nam Deus sicut summum Ens, ita est summè intelligibilis: ergo sicut rationem Entis omnia ab illo habent, & ipse a nullo, ita & rationem intelligibilis, quod supra dictum est: non potest ergo divina Essentia reddi nobis intelligibilis per lumen aliquod ipsi rei visæ superveniens, sicut lux per se ipsam subsistens, non posset fieri conspicua alicui, & visibilis per aliam lucem. Tertium vero supra impugnatum est, quum probaremus, Essentiam divinam in nulla creata similitudine, aut imagine videri posse. Contrarium igitur omnino tenendum est, ac demptis tot verborum phaleris, dicendum, inquit D. Thom. (*1. p. q. 12. ar. 2.*) quod ad videndam Dei Essentiam, requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentiæ, scilicet lumen gloriæ confortans intellectum. Ubi etiam in extremis duabus dictiunculis rationem reddidit ex Patribus expressam. Nam ideo lumen illud requiritur, ut mentem illuminet, corroboret, ejus vires augeat, ipsam perficiat, sublevet, atque elevet, quæ Origenis, Epiphanii, Dionysii, Augustini, & Concilii Viennensis (*sub Clem. 5.*) verba sunt; sed id quod perficit, elevatque potentiam, & ejus vires auget, ad ipsam vim,

Digitized by Google

vim, aut potentiam activam spectat, non ad objectum extrinsecum, cui nihil confert: ergo lumen gloriæ, si ex iis, quæ palam, & apertè loquuti sunt Patres, conjecturam facere volumus, magis erit, ut ad efficientem visionis potentiam illud referamus, quam ad Deum ipsum, sive rem intelligentiæ, & visioni objectam, quod & ipse Petavius in sequentis capitis initio apertissimè confessus est. Verba infra dabimus.

12. Nec allatum corporeæ lucis exemplum est ad rem. Lux enim ideo requiritur ex parte corporis visi, quia per illam objectum fit actu visibile, unde dicitur actus perspicui, qua talis; at lumen gloriæ non reddit intelligibilem divinam naturam, quæ per seipsam ut est maximè Ens, ita est maximè intelligibilis, immo quia maximè intelligibilis est, excedit sphœram totius intelligentiæ creatæ, mentisque aciem obtundit, atque hebetat, sicut nimium sensibile hebetat sensum, & maximè lucidum potentiam visivam lædit. Sicut ergo lux ipsa, aut sol fons lucis non egent adventitio lumine illustrante, sed per semet conspicua sunt, ita & divina Essentia per seipsam intelligitur, & sicut noctua Solem cernere non potest, non ex defectu lucis in Sole, sed per excessum supra aciem noctuæ, ita propter eandem rationem Deus non potest ab creata mente in propria natura conspici. Per lumen igitur gloriæ subvenitur imbecillitati potentiæ, non vero accrescit aliquid perspicuitati objecti. Item: [illegible] corporea non solum ex parte objecti necessaria est ad visionem, [illegible] rum etiam ex parte potentiæ. Propterea & lumen oculorum [illegible] immo lumina oculos vocamus, quoniam nisi & ipsi luce [illegible] fuerint, res nulla, quamvis lucidissima, videri potest. Omni[illegible] ex parte similitudo inducta claudicat. Rectius igitur lumen [illegible] lumini comparabitur, quod Spiritus Prophetiæ dicitur, [illegible] Spiritus Intelligentiæ in Ecclesiastico appellatur, quo Deus [illegible] mentes illustrat, ut futura prospicere, & quæ supra naturam [illegible] cognoscere possit. Porro, sicut lumen, sive naturale, sive [illegible] gratiæ, aut gloriæ nihil est aliud, nisi quædam primæ [illegible] pressio, ita Dei in nobis operationes sunt, & sicut lumen [illegible] dit aliquid supra lumen naturæ, ita lumen gloriæ supra [illegible] tiæ. Quis autem sanus lumen rationis, aut lumen gratiæ [illegible] sam, non ad videntis potentiam spectare dixerit?

13. At inquit Petavius, beatam illam lucem fere ipsum [illegible] interpretantur Patres, dum istam ipsam videri lucem [illegible] runt: lumen igitur gloriæ non aliquid creatum est, sed [illegible] Essentia, atque adeo potius ad rem visam, quam ad [illegible] sendum esse videtur. Assumptum probatur locupletissimo testimonio: in lumine tuo, videbimus lumen. Quale autem [illegible]

(*in Solil. c. 34.*) Lumen immensum, incorporeum, incomprehensibile, indeficiens, increatum . . . Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus lumen. Te scilicet in Te, in splendore vultus tui; quando Te videbimus facie ad faciem . . . Hic enim est verus animæ finis quod Plotinus Philosophus scripsit, (*Enn. 5. lib. 3. c. 17.*) lumen illud attingere, & ipso ipsum intueri, non alio lumine, sed ipso, per quod & videt. Per quod enim illuminatur, ipsum est quod videri oportet. Non enim Sol per aliud lumen conspicitur. Hæc tamen, si rectè intelligantur, verissima sunt, sive liber Soliloquiorum Augustini sit, sive non sit, qua responsione non utemur. Rectè autem intelligentur prima illa Augustini, si accipiantur de lumine, quod videtur, non de lumine, quo videtur. Non enim frustra dictum est: In lumine tuo videbimus lumen, id est, in lumine, quo mentem nostram perfundis, videbimus lumen, quod tu es. Secunda etiam illa Augustini, & Plotini benè etiam dicta sunt. Solum enim significant, Beatos visuros Deum immediatè, id est, ipsum in ipso, non in aliquo medio, aut lumine, aut specie vicaria ipsius. Non enim illud lumen requiritur ad videndam Dei essentiam, quasi similitudo aliqua, (*1. p. q. 12. art. 4. ad 2.*) in qua Deus videatur; sed quasi perfectio intellectus confortans ipsum ad videndum Deum, & ideo dicitur, quod non est medium, in quo Deus videatur, sed quo, aut sub quo videatur, & hoc non tollit immediatam Dei visionem, sicut tubus opticus, quo Jovis satellites videntur, non tollit, quominus immediate in seipsis videantur. Ex quibus patet, non esse sibimet contrarium D. Thomam, dum negat, Deum per aliquam creatam similitudinem videri, & quum lumen gloriæ quid creatum esse, & quandam Dei similitudinem asserit ex parte potentiæ requisitam, quæ duo in eodem articulo habentur. Lumen enim beatificum non sic dicitur similitudo Dei, quia sit aliquomodo divinæ Essentiæ repræsentativum, sed quia mentem deificat, sive Deo similem, ac Deiformem facit. Unde sicut Gratia non est species repræsentativa divinæ Essentiæ, & tamen est quidam illapsus Dei in nos, per quem efficimur divinæ participes, & consortes naturæ, Diique quodammodo, & filii Excelsi omnes, (*Epist. 2. D. P. c. 1.*) ita lumen illud est quædam participatio Deitatis, per quam similes Ei erimus, quum videbimus eum, sicuti est. (*Joan. cap. 3.*) Licet autem quælibet substantia creata, & maximè intellectiva, sit quædam Dei similitudo naturalis, sicut omnis effectus est quædam similitudo causæ, a qua efficienter procedit, non est tamen species intentionalis Dei, ut propriam, aut alterius mentem informare possit, ut ex supradictis patet. Ex quo habetur solutio ad quartum argumentum supra factum.

14. Est igitur lumen gloriæ supernaturalis quædam operatio, atque influxus Dei mentem disponens, atque elevans ad intuitivam Dei speculationem. Qui quidem influxus, si constanter, & immobiliter insit intellectui, habitus instar erit, aut qualitatis infusæ, aut quod his recentioribus placere video magis instar δυνάμεως, actuosæ facultatis; non vero si transeunter, atque ad tempus adsit intellectivæ potentiæ, quod an fieri possit, mox dicetur. Visionis ergo activum principium, sive effectrix, est ipsa mens tali luminis comprincipio elevata, & divina Essentia, tanquam specie intelligibili informata. Unde Petavius ipse, qui lumen ad objectum visum, non ad potentiam videntem spectare dixerat (in cit. cap. 8. lib. 7.) postea (in 9. cap.) sic exorditur: De efficiente causa visionis satis dictum est, hoc est de creata mente, ope divina naturam adjuvante, & ut videre possit, sufficientiam tribuente; nunc [illegible] cujusmodi esse lumen gloriæ Theologi hodie omnes arbitrantur, ex parte causæ efficientis se habere fatetur, eique plenam sufficientiam tribuere ad visionem eliciendam, & hanc esse omnium Theologorum sententiam; a qua si ipse discederet, non in cap. 8. ubi de causa efficiente visionis egit, sed in capite 9. ubi de rebus visis, aut visioni, ut ipse, inquit, subjectis, sive de objecto visionis agit, & ex [illegible] instituenda de lumine gloriæ fuerat tractatio [illegible]

15. Quæri hic multa solent in Scholis, quæ stabili[illegible] de[illegible]cando huic dogmati non parum lucis afferunt. Primum [illegible] sicut mens, ita etiam oculus corporeus aliquo supernaturali [illegible] possit ad videndum Deum elevari? ([illegible] p. q. 12. art. [illegible]) Cui [illegible] huic ansam dedit, ut reor, Augustini dubitatio ([illegible] 19.) Ille enim quamvis pluribus in locis docuerit apertissime [illegible] lorum hac acie mortali Deum non videri, nec videri posse [illegible] an post gloriosam resurrectionem, quando corpus, ut [illegible] quit, in substantiam spiritalis animæ refundatur, id fieri [illegible] dubitasse videtur Augustinus. Verum hæc quæstio ab illa [illegible] utrum talis promittatur in Resurrectione spiritualis corporis [illegible] ut etiam ipsa quæ caro fuerat, spiritus fiat? vel [illegible] (Epist. 111, & 12.) an corpus non solum mortalitatem [illegible] ruptibilitatem, verum etiam hoc ipsum quod corpus est [illegible] Resurrectionis amittat, & Spiritus fiat? Si enim non solum [illegible] mortalitate, & corruptione, & gravitate corporis, aliud [illegible] li, sed etiam in virtutem ipsius mentis quodammodo convertetur [illegible] non istius corporis oculi Deum videbunt. [illegible] Nondum [illegible] fiducia confirmo utrum ita futurum sit spirituale corpus [illegible] Jam vero omni prorsus dubitatione seclusa, dicendum est [illegible]

ita per reſurrectionem corpus transmutandum, ut caro, corpuſque eſſe deſinat, quod neque cum ſana philoſophia, neque cum Chriſtiana fide cohæret. Quare ſi nunc non poteſt, nec tunc quidem poterit corporeis oculis videri Deus. II. Nunc non poſſe item tenendum eſt. Nulla enim potentia, quamtumvis divinitus elevata, agere poteſt ad id, quod eſt extra adæquatam rationem ſui objecti; objectum autem viſus eſt ſuperficies colorata: quod ergo tale non eſt, nec divinitus videri poteſt, quare nec divinitus poteſt ſonus, aut ſapor videri, nedum Deus omnino incorporeus, immenſus, infinitus. Similes enim Deo erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. (*1. Joan. cap. 3.*) Unde igitur videbimus, inde ſimiles erimus. Quis autem dixerit corpore nos eſſe, vel futuros eſſe ſimiles Deo? In interiore igitur homine iſta ſimilitudo eſt, (*Ep. 6. expon. verb. Joan. ſimiles ei &c.*) ut idem argumentatur Auguſtinus. Omitto Petrum hac in re teſtimonia, quæ paſſim occurrunt. Loca vero aut Patrum eorundem, aut Scripturarum, quibus innui videtur corpus glorioſum ſpiritale futurum, aut in ſubſtantiam animæ transformandum, alibi commodius explicabuntur.

16. Dubitare item ſolet, utrum in hac mortali vita poſſit homo lumine illo gloriæ illuſtrari, ac Dei eſſentiam videre((*1. p. q. 12. a. 11. & 13. de verit. atque alibi.*) Quæſtio hæc movetur occaſione multorum Scripturæ Sacræ locorum, quibus homines nonnulli dicuntur vidiſſe Deum facie ad faciem, & os ad os ipſum alloquutos, ut Jacob, Moiſes, Iſaias &c. Et quidem ſola attenta ratione, id repugnare non videtur. Nam I. ex parte divinæ Eſſentiæ non repugnat, quæ nulla ſui mutatione, ſicut eſt intimè præſens intellectui a corpore ſeparato, etiam eſt præſens intellectui corpori conjuncto. II. neque ex parte luminis, quod nihil prohibet menti infundi conjunctæ, aut ſeparatæ, quum intellectio, & mens ipſa, neque corpus ſit, neque virtus in corpore, quamvis corpori conjuncta, quod alibi demonſtratur. (*prop. 3. lib. 7.*) Infundi autem poteſt, ſive per modum habitus permanentis, ut adeſt beatis mentibus in patria, ſive per modum paſſionis tranſeuntis, ut dicitur (*in 2. 2. qu. 184. art. 3.*) III. neque ex parte unionis animæ ad corpus, nam animæ poſt reſurrectionem iterum corporibus conjunctæ Deum videbunt, ut fides Chriſtiana docet. Reſtat igitur, ut ſolum corpus hoc mortis, quod corrumpitur, & aggravat animam, infuſionem luminis hujus prohibeat. Non hoc enim vero. Nam anima Chriſti quamvis corpori paſſioni, & corruptioni obnoxio conjuncta, Dei Eſſentiam jugiter intuebatur. Dices cum D. Thoma, (*q. 13. de verit.*) Chriſtum ex hoc, quod erat Deus, & homo, habuiſſe plenariam poteſtatem ſuper omnes facultates animæ ſuæ, & ſuper corpus, ut operationes animæ impedire

re non possent. Contra tamen est: nam hanc potestatem, etiam seclusa unione hypostatica, per donum Dei supernaturale, quivis hominum habere potest: ergo quivis etiam in hac vita mortali Deum videre per Essentiam potest. Antecedens patet, nam illa perfecta subjectio corporis ad animam effectus erat justitiæ originalis, ut D. Thom. docet, & alibi explicatur: (*lib. 9.*) Fuit ergo in Adamo ante lapsum, & esset in omnibus ejus posteris, si Adamus non peccasset. Dices, in eo casu vitam non futuram fuisse mortalem, neque corpus corruptibile. Respondeo id, quod idem D. Thom. docet, hominem futurum fuisse immortalem, & corpus incorruptibile, non natura, sed gratia: ergo cum naturali corruptibilitate stare potest supernaturalis incorruptibilitas sicut in Adamo, ita & in quovis hominum.

17. Neque rationes, quibus id probat D. Thomas, omnino efficaces videntur. Sic enim colligit: (*1. p. q. 12. a. 11.*) Modus cognitionis sequitur modum naturæ cognoscentis; sed anima nostra, quamdiu in hac vita sumus, habet esse in materia corporali: ergo naturaliter non cognoscit, nisi ea quæ habent formam in materia, vel quæ per hujusmodi cognosci possunt, qualis Deus non est. Hæc autem ratio solum probat, Deum naturali modo cognitionis ab anima cognosci non posse, dum est conjuncta corpori, immo nec quum fuerit ab eo separata, quod probatum est. (*in præced.*) Si enim supernaturali modo cognitionis loqueretur, falsum concluderet, n animæ beatorum post Resurrectionem habebunt esse in corpore, in materia corporali, sicut nunc, & tamen Deum per Essentia debunt, uti fide docemur. Alia D. Thomæ argumentatio tali (*3. cont. Gent. c. 47.*) Quanto magis mens nostra ad contem spiritualia elevatur, tanto magis ab sensibilibus abstrahitur autem terminus, ad quem contemplatio pertingere potest, est c tio divinorum: ergo oportet mentem, quæ intuitive divina anim tur, omnino ab corporis sensibus esse absolutam. Sed specula ego inquam, post resurrectionem divina intuitive sit or corpori conjuncta esse non potest, sive oportet, ut sit sensibus corporis absoluta. Dices: (*13. de Ver. art. 3.*) vita corpus futurum perfecte subditum animæ, quod in hac redundar potest. Incorruptio enim, & immortalitas animæ redundare hypoth pus, atque adeo jam non esset vita mortalis contra hypoth dic huic responsioni multipliciter occurritur. Primo: nam co corpus illius hominis, qui Deum in hac vita intuitive conditio futurum natura corruptibile, & ejus vitam naturæ conditio lem, sed incorruptibile corpus, & immortalem vitam ex tiæ, sicut fuit in Adamo, & in quovis hominum esse posse

do; argumentum teneret, si lumen gloriæ ei homini concederetur per modum habitus permanentis; hoc tamen non opus est; quum concedi possit ad tempus, & per modum affectionis transeuntis, ut Paulo, & Moisi concessum fuisse, D. Thom. ipse tuetur. Tertio etiam, si daretur per modum habitus permanentis, posset impediri redundantia incorruptionis animæ ad corpus, etiam stante plena subordinatione corporis ad animam, ut in Christo fuit impedita.

18. Nullo igitur repugnare videtur ex capite, hominem in hac etiam vita mortali ad Dei speculationem intuitivam elevari. Utrum vero id alicui fuerit de facto concessum, disputant Theologi. De Moise quidem, & Paulo id disertè affirmavit Augustinus, & ejusdem authoritate inductus D. Thomas. (*13. de Ver. art. 2. 1. p. q. 12. ar. 11. 2. 2. q. 175. & alibi.*) Et de Moise porro aliquod in Scripturis fundamentum hæc habere videtur opinio. De eo enim dicitur: Palam, (*Num. 22. 6.*) & non per ænigmata vidit Deum. Et item: (*Deut. 34. 10.*) Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moises, quem nosset Dominus facie ad faciem. (*Num. 12. 8.*) Ore enim ad os loquor ei (*Exod. 33. 11.*) sicut loqui solet homo ad amicum suum. Non est autem credibile, inquit Augustinus, (*lib. 12. de Gen. ad lit. & Epist. 112. nunc 147.*) ut minister veteris Testamenti ad Judæos Deum per Essentiam viderit, & ministro novi Testamenti, ac Doctori gentium id concessum non fuerit. Quid? quod Paulus ipse raptum se fuisse, scribit, usque ad tertium cœlum, (*2. ad Corint. 12.*) id est, in Paradisum Sanctorum, ubi arcana verba audivisse se, inquit, quæ non licet homini loqui?

19. His tamen non obstantibus communis Patrum, & Theologorum sententia est, neminem in hac vita mortali Deum per Essentiam vidisse, quod testimonia multa Scripturarum suadent: Scriptum est enim: (*Exod. c. 33.*) Non videbit me homo, & vivet, ubi glossa Augustini: (*q. 154. in Exod. n. 5.*) Ostendit, inquit, huic vitæ corruptibilis carnis, Deum sicuti est, apparere non posse; in illa tamen vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ moriendum est. Et ibidem allegatus Gregorius: qui Sapientiam, inquit, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur. Equidem scio, D. Thomam hæc loca, non de naturali morte, sed de mystica, & figurata interpretari, ut dicatur, hominem mori, non quia anima a corpore separetur, quod in naturali morte contingit, sed quia in divinorum contemplatione absorpta, corporis sensibus non utitur, atque adeo neque vita corporis vivit. Et de Augustino quidem id non inficior; Gregorium autem eo sensu loquutum fuisse, persuadere mihi non possum, nam quum adjunxisset: (*18. Mor. c. 28.*) a quibusdam tamen in carne viventibus, sed inæstimabili virtute proficientibus Dei cla-

claritatem videri poſſe, quod priori ſententiæ contrarium videbatur; & Auguſtini opinioni conſonum, mox ita utrumque componit: In hac igitur mortali vita conſiſtentibus, & videri potuit per quaſdam circumſcriptas imagines, & videri non potuit per incircumſcriptum lumen æternitatis; ſed viſio Dei per circumſcriptas imagines non eſt viſio intuitiva: ergo juxta Gregorium in hac mortali vita conſiſtentibus viſio Dei intuitiva non eſt conceſſa. Quid? quod Aug. ipſe in libro de Trinit. decimo, quum multa de hoc argumento diſſeruiſſet, disertè aſſerit, Moiſem non intuitivè, & in ſeipſo, ſed in factitiis figuris Deum vidiſſe? Omnia, inquit, quæ a Patribus viſa ſunt, quum eis Deus ſecundum diſpenſationem temporibus congruam præſentaretur, per Angelos facta eſſe manifectum eſt . . . ſive ipſis loquentibus, aut agentibus aliquid ex perſona Dei, ſive aſſumentibus ex creatura, quod ipſi non erant, unde Deus figuratè demonſtraretur hominibus. Id autem ſe demonſtraſſe, dicit, in fine ejus libri & probabilitate rationis, & firmitate authoritatis. Non ergo Moiſes, juxta Auguſtinum, (*ep. 111.*) niſi figuratè Deum viderat. Alibi Athanaſium, Gregorium Nazianzenum, & Ambroſium adducit idem Auguſtinus, qui Moiſi, cæteriſque Patriarchis alicujus adſpectabilis materiæ diſpoſitione aſſumpta, ſalva ſua inviſibilitate, Deum viſum eſſe, teſtantur. Addere potuiſſet Baſilium, apud quem, (*hom. 1. Hexaem. cap. 2.*) Moiſes, quum octogenarius eſſet, vidit Dominum, sicùt homini videre fas fuit, ſed ſicut nulli alii conceſſum eſt. Itaque licet Prophetam audias dicentem: Vidi Dominum, non ſuſpiceris, eum ſubſtantiam illam vidiſſe, ſed ſe attemperantis formam. Addere potuiſſet Irenæum, apud quem: (*lib. 4. c. 37.*) non faciem Dei videbant (Patriarchæ nimirum, & Prophetæ) ſed diſpoſitiones, & myſteria, per quæ inciperet homo videre Deum. Theodoretus quoque Eutychiano opponenti, Deum in veteri Teſtamento ſæpius viſum, Nos, reſpondet, (*Dialog. 1.*) divinis aſſeverationibus credentes, quæ Deum a nemine unquam viſum disertè affirmant, dicimus, ipſos non divinam vidiſſe ſubſtantiam, ſed figuras quaſdam eorum captui accommodatas. In eandem ſententiam adduci poſſent Cyrilli Hieroſolymitani, Greg. Niſſeni, Epiphanii, Juſtini, Dionyſii, Phœbadiique teſtimonia.

20. Sed authorem quæſtionum ad Antiochum præterire non poſſum ita diſſerentem. (*quæſt. 28. ad Ant.*) Siquidem longè poſt Moiſem ſcripſit Joannes Apoſtolus; at hic diſerte ait: Deum nemo vidit unquam: quare nullus hominum ipſam Dei ſubſtantiam videre poteſt; ſed Deus ad humanam ſe demittens imbecillitatem ſub diverſis formis Prophetis apparebat. Nec dici poteſt, verba Joannis de viſione corporea intelligenda eſſe. Joannes enim quaſi per antitheſim

sim loquitur, dicens: Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarravit. Quasi diceret: Quoniam Deum nemo viderat, opus fuit, ut Unigenitus Patris ad nos descenderet, & Deum Patrem nobis manifestaret, qui solus eum viderat. Atqui hæc Joannis argumentatio nullam vim haberet, si solum de corporea visione loqueretur. Est itaque insufficiens responsio. Idem argumentum & de Paulo fieri potest. Nam epistolam secundam ad Timotheum Paulus scripsit annos fere novem postquam secundam ad Corinthios scripserat. Hanc enim, in qua se ante annos quatuordecim raptum fuisse, commemorat, scripsit anno Æræ vulgaris quinquagesimo septimo; illam vero ad Timotheum anno sexagesimo sexto, ut communis est Interpretum, & sacrorum Chronologorum sententia: at Paulus in 2. illa ad Timotheum Deum, ait, lucem habitare inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest: non igitur ipse viderat. Quid? quod Paulus ipse in eadem illa Epistola, ubi raptum suum narrat, hæc habet: Dum sumus in corpore peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Nam quod ait D. Thom., (*13. de Ver. ar. 4 ad 7.*) verbum illud Apostoli intelligendum, non quamdiu anima est in corpore, sed quando corporeis sensibus utitur, id an congruum sit, alii viderint. Paulo aliter huic eidem argumento respondet D. Thomas per hæc verba: (*2. 2. q. 175. ar. 5.*) Dicendum, quod Paulus peregrinabatur a Domino, quantum ad statum, quia erat adhuc viator, sed non quantum ad actum, quando Dei visione fruebatur. Contra vero est, nam beati post resurrectionem erunt in corpore, & non dicentur peregrinari a Domino, quoniam non per fidem ambulabunt, sed per speciem: ratio ergo quare dum sumus in corpore mortali peregrinamur a Domino, est, quia in corpore mortali fidem Dei habemus, sed non intuitionem, sive speciem. Sed de hoc satis. Certè communis sententia verior est; tamen propter D. Thomæ authoritatem teneat quisque, quod velit.

21. Nam neque ea, quæ de Moise, & Paulo in Scripturis dicuntur, nos cogunt, ut ab communi Patrum, & Theologorum sententia recedamus. Nam etiam Jacob vidisse Deum, dicitur, facie ad faciem, unde & ipsi, Israel nomen impositum, & tamen non de intuitiva visione id intelligitur. Unde Dominus ipse ad Moisem: Faciem, inquit, (*Exod. 33. 20.*) meam, id est me in propria natura videre non poteris. Non enim videbit me homo, & vivet . . . Posteriora mea, id est, effectus quosdam, & similitudines Divinitatis repræsentativas videbis, ut cum Philone communiter interpretantur Patres, quos inter Aug. ipse supra citatus. Quia vero Moises præ omnibus aliis Prophetis clariore, & nobiliore modo, ac sæpius Deum vi-

vidit, ac fere quotidiano ipsius colloquio fruebatur, ideo dicitur, non per figuras, & ænigmata, sed os ad os cum Deo loquutus, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Illa itaque cognitionis excellentia, plena, & perfecta cognitio dicta est, non ad rei ipsius veritatem, inquit Nazianzenus, (*orat. 34.*) sed ad aliorum modulum, & facultatem comparatione facta. Vidit enim Deum, quantum homini fas fuit, & ut nulli alii concessum est, ut Basilius supra citatus loquitur. De Paulo autem nihil tale dicitur, quod nos cogat, ut intuitivam visionem ipsi concedamus. Nam quod raptus sit in tertium cœlum, id de corporeo loco intelligendum est; verba autem arcana de mysteriis gratiæ, & gloriæ, de providentia Dei circa electos, & reprobos, aliisque similibus intelligi commodissimè possunt. Ratio etiam Augustini non convincit. Primo quidem, quia in donis supernaturalibus, & ex mera Dei liberalitate provenientibus argumentum a pari aut nullum est, aut debilissimum. Secundo quia supponit, Moisem Deum per Essentiam vidisse, quod non adeo certum est, immo nec certum. Tertio quia Paulus, quamvis Apostolus, & Doctor gentium per excellentiam dicatur, non tamen Novi Testamenti sequester, ac Mediator fuit, sicut Moises veteris. Solennis enim, & authentica novi Fœderis, ut ita dicamus promulgatio, ut idem notavit Augustinus, facta est per turbinem, fulgorem, & ignem in die Pentecostes, quo tempore ne quidem Christianam fidem Paulus amplexus fuerat, ut ex Actis Apostolorum liquet.

22. Dubitari autem tertio loco potest, utrum videntium Deum alius alio perfectius videat? (*3. cont. Gent. c. 58. 1. p. q. 12. art. 6. & q. 62. & alibi.*) Porro Catholica doctrina est contra Jovinianum omnium Patrum confirmata suffragiis, pro diversitate meritorum alios aliis majori præmio potituros; præmium est fruitio Dei per intuitivam visionem, quæ ex parte objecti diversa, aut dispar esse non potest, quum divina Essentia eadem sit, & simplicissima: ergo disparitas solum esse potest ex parte modi, quo Essentia divina videatur. Principium quippe visionis est mens lumine gloriæ elevata; lumen autem gloriæ, quum sit de genere qualitatis, suscipit magis, & minus. Similes quippe Ei erimus, quum videbimus eum, sicuti est; sed in similibus potest esse aliquid magis, aut minus simile: ergo esse poterit major, aut minor visionis perfectio. Majus enim, aut minus dicuntur per accessum, aut recessum a summo. Nam si est aliquid summè calidum, potest inveniri aliquid magis, aut minus calidum; sed est summa perfectio visionis, qua Deus seipsum videt: ergo esse potest in his, qui lumen habent participatum, magis, aut minus perfecta visio. Huic autem veritati etiam Scriptura testimonium præbet. In regno enim cœlorum alii majores, alii mino-

no-

Digitized by Google

beatitudine perfecti, & satiati erunt. Quam etiam in sententiam Gregorius ait, (*35. Mor. c. 14.*) beatos imparilitatis damna non sentire, quia tantum sibi, quantum quisque perceperit, sufficit. Non ergo desiderabit ullus perfectiorem visionem, neque desiderio naturali, quia naturale desiderium ultra naturalem necessitatem, & capacitatem non extenditur, neque desiderio elicito, quod nullum in beata anima esse potest, nisi secundum ordinem rationis, ut alibi dicetur. Non ergo alterius perfectius lumen optabit, sed in perfectiore illius beatitate gaudebit.

24. Quæritur quarto: Utrum videns Deum, omnia videat, & an simul omnia videat? (*3. cont. Gent. c. 60. 1. p. q. 12. ar. 10. &c.*) Et quidem omnia, quæ videt, simul videre manifestum est. Ea enim, quæ per eandem speciem intelligibilem videntur, simul videntur; sed omnia quæ beati in Deo per visionem beatificam vident, per eandem speciem intelligibilem vident, quæ est divina Essentia, ut supra ostensum est: (*in præc.*) Omnia ergo quæ in Deo per beatificam visionem vident, simul vident. Non enim species ab rebus ipsis accipit mens beata, quam rationem tetigit Bernardus inquiens: (*5. de Cons. c. 1.*) Videt beatus Verbum, & in Verbo facta per Verbum, nec opus habet ex iis, quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim ut illa noverit, ad ipsa descendit, quia ibi illa videt, ubi longè melius sunt, quam in seipsis. Nam cognitio creaturæ in se, inquit Augustinus, (*11. de Civit. cap. 7.*) decoloratior est, ut ita dicam, quam quum in Sapientia Dei cognoscitur, velut in arte ipsa, qua facta est. Propterea cognitionem rerum in Verbo, Matutinam, illam vero, quæ rerum est in propriis naturis, Vespertinam ille appellavit. Jam vero quænam beati in Deo videant, quæ non videant, investigandum est diligentius. Agimus autem de iis, quæ necessario vident, sive quod necessarium est objectum beatificæ visionis. Quo super quidam ita loquuti sunt Patres, ut rem nullam esse velint, quæ beatos latere debeat, aut possit. Ita enim ait Augustinus: (*1. de Gen. ad lit. cap. 7.*) Angeli .... procul dubio universam creaturam in ipso Dei verbo prius noverunt, in quo sunt omnium, quæ temporaliter facta sunt, rationes æternæ. Similia Basilius hanc eandem rationem reddens, (*de Virginit.*) quod Deus ab iis visus, ad notitiam universa complectatur. In eandem sententiam Ambrosius, (*de ob. Valent.*) Bernardus, (*serm. de trip. bon.*) Tertullianus, (*de Monog. c. 10.*) Cyprianus, (*lib. de Mortal.*) Prosper, (*1. de Vit. Cont. c. 8.*) & Greg. Magn. (*4. Dial. c. 33.*)

25. Communis tamen Theologorum sententia est, Beatos non omnia in Deo cognoscere necessariò ex vi visionis beatificæ. Et pri-

Digitized by Google

mo quidem vident omne id, quod Deus eſt, ſive, ut rectè in Scholis dici conſuevit, omne id quod eſt in Deo formaliter, id eſt, totam Dei quidditatem, & attributa omnia, quum abſoluta, ut Æternitatem, Sapientiam, Immenſitatem, tum relativa, ut Generationem, Proceſſionem &c., quæ in Deo eſſe alibi conſtabit. Videbitur enim Deus ſicuti eſt; (*1. Joan. cap. 3.*) ſed ens ſimpliciſſimum, videri non poteſt, ſicuti eſt, niſi videatur id omne, quod eſt: omne id igitur, quod Deus eſt, videbitur.

26. Secundo: Non omnia illa, quæ Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ novit, ex vi beatificæ viſionis, a beatis cognoſcentur. (*8. de Ver. art. 4.*) Conſtat enim, quod quanto quis cauſam aliquam perfectius cognoſcit, ex cognitione cauſæ in plurium effectuum cognitionem devenire poteſt, ſicut qui perfectius cognoſcit principium demonſtrationis, plures concluſiones ex eo poteſt deducere. Si ergo aliquis intellectus ex cognitione alicujus cauſæ, omnes effectus ejus cognoſcat, oportet, quod pertingat ad perfectum modum cognitionis illius cauſæ, & ita quod cauſam comprehendat; hoc autem eſt impoſſibile de Eſſentia divina reſpectu intellectus noſtri, ut oſtenſum eſt: ergo impoſſibile eſt, quod aliquis intellectus creatus videns divinam Eſſentiam, omnia cognoſcat, quæ ab ipſa cauſari poſſunt, ſive quæ ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſpectant. Hanc autem D. Thomæ in terminis argumentationem non rectè concludere dicit recentior quidam, (*Tourn. de Deo q. 14. art. 2.*) quia, inquit, etiam ſuppoſita cognitione omnium poſſibilium, videretur quidem omnis effectus, & reſpectus divinæ potentiæ, ſeu videretur tota divina potentia extenſivè, non intenſivè, atque adeo non comprehenderetur, hoc eſt, non omni ea claritate, ac perfectione videretur, qua videri poteſt, & qua reipſa a Deo ipſo videtur. Sed vero Recentior hic loquendi modos confundit, nec D. Thomæ mentem videtur aſſequutus. Potentia enim, qua talis, ſive extenſivè, ſive intenſivè ſumatur, non dicitur, niſi relativè ad actum, ſicut cauſa ad effectum: relativa autem ſunt ſimul cognitione, id eſt, nequit unum relativum, qua tale cognoſci, quin aliud cognoſcatur: ergo nec magis cognoſci, quin magis aliud cognoſcatur, nec unum comprehendi, quin aliud comprehendatur. Item, quum ſit potentia quid relativum, intenſio potentiæ non accipitur ex eo, quod eſt natura, ſed ex eo, quod eſt virtute: unde dicitur potentia major extenſivè, quæ ad plures numero effectus extenditur; major intenſivè, quæ ad perfectiorem effectum, aut ad effectus ſpecie plures extenditur: ergo ſicut cognito numero effectuum ſimilium, quos cauſa univoca poteſt producere, cognoſcitur tota ejus extenſio, ſive tota ejus potentia extenſivè, ita cognito perfectiore effectu, aut qualitate, & ſpecie omnium

omnium effectum dissimilium, quos causa æquivoca potest producere, cognoscitur tota ejus intentio, seu tota potentia intensivè. At ille author ly *intensivè* pro eodem accepit, ac quidditativè, dicere enim voluit, etiam cognitis omnibus effectibus, non ideo cognosci quidditatem causæ, aut ejus potentiam quidditativè, ut cum illo impropriè loquamur. Id autem verum quidem esse potest in his, quorum potentia est aliud a quidditate, sive Essentia; sed in Deo potentia est ipsamet Essentia, seu quidditas, ut ostensum est: (*prop. 6.*) ergo non potest cognosci perfectè potentia, quin ejus quidditas, & natura perfectè cognoscatur: cognitis autem omnibus effectibus possibilibus, ejus potentia perfectè cognosceretur: ergo perfectè, sivè comprehensivè cognosceretur ejus Essentia, manetque invictum D. Thomæ argumentum. Nam quæ contra opponit Scotus levia sunt, eaque jam pridem diluerunt Ferrariensis, & Cajetanus.

27. Tertio: Eorum, quæ Deus per scientiam visionis intelligit, non omnia beati vident. Scientiæ quippe, quam visionis dicimus, duplex rerum genus subjicitur, nimirum existentia in tempore, & absolutè futura, ut supra dictum est. (*prop. 10.*) Absolutè autem futurorum duo sunt item genera. Alia, quæ ex causis suis necessariò consequuntur, & hæc, cognita causa, possunt certò, & infallibiliter cognosci: alia, quæ contingenter eveniunt, aut quia ab liberi agentis voluntate dependent, ut electiones humanæ, aut quæ ab causis pendent naturalibus; quæ tamen possunt ab aliis fortioribus agentibus impediri, & hæc in causis suis, uti diximus, certò, & infallibiliter cognosci non possunt, quum determinatam veritatem non habeant. Deus autem hæc etiam certò, & infallibiliter cognoscit, quoniam differentia temporis, in qua extitura sunt, semper est præsens æternitati, quæ simul, & semel adest omni tempori; hoc vero nulli potest creaturæ convenire, ut supra ostensum est: (*prop. 2.*) nulla igitur creatura etiam beata potest futura contingentia certò, & infallibiliter cognoscere. Ex rebus autem existentibus videbunt quidem genera omnia, & species causarum naturalium, earumque virtutes, quæ ad naturalem universi ordinem spectant, quarum rerum cognoscendarum inest omni ratione utenti naturale desiderium, quod alias insatiatum remaneret.

28. Quoniam autem visio respondet Fidei, sicut possessio Spei, & fruitio Charitati, sicut possidebunt beati, ea, quæ speraverunt, & fruentur his, quæ dilexerunt, ita & videbunt ea, quæ hic crediderunt, & quæ credendo, salutem æternam meruerunt. Unde ex ordine rerum supernaturalium ea omnia videbunt mysteria, quæ crediderunt, ut Incarnationem, Eucharistiam, Sacramenta, Damnationem Impiorum &c. Namque etiam hæc cognoscendi, inest menti, supposita fi-

Digitized by Google

de, naturale desiderium, quod satiatum sit, oportet, in beatis. Atque ob eandem rationem etiam arcanas providentiæ vias in suæ prædestinationis negotio quisque cognoscet, cur hoc facere prohibitus, cur illud permissus &c. De aliis autem ea non cognoscet, quæ a libera Dei voluntate solum pendent, quum neque aliorum hominum, aut Angelorum internos actus, aut cogitationes videre possint. Sicut enim (*1. ad Cor. cap. 2.*) quæ sunt hominis nemo novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei, qui propterea dicitur profunda Dei scrutari. Nec solum in ordine supernaturali, verum etiam in naturali ordine rerum, omnium, & singulorum factorum æternas rationes omnes in Deo Beati non videbunt, quod sine divinæ Scientiæ comprehensione fieri non posset. Similiter quum cognitio omnium, & singulorum individuorum cognitio sub unaquaque specie non sit de perfectione intellectus, neque in hoc ejus naturalis, vel prudens appetitus feratur, nec horum cognitio de articulata Beatis debetur ex vi beatificæ visionis. De his autem, sicut de rerum supernaturalium ordine dicebamus, ea, quæ ad semetipsos naturalem dicunt habitudinem, beati cognoscent, ut filios, parentes, eosque quorum singularem curam gerentes, beatitudinem meruerunt, & de quorum, ut Cyprianus loquitur, sunt salute soliciti. Atque ita amicorum omnium suorum votis, ac desideriis occurrens, tam iis, quæ naturam, quam iis, quæ apprehensionem, vel naturalem, vel elevatam consequuntur, erit Clementissimus Dominus omnia omnibus electis suis. Insuper & reliquorum, (*1. p. q. 12. art. 8.*) quæ, ut ita loquamur, de jure ordinario beatis non debentur, tanto alicujus mens plura cognoscet, quanto perfectius Deum videbit, aut quo majore gloriæ lumine fuerit illustratus.

29. Ex his patet, quinam explicandi sint Patres, qui rerum omnium cognitionem Beatis tribuere videntur, quorum inter supra adductos Gregorius. Quid non videut, inquit, (*12. Mor. cap. 24.*) qui videntem omnia, vident? Quem Sancti Pontificis locum tripliciter exponit D. Thomas. Primo enim, quia vident, inquit, (*in 3. cont. Gent. cap. 59.*) omnia, quæ ad naturalem ordinem Universi spectant, & ad quæ naturale intellectus lumen, & prudens voluntatis appetitus extenditur, atque etiam multa per lumen supernaturale, & desiderium consequens cognitionem elevatam per fidem. Secundò dicendum, inquit, (*in 1. part. sum. q. 12. art. 8. ad primum.*) quod Gregorius loquitur, quantum ad sufficientiam medii, nimirum divinæ Essentiæ, quæ quantum est in se, est similitudo rerum omnium, quasi dixerit. Quid videre non possint, qui Deum vident? & hic videtur germanus Gregorii, & Patrum aliorum sensus. Hanc

ean-

eandem expoſitionem affert (*in quæſt. 8. de verit. art. 8. ad primum.*) ubi tamen aliam præmiſerat dicens: quod Gregorii verbum poteſt intelligi de iis, quæ pertinent ad ſubſtàntiam beatitudinis. Quamvis enim, ſubdidit ibidem, (*ad duodecimum.*) nulla creaturarum cognitio ſit de ſubſtantia beatitudinis, quaſi beatificans, tamen aliqua creaturæ cognitio pertinet ad beatitudinem, quaſi neceſſaria ad aliquem actum beati, ſicut ad officium Angeli beati pertinet, ut eos cognoſcat, qui ſuæ cuſtodiæ committuntur, de quo infra, & ad Sanctorum beatitudinem ſpectat, ut cognoſcant eos, qui eorum beneficia implorant &c. Sic ergo & alios Patres intellige. Major eſt difficultas de internis cogitationibus, ſive ſecretis cordium. Inquit enim Auguſtinus: (*Serm. 43. alias 16. de divers. c. 5.*) Cogitationes, quas modo non videt, niſi Deus, omnes videbunt invicem in illa ſocietate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum eſſe, quod cogitat, quia nemo malè cogitat. Et Ambroſius: (*De obitu Valentin.*) Nihil latebit proximum, nec erit quod ſuis quiſque aperiat, abſcondat alienis, ubi nullus alienus erit. Ex horum tamen Patrum dicto ſolum efficitur, beatos cogitationes ſuas invicem cognoſcere, quia nemo abſcondit, nemo vult tecta, & ſecreta eſſe, quæ cogitat; ſi autem abſcondere vellet, nullus cognoſceret, niſi ſcrutans corda, & renes Deus. (*Ps. 7.*) Unde aliorum extra beatorum ſocietatem cogitationes, & cordis ſecreta, niſi Deo per extraordinariam revelationem manifeſtante, ſcire non poſſunt. De his tamen alibi nonnulla fortaſſe, ubi de hominum beatitudine, & glorioſis dotibus agetur libro hujus operis poſtremo.

PROPOSITIO XIX.

Deus beatus eſt.

1. cont. Gent. c. 100. 1. p. q. 26. per totam.

1. PRopoſitio hæc ex antedictis omnibus veluti conſectarium profluit. Beatitudo enim eſt perfectiſſimum bonum naturæ intelligentis, cujus eſt bonum cognoſcere, & ejus poſſeſſione frui. Eſt autem Deus ſummè intelligens, & infinitè perfectus, ut ſupra eſt demonſtratum: (*prop. 7. & 4.*) Eſt igitur beatus Deus. Item omne intellectivum naturaliter appetit, eſſe beatum: eſt ergo capax beatitudinis; ſed in Deo nihil eſt in potentia, quod non ſit in actu, nam in æternis, & neceſſariis non differunt eſſe, & poſſe: Deus igitur beatus eſt. Ulterius: quando alicui deeſt, id quo indiget, beatus non eſt: ergo contra ſibi ſufficiens, aut nullius indigus, ille eſt beatus;

Digitized by Google

tus: Deus autem sibi sufficiens est, & nullius indigus, quum omnem perfectionem in se habeat, ut ostensum est: (*prop. 4.*) beatissimus est igitur. Ex quo capite dictum est; (*Ps. 15.*) Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum, id est creatorum, non eges. Præterea: beatitudo est perfectissimum bonum naturæ rationalis; perfectissimum autem bonum in unoquoque est sua perfectissima operatio: ergo beatitudo, ut ab Aristotele dictum est, in perfectissima operatione consistit. Est autem perfectissima operatio, quæ est immanens, nam quæ in aliud transit, non propter se, sed propter aliud quæritur, nec perfectio facientis est, sed rei factæ; unde in operatione transeunte stare non potest summa felicitas. Item perfectissima operatio non est, nisi ab nobilissima potentia oriatur: unde in operationibus sensuum summa hominis felicitas stare non potest; sed in mentis operatione, quæ nobilissima ejus potentia est. Non est autem nobilissima mentis operatio, nisi sit circa nobilissimum objectum. Hinc quo magis objectum est a materia remotum, scientiæ nobiliores habentur. Item ex modo operandi ea perfectissima operatio est, quæ fit perfectè, faciliter, firmiter, & jucundè. Operatio vero, qua semet Deus cognoscit, est operatio immanens, altissimæ potentiæ, nimirum divinæ mentis, circa objectum nobilissimum, scilicet divinam naturam: estque hæc operatio in Deo perfecta, facilis, jugis, & jucunda; quum intelligens, intellectio, & res intellecta sint idem, ut ostensum est. (*prop. 12.*) Deus igitur est absolutissimè beatus. Amplius: Deo nihil provenire potest extrinsecus, quum sit omnino simplex, & immobilis: (*prop. 3. & 1.*) ergo nihil velle potest, quod non habeat: quidquid igitur vult, habet; mali autem nihil in Deo est, quum sit Optimus, nec illud velle potest, quum sit justissimus, & Sanctissimus, quæ sunt supra demonstrata: (*prop. 4. & 16.*) beatus vero a Philosophis dicitur, qui habet omne, quod vult, & nihil mali vult, sive qui habet omne bonum, quod vult: Deus igitur beatus est. Hinc illud (*1. ad Tim. cap. ultim.*): Quem ostendet beatus, & solus potens, Rex Regum &c. Cui etiam veritati Patrum omnium testimonia, atque etiam veterum Philosophorum consensio suffragatur, unde illud Lucani: Pacem summa tenent, & Lucretii:

Omnis enim per se Divum natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur . . .
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Qua tamen veritate Epicuri de grege porcus ad providentiam negandam insipientissimè abusus est, quasi nimirum mundi administratio

ope-

operosa foret Deo, ejusque pacem, ac tranquilissimum statum interturbare, aut aliquod ei posset negotium facessere.

2. Ita igitur beatus Deus est; (*ibi. c. 101.*) ut non beatitatem quasi acquisitam, aut meritis partam habeat, sed innatam, si ita loqui, fas est, & naturæ suæ intrinsecam. Ut enim Euryphamus ille Pythagoræus ajebat, (*In fragm. Pythag. in calce Diog. Laert.*) natura beatus est, quoniam natura ipsa perfectus. Siquidem quum beatitudo in perfectissima operatione, id est, intellectione consistat; intelligere autem Dei sit ejus esse, idem est, & quo est, & quo beatus est, quod hac etiam ratiocinatione confirmat D. Thom: beatitudo est summum bonum naturæ rationalis: si ergo beatitudo est aliud a Deo, quum Deus sit summam bonum, ut supra ostensum est, (*prop. 4.*) erunt duo in eodem boni genere summa, quod esse non potest. Summum enim in unoquoque genere non est nisi unum, ut supra argumentabamur. Est igitur Deus suamet beatitudo. Unde item omnem aliam beatitudinem excedat, necesse est. (*ibi. c. 103.*) Potius enim semper est id, quod est per se, eo quod est per aliud; & id quod tale est per naturam, eo quod tale est per participationem: Deus autem per se, & suapte natura beatus est, quod nulli creaturæ convenire potest, quum nulla esse possit infinitè perfecta, neque ab sua operatione indistincta, hoc enim solius Dei est proprium, qui purus actus est, ut supra est demonstratum: (*prop. 3.*) divina igitur beatitudo omnem creatæ naturæ beatitudinem excedit.

PROPOSITIO XX.

Deus Providus est.

3. cont. Gent. c. 64. 1. p. q. 22., & 5. de Verit. & alibi.

1. DEmonstratum est enim, Deum primam causam esse, & primum movens immobile: (*prop. 1.*) si ergo aliquid existit, a Deo productum sit, oportet; sed aliquid existere, & continuo experimento, & intima conscientia habemus compertissimum, quum hæc cogitamus, ac disserimus: sunt igitur aliqui effectus Dei; Ejusdem autem est conservare, cujus est producere, quum conservatio sit assidua productio: Deus igitur rem creatam omnem conservat, ut supra item ostensum est; (*prop. 14.*) ad conservationem vero rerum, quæ corrumpi possunt, spectat congruentia conferre, nociva, ac perniciosa repellere; quod providentis est: est igitur Deus providus. Ut enim est apud Philonem, (*de Mund. opif.*) a parente, &

factore curam, geri operis sui ratio ipsa dictat. Etenim pater liberorum, & artifex eorum, quæ molitus est, conservationi studet, & quæcumque nocere possunt, quoad potest, repellit; quæ vero congruentia sunt, atque utilia, providet . . . Quare necesse est, inquit Nemesius, (*De hom. nat. c. 43. ap. Dam. in Eclog.*) eundem & conditorem esse rerum, & iis providentem. Non enim consentaneum est, alium facere, alium rei factæ curam gerere. Hoc enim imbecillitatis est. Unde in animantibus ipsis, id est commune, ut quod genuit, ejus, quod genitum est, alendi curam suscipiat. Quis enim operator, inquit Ambrosius, (*in primo de Offic. c. 13.*) operis sui curam negligat? Quis deserat, ac destituat quod ipse condendum putavit?

Omnem ergo hanc molem mundi qui condidit, ipse
Et regit, ut Prudentius cecinit.

A contrario autem sensu argumentatus id ipsum confirmat Herennius: Si enim, ait, (*In Metaph.*) mundus factus non est, nihil opus est providentia, quum neque corrumpi, neque pati quicquam possit. Similia Atticus Platonicus Aristotelem accusans, (*apud Euseb. lib. 15. de Prepar. p. 468.*) quod providentiam abstulerit, mundum initio carentem adstruens. Sed in utroque fallitur Platonicus ille, ut hoc obiter dicam. Nam neque Aristoteles, quamvis mundum incœpisse negare visus sit, infectum dixit, sunt enim hæc duo valde diversa, ut supra dictum est, (*prop. 2.*) nec providentiam sustulit, quin potius de providentia ambigentes, non instructione, sed pœna dignos putat, ut ex eo Clemens Alexandrinus scripsit. (*5. Strom.*)

2. Secundo: Quæ casu, aut fortuito eveniunt, rarò eveniunt; sed omnia agentia naturalia semper eodem modo operantur: non ergo casu, aut fortuitò operantur. Operantur igitur propter finem; sed non ut seipsa dirigentia in finem, quum pleraque eorum finis cognitione careant: ergo quasi ab alio directa in finem, sicut sagitta a sagittante; sed primus, & universalis motor est Deus: a Deo ergo mediatè, aut immediatè omnia in suos fines diriguntur; directio autem agentium, & operationum in finem, ad providentiam pertinet: est igitur in Deo providentia. Præterea: ostensum est superius, (*prop. 13.*) Deum non agere ex necessitate naturæ, sed per liberam voluntatem, atque adeo cum cognitione finis; operatur autem Deus in omni operante tam naturali, quam liberò, ut item est ostensum: ergo omne genus causarum Deus movet, dirigitque in finem; sed motio, & directio subditorum in præstitutos fines, providentia

est:

Digitized by Google

est: igitur est in Deo providentia. Ulterius: In rebus invenitur bonum; consistit autem bonum in modo, specie, & ordine: in rebus igitur invenitur ordo; sed quidquid invenitur in effectu, præexistit in idea agentis per intellectum operantis, & voluntatem, sicut forma artefacti in mente artificis; præexistit igitur in mente divina idea, seu ratio ordinis, qui in rebus creatis invenitur; ratio autem ordinis, & ordinandorum providentia dicitur: providentia igitur in summo omnium artifice Deo perfectissimè invenitur. Amplius: Quæ diversæ indolis, & naturæ sunt, non conspirant in unum, nisi aliquo disponente, temperante, & copulante, sicut ligna, & lapides ad domus constructionem; sed in rebus inveniuntur plurima non diversæ solum, sed contrariæ naturæ, quæ tamen omnia in unum ordinem conspirant, dum aliorum operationes aliæ excipiunt, seseque mutuo ad agendum juvant, & movent: est igitur aliquis, a quo universa temperantur, disponuntur, & ordinantur; sed non alius, nisi Deus: est igitur Deus totius naturæ providus gubernator. Denique: Nulla creatura totius Universi curam, & providentiam gerere potest, quum ipsa omnium factarum, & faciendarum rerum rationes in se non habeat: ergo si Deus Universi totius curam non gerit, mundana omnia aut fatali quadam necessitate eveniunt, aut casu, & fortuitò; sed quodcumque horum sit, omnes scientiæ, quæ sunt circa virtutes, & vitia, totaque morum disciplina, & Civilis, & Oeconomica gubernatio, atque artes omnes, & industriæ hominum vanæ sunt, atque inutiles, quod est absurdum maximum: est igitur in summo omnium artifice providentia. Hanc porro passim Scriptura divina & verbis, & exemplis commendat, sicut & Patres, atque oculatiores Philosophi, quorum adducere testimonia infinitum esset, ac supervacaneum, stante communi suffragio fere omnium gentium; quotquot supremum aliquod numen agnoscunt, ac venerantur. Ut enim ait Augustinus: (*de util. cred. c. 16.*) Si Dei providentia rebus humanis non præsidet, nihil est de Religione satagendum . . . Quid enim tam vanum, & stultum, ait Lactantius, (*de Ir. Dei c. 8.*) quam templa ædificare, sacrificia facere, munera conferre, si Deus nihil unquam boni tribuit, si colentium obsequio gratiam nullam refert? atque ut Epicuræus ille cecinit, (*Lucret. lib. 1.*) si natura Dei

Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe
Nec bene pro meritis capitur, neque tangitur ira?

Ex quo etiam capite M. Tullius: (*1. de nat. Deor.*) Si Dii non pos-

possunt nos juvare, nec volunt, neque curant omnino; quid ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces exhibemus?

3. Lubet autem, antequam ulterius progrediamur, rationes considerare, quibus & veterum, & Recentiorum Philosophorum nonnulli ad negandam Dei providentiam moti videntur. Deus enim, inquit apud Lactantium (*l. de Ira Dei c. 13.*) Epicurus, & recentes Providentiæ osores apud Baillum, aut vult tollere mala, & non potest, & sic imbecillis erit, quod in Deum non cadit; aut potest, & non vult, eritque invidus, quod æque a Deo alienum est: aut neque vult, neque potest, & sic pariter & invidus, & infirmus erit, atque adeo nec Deus erit: aut vult, & potest, atque adeo nullum erit in rebus malum, quod est apertè falsum: aut igitur non est Deus, aut ejus providentia mundus non regitur. Huic autem argumento supra jam obviam itum est, quum de Justitia Dei ageremus. Responderat quoque Lactantius idem, Deum posse quidquid vult, nec imbecillitatem, aut invidiam in eo esse ullam. Posse igitur tollere mala; sed nolle, nec ideo tamen invidum esse, quia ejus voluntatem infinita comitatur Sapientia, ut ex malis quoque bona eliciat præstantiora quum in physicis, tum in moralibus, sicut artifex lignum comburit, ut aurum conflet, & mater quamvis amantissima filium incedere cogit, licet casurum quandoque certissimè sciat, quod per leves illos casus magnum ipsi bonum acquiratur. Nam & umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, nec specie, sed ordine placent, & silentii interpositio cantum facit gratiorem, quæ Augustini, (*l. de Imp. ad lit. c. 5.*) & D. Thomæ exempla sunt. Unde Boetius Philosophum carpit ita disserentem: (*De Cons. Philos. Pros. 8.*) Si malum est, Deus non est. Immo contra, inquit, colligendum erat: Si malum est, Deus est. Non enim esset malum, sublato ordine boni, cujus privatio, malum est; ordo autem boni non esset, si Deus non esset, qui omnis boni causa est; non igitur malum esset, si Deus non esset, sicut falsus Rex, aut litteræ non essent, nisi veri essent, aut Reges, aut litteræ. Non est autem ratio eadem (*1. p. q. 22. art. 2. ad 2.*) de eo, qui curam gerit alicujus particularis, & de provisore universali, quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, propter bonum totius. Unde corruptiones, & defectus in rebus naturalibus, dicuntur esse contra naturam particularem, sicut ascensus lapidis, sunt tamen de intentione naturæ universalis, quatenus defectus unius cedit in bonum alterius. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent, non enim esset vita Leonis, si non esset occi-

occisio animalium &c. Hæc D. Thom., (*cap. 71.*) quem vide (*in 3. contr. Gentes.*) ubi multis probat, divina providentia malum ab rebus non omnino excludi, cujusque doctrinam hac in re sublimem, & solidam appellat Christianus Wolfius, (*Th. Nat. p. 2. §. 491.*) non ille summus Catholicæ doctrinæ, & Scholasticæ Theologiæ admirator. Ex quibus omnibus illud efficitur, quod impiorum hujus temporis Philosophorum Patronus, & laudator Petrus Bailius negare non est ausus, scilicet legitimam, atque invictam argumentationem hanc esse: Est in rebus malum: ergo Deus absque suæ sanctitatis, & Sapientiæ detrimento potest illud permittere. Ab actu enim, inquit, ad potentiam valet argumentum.

4. Opponunt item Epicuræi apud D. Thomam: Nihil provisum est fortuitum: si ergo omnia, quæ in mundo accidunt, a Deo sunt provisa, nihil casu accidit, aut fortuna, quod contra communem hominum opinionem esse videtur: Unde scriptum est ab hominum sapientissimo: (*Ecc. c. 9.*) vidi neque velocium esse cursum, neque fortium esse bellum, sed tempus, casumque in omnibus: non omnia igitur divinæ providentiæ subjiciuntur; quod si non omnia, nulla. Porro hanc eandem veterum crambem recoquunt Recentiores Philosophi, quos Deistas dicimus. Et quidem casu accidere dicitur, aut fortuna, quod evenit præter intentionem agentis; intentio autem agentis ultra suam virtutem non extenditur, nemo enim intendit illud, ad quod sua operatione pertingere non potest; nullius autem agentis creati virtus extenditur ad omnia, quæ contingere possunt: ergo nec ejus intentio ad omnia extenditur: multa igitur præter naturalium agentium intentionem contingant, necesse est, atque adeo quæ respectu eorum casualia sint, aut fortuita. Non est autem (*1. p. q. 22. art. 2. ad 1.*) ratio eadem de causa universali, & particulari. Ordinem enim, sive intentionem causæ particularis potest aliquid præterfugere, non autem ordinem causæ universalis. Etenim non prætergreditur aliquid ordinem causæ particularis, nisi per virtutem fortiorem alterius causæ particularis, sicut ignis impeditur ab comburendo per actionem aquæ. Unde quum omnes causæ particulares contineantur sub universali, impossibile est, effectum aliquem ordinem causæ universalis effugere. In quantum igitur aliquid ordinem causæ particularis prætergreditur, dicitur casuale, & fortuitum; sed respectu causæ universalis, ab cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum. Ex qua D. Dhomæ doctrina in Scholastica forma distinguo antecedens: Nihil provisum est fortuitum ei, a quo provisum est, concedo; Ei, a quo provisum non est, nego. Multa igitur casu eveniunt, (*de ver. q. 5. art. 5.*) attentis inferioribus causis; nihil autem casu evenit si consideretur divina providentia.

Di-

Digitized by Google

Dicitur autem apud Ecclesiastem, tempus, & casum esse in omnibus, non quia omnia casu eveniunt, sed quia in omni genere effectuum, tam in physicis, quam in moralibus, tam naturalibus, quam artificialibus multa casu eveniunt, ut dilucidè explicatur (*in 3. cont. Gent. cap. 74.*)

5. Argumentatur item Democritus: Quæ ex necessitate eveniunt, provisore, aut gubernatore non egent; sed multa in rebus ex necessitate eveniunt: non igitur omnia divinæ providentiæ subsunt. Major patet, nam providentia, aut prudentia contingentium est, de quibus est consilium, & electio, ut in sexto Ethicorum dicitur. Ad argumentum negatur major, cujus probatio non est ad rem. Illud enim Aristotelis effatum, sicut & ferè omnia, quæ ibi disputantur, de humana providentia intelligenda sunt. Homo quippe, quum non sit naturæ institutor, sicut in operibus artis, ita & in operibus virtutum solum utitur rebus naturalibus, quas ipse nec facit, nec conservat. Unde providentia humana non se extendit ad necessaria, quæ ex natura proveniunt; ad quæ tamen se extendit providentia divina, quum Deus sit author naturæ. Quod si argumentator velit mundana omnia fatali quadam necessitate regi, quamvis hoc sit falsissimum, uti dictum est, & infra latius dicetur, tamen nec sic quidem divinam providentiam impugnaret. Fatum enim illud, quodcumque ponatur, si Deus non est, Dei opus erit, atque adeo ipsum divinæ providentiæ subjacebit. Si vero fatum sano sensu intelligatur, uti definitum est a Boetio, (*lib. 4. de Cons. pros. 6.*) ut sit inhærens rebus mobilibus dispositio, qua Providentia suis quæque nectit ordinibus, sic fatum ab ipsa providentiæ exequutione non distinguitur. Neque tamen per hanc divinæ providentiæ dispositionem omnia ex necessitate eveniunt, quum in serie causarum a Deo præstitutarum, etiam contingenter, & liberè operantes contineantur. Si vero argumentator velit, ut Stoici veteres, & ex Recentioribus Spinosa cum suis, quos Materialistas vocant, Deum de necessitate naturæ, & non per mentem, & voluntatem operari, atque adeo providum non esse confutandi sunt ex supra dictis, quum divinæ voluntatis libertatem contra ipsos propugnavimus, (*prop. 13.*) de quo D. Thom. (*in cit. lib. 3. cont. Gent. cap. 75.*)

6. Instabis multis: Si omnia a Deo provisa sunt, certus est, & infallibilis ordo, seriesque, & actio causarum cujuscumque effectus, alias posset divina providentia, sicut humana frustrari; sed series, & ordo immobiliter præstabilitus causarum, quibus certissisimè eveniunt, quæcumque eveniunt, est ipsissimum fatum: ergo divinæ providentiæ dispositio, fatum est; sed quæ ex fato proveniunt, neque liberè, neque contingenter fiunt, ut contra Stoicos argumentantur Patres: ergo si omnia

a Deo

a Deo provisa sunt, & libertas, & rerum contingentia tollitur. Confirmatur: Nam vel posita providentia, res provisa potest non evenire, vel non potest. Si primum; ergo providentia potest effectu destitui, atque adeo non est certa, quod est absurdissimum. Si secundum: ergo effectus necessario sequitur providentiam, quod enim non potest non evenire, necessario evenit. Præterea: Si certa est Dei providentia, hæc hypothetica est vera: Si hoc Deus providit, hoc fiet; sed hujus conditionalis antecedens est necessarium, quia est æternum, ex antecedenti autem necessario, & habente necessariam connexionem cum effectu, effectus consequens est necessarius: ergo quicumque eventus provisus, eo ipso necessarius est: nihil est ergo liberum, aut contingens. Vel item sub hac forma: (*1. p. q. 22. ar. 4.*) Omnis effectus ortus ex causa, quæ jam est, vel fuit, ad quam infallibiliter sequitur, provenit ex necessitate, ut in 6. Metaphys. probatur; sed providentia est causa per se rerum provisarum, quæ quum sit æterna, præexistit, ad eamque infallibiliter sequitur res provisa: quæcumque igitur provisa sunt, necessariò eveniunt.

7. Argumentum est hoc M. Tullii (*l. 1. de Nat. Deorum.*) jam supratactum, quum de divina scientia ageremus, quo ille deceptus providentiam, & præscientiam circa humanos actus negavit, non satis sibi constans, quum divinationem admiserit: divinatio autem certa non erit, nisi Deus actuum humanorum certissimam scientiam habeat. Quì enim scire Deus potest Petrum Romæ moriturum sub Nerone, nisi sciat liberam Petri Romam profectionem, & Neronis adversus eum ferendam sententiam capitis. Et quidem quamvis in ea nominis acceptione, de qua procedit ratio inducta, negare fatum, esset negare providentiam, ut D. Thom. loquitur, (*3. cont. Gent. c. 99.*) quia tamen cum infidelibus nec nomina debemus habere communia, ne ex ambiguitate nominis, erroris occasio nascatur, nomine fati non est utendum Christiano, ne videamur illis assentiri, qui de fato malè senserunt. Hinc distinguo consequens: Divinæ voluntatis dispositio quoddam fatum est, sumpto fato pro ineluctabili necessitate omnia involvente, & contexente, qua vis est, & communis acceptio hujus vocabuli, nego: quoddam fatum est, si hoc nomen significet vim, & potestatem ad omnia pertingentem, sed disponentem omnia suaviter, salvo nimirum ordine, dispositione, ac viribus causarum naturalium, concedo; & inversis terminis ad minorem subsumptam. Ex fato etenim in prima significatione accepto, rectè colligebant Patres, libertatem, & rerum contingentiam everti; non autem ex fato secundum Catholicam doctrinam exposito.

8. **Ad confirmationem primam respondeo cum distinctione: Res**

enim

Digitized by Google

enim provisa (*De Ver. q. 23. a. 5.*) simpliciter potest non evenire, sed non potest non evenire eo modo, quo est provisa. Quanto enim virtus activa est fortior, tanto effectum producit similiorem aut suæ formæ naturali, si agit per naturam, aut formæ præconceptæ, si operatur per artem. Voluntas autem divina est agens fortissimum. Unde oportet, ejus effectum ideæ, aut formæ in mente divina existenti omnino similem evadere, ut non solum fiat, id, quod Deus vult fieri, sed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, ut necessario, vel contingenter, tardè, vel citò, quod est quoddam assimilari secundum accidentia. Et hunc quidem modum rebus præfigit divina voluntas ex ordine suæ sapientiæ. Secundum autem quod disponit aliquas res sic, vel sic fieri, adaptat eis causas ei modo, quem disponit, congruentes, quem tamen modum posset rebus inducere, etiam illis causis non mediantibus . . . Et ita evenit infallibiliter, (*1. p. q. 22. art. 4.*) & necessario, quod divina providentia disponit evenire infallibiliter, & necessario adaptans ei causam necessariam; & evenit infallibiliter, sed contingenter quod divinæ providentiæ ratio habet, ut contingenter eveniat, adaptans ei causam contingentem.

9. Ex quo patet, (*3. cont. Gent. c. 94.*) hanc conditionalem esse veram: si Deus providit, hoc futurum, hoc erit (ut secunda confirmatio procedebat) sed ita erit, sicut Deus providit illud esse futurum; providit autem illud futurum esse contingenter (adaptans ei causam, quæ posset in operando deficere, aut impediri) sequitur ergo infallibiliter, quod erit contingenter, non necessario. Ad tertiam confirmationem dicendum, quod ratio illa Aristotelis procedit in causis naturalibus, & in quantum ad effectus naturales, sed in causis voluntariis non procedit, quia ex voluntate sequitur aliquid eo modo, quo voluntas disponit, & non eo modo, quo voluntas habet esse, sicut accidit in causis naturalibus, in quibus assimilatio attenditur secundum eandem conditionem, & naturam causæ, & causati; at in causis voluntariis assimilatio attenditur secundum quod in effectu impletur voluntas agentis. Tunc vero voluntas agentis omnimode impletur, quando non solum fit, quod ipse vult, sed etiam eo modo, atque ordine, quo vult. Sicut ergo quia Deus disposuit, ut homo hoc, aut illud operetur, certo, & infallibiliter hoc, aut illud operabitur, ita quia Deus disposuit, ut homo hoc, aut illud liberè operetur, certò, & infallibiliter liberè operabitur. Non igitur ad providentiam necessariò sequitur res provisa, quamvis certò, & infallibiliter providentia effectum suum sortiatur.

10. Contra tamen: Si adhuc stante providentia, effectus est contingens propter contingentiam causæ secundæ, non esse effectus posset

set

Digitized by Google

set simul stare cum providentia circa ipsum; sed non existentia effectus non potest simul stare cum providentia, hæc enim duo sunt incompatibilia, quod Deus velit Petrum salvari, & quod Petrus damnetur: ergo contingentia causarum secundarum non tollit, quin provisa a Deo necessariò existant propter efficaciam divinæ voluntatis. Huic argumentationi ita occurrit D. Thom. (*De Verit. q. 23. a. 5.*) Dicendum, quod quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi in ipso effectu simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt incompossibilia hæc duo: Deus vult Petrum salvari, & Petrus potest damnari; sed hæc duo sunt incompossibilia: Deus vult Petrum salvari, & Petrus damnatur. Sed contra urgetur: Hæc duo sunt incompossibilia: Deus vult illum salvari, & ille potest damnari: ergo solutio est nulla. Antecedens probatur: Nam vel hæc enunciatio: Petrus, quem Deus vult salvari, potest damnari, est vera de dicto, sive in sensu composito, ut in Scholis loquimur; aut est vera de re, sive in sensu diviso; sed in sensu composito, sive de dicto vera esse non potest, nec item de re, sive in sensu diviso: illa igitur duo sunt incompatibilia. Probatio mediæ quoad primam partem: Illud, ad cujus positionem sequitur impossibile, est simpliciter impossibile; sed si Petrus potest damnari in sensu composito providentiæ disponentis illum salvari, frustraretur divina providentia, quod est impossibile: ergo Petrum damnari in sensu composito hujus providentiæ, est impossibile: ergo in sensu composito damnari non potest. Probatur & secunda pars: Si enim vera est hæc propositio: Petrus in alia providentia potest damnari, hæc erit falsa: Petrus in alia providentia potest non damnari; sed hæc non est falsa, quia stante libertate, Petrus in quacumque providentia potest non damnari: ergo illa propositio in sensu diviso non est vera. Respondetur, eam propositionem tam de re, quam de dicto veram esse: Petrus, quem Deus vult salvari, potest damnari. Nego igitur assumptum, & minorem probationis. Hinc ad primæ partis probationem explico minorem: Si Petrus potest damnari, potentia reducenda in actum, in sensu composito &c. frustraretur divina providentia, concedo: si Petrus potest damnari potentia non reducenda in actum, nego. Non enim frustratur providentia per hoc, quod Petrus damnari possit, sed per hoc quod damnetur. Licet namque decernat Deus, ut aliquis, v. g. moriatur Kalend. Januarii venturi, non ideo tamen ille ante Kalend. Januarii immortalis est. Mori ergo potest; sed non morietur. Secundæ partis probatio frivola est. Huic enim propositioni: Petrus in alia providentia potest damnari, non est contradictoria illa: Petrus in alia providentia potest non damnari, quum sit utra-

que

Digitized by Google

que affirmativa ; sed hæc : Petrus in alia providentia non poteſt damnari, quæ quidem falſa eſt.

11. Opponunt item: Divina providentia cauſas medias non excludit, immo ipſis utitur, ut alibi oſtenſum eſt; inter cauſas autem medias ſunt plures, quæ poſſint in operando deficere, aut impediri; ſi autem deficiant, effectus proviſus non ſequitur: ergo effectus a Deo proviſus impediri poteſt: non eſt ergo certus, atque infallibilis ordo Providentiæ. Ad argumentum explico minorem ex ſupradictis: ſunt plures, quæ poſſunt in operando deficere, & ita diſpoſitæ, ut non deficiant, concedo; & ita diſpoſitæ, ut deficiant, nego. Quum enim Deus ipſe, (*3. cont. Gent. c. 94.*) qui ſua providentia cuncta diſponit, idem ſua omnipotentia in omnibus operetur, ad Eum pertinet, ut cauſas, quæ deficere poſſunt, quandoque deficere deſinat, quandoque non deſinat, uti res non evenire, aut evenire diſponit. Sed inſtat Cajetanus: Poſita providentia de hoc effectu, quamvis ſalvetur contingentia, aut libertas cauſæ, non tamen ſalvatur contingentia, aut libertas effectus; ſed oportet aſſerere non ſolum libertatem, & contingentiam cauſæ, ſed etiam contingentiam, & libertatem effectus ipſius, alias ratio meriti, ac demeriti, totaque moralis doctrina corruit: ergo. Aſſumptum probat Cajetanus, & cum eo Recentiores plerique: Poſita providentia, aut decreto Dei de hoc effectu, ille certò, & infallibiliter eſt futurus; ſed non eſt ita futurus, niſi quia providentia eſt infallibiliter cum effectu connexa: providentia autem, & ejus cum effectu connexio non eſt evitabilis a poteſtate creata, quum ſit antecedens, & æterna; principium autem antecedens connexum infallibiliter cum effectu, & inevitabile a poteſtate creata non eſt compatibile cum contingentia, aut cum libertate operationis, ſive actus, & effectus; ergo &c. Addit quoque Cajetanus ſe hujus argumenti ſolutionem non reperiſſe, apud D. Thomam, neque in aliis Doctoribus.

12. Ab eo ut ſe expedirent nonnulli Recentiores ſcientiam conditionatorum excogitarunt, per quam ante omne decretum divinæ voluntatis prævideat Deus, quid voluntas creata ſub his, aut illis auxiliis, aut naturalibus, aut ſupernaturalibus ſit operatura, qua præſcientia ductus, voluntatem deinde ſuam expromit per decretum de eo, quod fieri abſolute vult, aut non vult. Hæc porro nimis humanitus excogitata, dictaque eſſe videntur, neque cum prædictis ſtare poſſe. Non enim Deus ab rebus ſcientiam accipit, ſed rerum ipſa eſt cauſa, nec prævidet Deus futura, qua talia, ſed videt in æternitate præſentia, nec videt quid creatura operatura ſit, ſed quid in ea, & ex ea ſit ipſe facturus, eam movens, & applicans adoperandum, quod ipſe vult, aut permittit, eam operari; nec ſolum præ-

præbet potentiam, & auxilia ad operandum, movetque, & applicat ad operationem, sed etiam operatur ipsum velle, quo voluntas vult, & ipsum perficere, quo voluntas agit. Cajetani igitur argumentatio in multis fallit. Contingens enim, & necessarium non differunt secundum esse physicum, sive secundum naturam, sed secundum esse, quod habent in causis suis, ut ab D. Thoma dictum est. Actio namque, aut effectus contingens, aut liber non dicitur, nisi quatenus provenit a causa, quæ potest in operando deficere, aut quæ potuisset non operari, vel aliter operari: non ergo potest salva consistere defectibilitas, aut libertas causæ, quin salvetur contingentia, aut libertas effectus, aut actus. Item quum hæc argumentatio contra certitudinem providentiæ eandem vim habet, eodemque modo fieri possit contra divinæ scientiæ certitudinem, ex iis quæ ibi D. Thomas docuit, hujus quoque solutio petenda est. Unde nego primam majorem, & majorem probationis distinguo: Effectus ille certò est, infallibiliterque futurus, eo modo, quo provisus est, concedo; alio modo, nego. Providit autem Deus illum futurum contingenter, adaptans ei causam contingentem, aut liberè adaptans ei causam liberam: sequitur ergo infallibiliter, quod erit contingenter, aut liberè, non necessario. Verba sunt D. Thomæ. (*23. de Ver. c. 5.*) Hinc ad minorem: providentia est infallibiliter connexa cum effectu tantum, nego; cum effectu, & cum modo existendi effectus, concedo: Quia ex voluntate sequitur aliquid eo modo, quo voluntas disponit, non eo modo, quo voluntas est, & effectus tantò est voluntati conformior, quanto voluntas potentior est, atque efficacior; voluntas autem divina est agens efficacissimum, unde oportet, ut non solum fiat id, quod Deus vult, quod est quasi assimilari secundum speciem; sed ut fiat eo modo, quo Deus vult, necessario, vel contingenter, citò, vel tardè. Hæc quoque sunt apud D. Thomam. Si ergo Deus vult, ut Christus v. g. moriatur, Christus certo, & infallibiliter morietur, etsi Deus non solum vult, ut Christus pro nobis moriatur, sed etiam liberè, & spontè morti se tradat, Christus non solum certo, & infallibiliter morietur, sed etiam certò, & infallibiliter liberè, & sponte morietur.

13. Illud ergo quod in 6. Metaph. probatur, & veluti axioma habetur in materia de libertate, ad Dei præscientiam, providentiam, aut præfinitionem, vel decretum quodcumque applicari non potest: Est autem tale: Omne principium antecedens, connexum cum effectu, aut operatione voluntatis, & inevitabile ab agente tollit actus libertatem. Hoc, inquam, velut axioma in divina voluntate, aut scientia non procedit. Hæc enim ratio, ut notavit D. Thomas, procedit in causis agentibus per naturam, & in quantum ad effectus imme-

Digitized by Google

mediatos; sed in causis voluntariis non sequitur, quia ex voluntate sequitur aliquid eo modo, quo voluntas vult, non eo modo, aut quando voluntas habet esse; sicut accidit in causis naturalibus, uti supra. Item connexio causæ naturalis cum effectu est naturalis, & necessaria; connexio autem, quæ est inter decretum, sive actum voluntatis, & rem decretam, est voluntaria, unde sicut connectitur cum effectu, quem poni vult, ita etiam connectitur cum tali, aut tali modo, quo poni vult, unde sequitur, ut si voluntas sit efficax, non solum fiat quod vult, sed fiat quando, & quomodo vult. Hinc sicut effectus non sequitur, quando voluntas de eo est, sed quando voluntas vult, ita non sequitur eo modo, quo voluntas est, sed eo modo, quo voluntati placet. Ratio autem hujus discriminis inter causam naturalem, & voluntariam est, quia causa naturalis v.g. ignis operatur per suam formam naturalem, natura autem semper uniusmodi est, & uniusmodi operatur: causa autem voluntaria operatur per formam intellectu apprehensam; forma autem apprehensa per se non est operativa, nisi accedente imperio voluntatis, ut patet in operibus artis: ita igitur forma præconcepta in effectum transit, sicut Jubet agenti. Denique divina scientia, aut voluntas non est principium aliquod antecedens, quamvis sit æternum, immo quia æternum est, nihil antecedit, nihil consequitur, sed in hoc *nunc* quod est æternitatis, simul & semel adest omni operationi voluntatis, & cujusvis causæ creatæ. Porro: illud principium, quod ita connexum est cum effectu, ut sit etiam connexum cum libertate, aut contingentia effectus, ejus contingentiam, aut libertatem non tollit, immo quia est inevitabile, secum infallibiliter affert eventus contingentiam, aut libertatem, ut alibi ex Augustino.

14. Alia etiam via huic, & fere omnibus præcedentibus, multisque aliis similibus occurritur ex D. Thomæ doctrina, distinguendo majorem probationis. Effectus certo est, & infallibiliter futurus, Deo, a quo provisus est, nego; creaturis in tempore existenti, concedo. Quum enim dicitur, (*1. cont. Gen. c. 67.*) Deus scivit, aut providit hoc futurum, medium quoddam accipitur inter divinam scientiam, aut providentiam, & rem scitam, aut provisam, scilicet tempus, in quo est loquutio, respectu cujus id, quod a Deo scitum, aut provisum dicitur, est futurum; non autem respectu divinæ scientiæ, & providentiæ est futurum, quæ in momento æternitatis existens, ad omnia præsentialiter se habet. Quare si tempus loquutionis subtrahatur, non est dicere, hoc esse scitum, aut provisum, quasi nondum existens, ut locum habeat quæstio: an possit non esse, aut vitari? sed sic cognitum, aut provisum a Deo diceretur, ut jam in seipso visum, quo posito, non remanet prædictæ quæstioni locus,

quia

Digitized by Google

quia quod jam est, non potest quantum ad illud instans non esse: Deceptio igitur accidit ex hoc, quod tempus, in quo loquimur, cœxistit æternitati, sicut etiam tempus præteritum, quod designatur, quum dicitur, Deus scivit, providit, aut disposuit. Unde habitudo temporis præsentis, aut præteriti ad futurum, tribuitur æternitati, aut Deo in æternitate præscienti, aut volenti, quasi ante præscierit, aut voluerit, quod ei non competit, & ex hoc contingit, secundum accidens falli. Quæ fallacia invenitur in omnibus illis consuetis Theologorum loquutionibus, Deum prænoscere, prædeterminare, præordinare, prædefinire, præmovere, præscire, quando ex iis Dei scientia, providentia, aut voluntas tanquam principium antecedens sumitur, ut inde effectus postea sequatur. Quum ergo omnis actio causarum secundarum semper sit præsens æternitatis momento, in quo Deus illam cognoscit, providet, determinat, non est locus quæstioni: an vitari, aut impediri possit, sicut in eo momento, in quo Sortes sedet, non est quærendum, an possit pro eo tempore non sedere, quo exemplo utitur D. Thom. Non ergo scientia, providentia, aut decretum Dei præsuponendum est, ut antecedens, sive ante existens, & causam secundam ad suam determinationem, præscientiam, aut providentiam trahens.

15. Argumentantur denique ex nonnullis Scripturarum, & Patrum locis, ubi minimarum, & vilissimarum rerum providentia Deo negari videtur. Numquid enim ait Paulus, (*1. ad Cor. c. 9.*) de bobus cura est Deo? Unde Hieronymus: Absurdum est, inquit, (*in c. 1. Habac.*) ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quot moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quot pisces in aqua natent, & quot de minoribus majorum prædæ cedere debeant? Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes. Sunt enim multa, quorum, ut ait Augustinus, (*Ench. cap. 17.*) miseranda peritia est, & quæ nescire, quam scire præstat, ut est apud Aristotelem, (*12. Metaph.*) Respondemus autem cum D. Thoma, (*5. de Ver. art. 6.*) mentem Apostoli fuisse, Deum non ita de brutis curare, ut ea propter legem aliquam hominibus dederit, nimirum ut eis benè faciat, aut ab eorum occisione abstineat, non enim propter se, sed propter hominem provisa sunt. Insuper: quod non eam singularem curam de bobus habeat, quam de homine, qui propter arbitrii libertatem singulari quodam modo divinæ providentiæ subest. Ad hunc eundem sensum reducenda sunt verba Hieronymi. Interpretatur enim ibi verba illa Habacuc: Nunquid facies homines, quasi pisces maris? ostenditque

Digitized by Google

ditque non eandem hominis, & brutorum animantium curam esse Deo. Ut autem erat in dicendo vehemens, penè in contrarium extremum impegit, ut Deo de vilissimis rebus providentiam negare videatur, quod tamen ex adductis rationibus, & Scripturarum, & Patrum reliquorum, ac ipsius Hieronymi testimoniis apertissimè falsum esse convincitur. Dicitur enim: (*Ps. 146.*) Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum . . . Nonne (*Math. c. 10.*) duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro? Considerate lilia agri &c. (*Matth. cap. 6.*) Quid capillis vilius? Et tamen vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Similiter naturalium omnium causarum effectus Deo tribuuntur authori. (*Ps. 17.*) Intonuit de cœlo Dominus. Qui emittit fontes in convallibus . . . (*Ps. 103.*) Qui dat nivem sicut lanam . . . . (*Ps. 147.*) Pluit Dominus, (*Exod. 9.*) & hujusmodi innumera. Neque hoc est curiosum, ac plenum negotii Deum facere, ut ineptissimè Vellejus apud Tullium. Non enim providendo defatigatur, nec per momenta singula ea scit, de quibus providentia est. Unico enim actu simul, & semel omnia intelligit, vult, disponit, quæcumque eveniunt suis deinde quæque temporibus. Ideo autem nobis quædam melius est nescire, veluti vilia, aut turpia, quatenus per ea impedimur a consideratione meliorum, quia multa simul intelligere non possumus, & quia malorum cogitatio pervertit interdum voluntatem, allicitque in malum. Hoc tamen in Deo locum non habet, qui uno simul intuitu omnia videt, & cujus voluntas in malum flecti non potest.

16. Ex dictis porro liquet, in Deo providentiam aliud non esse, quam æternam omnium gerendorum rationem, atque ordinationem; in rebus autem ipsis esse seriem, ordinemque causarum, quibus certissimè eveniunt, quæcumque eveniunt. Ex quo sequitur, Dei erga se ipsum non esse providentiam. Est enim Deus rerum omnium finis, ut ex dictis facilè eruitur, & ex infra dicendis constabit; providentia autem non est de fine, sed de iis, quæ ad finem sunt, ut in Ethicis habetur: Pertinent vero ad providentiam duo, (*1. p. q. 22. ar. 3.*) nimirum, ratio ordinis, sive dispositio, & item hujus ordinis, sive dispositionis exequutio, quæ Gubernatio, aut Administratio dicitur. Deus igitur per semet solum de omnibus providet, omniaque disponit; sed non per semet solum (quamvis posset) omnia administrat. Utitur enim ministerio, & virtute causarum secundarum, quibus hoc divinissimum largitus est, inquit Dionysius (*Coel. Hier. cap. 3.*) ut sibi cooperentur ad bonum Universi. Invenitur autem duplex rerum differentia. Aliquod est siquidem regens, & non rectum, seu movens, & non motum, & hoc soli Deo competere su-

pra

Digitized by Google

pra est demonstratum. (*prop. 1.*) Invenitur item rectum non regens, sicut infima corpora. Et tandem rectum regens, sicut creaturæ rationales. Deus se non regit, sed alia extra se; creatura autem rationalis, ita a Deo regitur, ut semetipsam, & alia extra se regat. Jam vero Deus, quum sit ipsamet regula, & finis; non potest in providendo, ab rectitudine, atque ordine deflectere; creatura autem rationalis ita a Deo regitur, ut ipsa in se, & aliis regendis ab ordine, ac rectitudine, cujus rationem in semet non habet, deviare possit. Creaturæ igitur irrationales per ipsam Dei ordinationem, & directionem in finem, fines suos assequuntur; rationales autem ita ordinantur a Deo in finem, ut non per ipsam ordinationem finem suum assequantur, nisi cooperentur, & hujus cooperationis defectus ad culpam ipsis imputatur. Est igitur circa creaturas rationales singularis aliqua providentiæ ratio, qua ita juxta suæ naturæ conditionem ipsis providetur, ut ipsæ sibi, & inferioribus nonnullis provideant, ut in sequentibus explicabitur.

PROPOSITIO XXI.

Deus colendus est.

1. DEmonstratur: Honor est optimorum, sive iis debetur, qui Optimi sunt, & excellentissimi natura, in quo differt a laude, quæ non naturæ, sed benefactis tribuitur, unde honor definitur juxta Aristotelem: (*1. Reth. c. 5.*) Reverentia alicui reddita in testimonium excellentiæ; sed Deus est natura Optimus, & excellentissimus, ut supra ostensum est: (*prop. 4.*) Deo igitur debetur Honor. Honor autem Superiori exhibitus., cujus beneficio utimur, aut cujus ope egemus ad bonum obtinendum, aut malum propulsandum, sive ut brevius dicamus, honor optimo, potenti, & benefico exhibitus, cultus dicitur. Est autem Deus potentissimus, ut item ostensum est, (*prop. 14.*) a quo bona cuncta procedunt, & cujus omnia providentia administrantur. Deo igitur debetur cultus. Secundo: Parentes colere ipsa natura homines docet; sed non ob aliam rationem, nisi quia ipsorum beneficio vivimus, & sicut ætate, ita sapientia, & potentia præstant, quo fit, ut dum adolescimus, eorum cura, & providentia egeamus: Deus autem rerum omnium parens, & author est, cujus ope semper, & providentia egemus, in quo vivimus, movemur, & sumus, ut ostensum est: (*in prec.*) Deus igitur colendus est. Item ut de divina existentia argumentatur M. Tullius (*lib. 1. Tuscul. quæst.*) Firmissimum hoc afferri videtur, ut Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium

tam sit immanis, cujus mentem Deorum opinio non imbuerit. Multi de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim aliquam, & divinam naturam arbitrantur. Nec vero id colloquutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium Gentium Lex naturæ putanda est. Sed quotquot aliquam Divinitatem nôverunt populi, & Gentes, totidem eam coluerunt: Deum igitur aliquem colendum esse, ipsa natura homines docet. Invenies enim (quod adversus Colotem Plutarchus) urbes sine mœnibus, sine literis, sine rege, sine tectis, sine divitiis, moneta, Theatro, gymnasiis; at urbem sine templo, sine Deo, quæ precibus, sacrificiis, oraculis non utatur, quæ juramentum non adhibeat, quæ ritu aliquo ad bona obtinenda, aut mala repellenda Deum non invocet, neque invenit quisquam, nec inveniet. Equidem urbem sine solo facilius inveniri posse existimo, quam hominum societatem aliquam, quibus persuasum sit, non esse Deos, coalescere, aut subsistere posse. Hinc illud Aristotelis apud Clem. Alex. (*5. Strom.*) eum qui dubitet, an Deus, & parentes colendi sint, non instructione, sed pœna dignum esse. Urget hoc argumentum adversus nostri temporis Atheos egregiè Valsecchius, (*lib. 1. c. 8. & 9.*) & hanc Gentium consensionem circa Dei existentiam multis confirmat, quæ ad rem nostram non faciunt. Non enim contendimus, utrum omnes ubique Gentes in alicujus Divinitatis confessione consenserint; sed an supposita Dei, quam supra demonstravimus, existentia, colendus Deus sit? Equidem facilius invenientur existimo, qui Divinitatem negaverint funditus, quam qui cognitam, colendam esse negaverint, quod ad rem præsentem satis est. Unde ipse Epicureus Horatius, quamvis Deos ævum agere securum existimaverit

Nec siquid miri fecit natura, Deos id
Tristeis ex alto cœli demittere tecto.

Tamen se quotidie divinis assistere testatur, Deosque, quales agnoscebat, sæpe in suis versibus invocat, precaturque sibi ipsi non satis constans, siquidem Deus, quamvis natura optimus, si providus, atque erga nos beneficus non esset, honore quidem dignus foret, non autem cultu, invocatione, & obsequio, quod supra ex M. Tullio, (*lib. 1. de nat. Deo.*) & Lactantio vidimus. Porro cultus hic Divinitati exhibitus Religio dicitur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XXII.

Revelatio necessaria est prorsus.

1. DEus enim colendum est, ex nuper dictis; cultus autem naturæ rationali exhibitus & honorem importat, & obedientiam, sive obsequium. Eum etenim, cujus dignitatem, atque excellentiam non agnoscimus, colere non tenemur, eique, cujus placita, & voluntatem ignoramus, obtemperare, atque obsequi non possumus. Duo igitur ad cultum Dei, sive ad Religionem spectant, ut nimirum, rectè de Deo sentiamus, atque ut ejus, si quæ sunt, placitis obsequamur; sed neutrum horum sine revelatione stare potest: necessaria est igitur revelatio. Minoris prima pars ostenditur: Nam ea, quæ ad Dei cognitionem pertinent, aut naturali rationis lumine cognosci, demonstrarique possunt, aut lumen naturale rationis excedunt; sed quomodocumque sit, revelatio necessaria est: ergo. Et quidem si aliqua de Deo scire oporteat, quæ mentis humanæ, aut creatæ cujusvis captum excedant, ea non nisi per divinam revelationem agnosci posse, manifestum est. Restat ergo solum prima minoris pars demonstranda, ad cujus probationem triplici ratione usus est D. Thom., ad quas omnia reduci possunt, quæ de hoc argumento Hautevillius, Samuel Clarkius, (*de Deo*, *& attrib.*) & alii benè multi difusissimè disseruerunt. Tria enim maxima sequerentur inconvenientia, inquit D. Thom., (*1. cont. Gen. c. 4.*) si rerum divinarum veritas rationi solummodo naturali inquirenda relinqueretur. Primum, quod paucissimis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosæ inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam propter contemplationis indispositionem, ex quo multi sunt naturaliter indispositi ad sciendum propter ingenii tarditatem, unde nullo studio ad hoc pertingere possunt, ut summum gradum cognitionis attingant, quæ in divinis cognoscendis consistit. Item alii impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse aliquos inter homines, (quorum est pars maxima) qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum temporis in otio contemplativæ inquisitionis non possunt expendere, ut ad summum fastigium humanæ inquisitionis pertingant, nimirum, demonstrativam Dei cognitionem. Denique quidam impediuntur pigritia. Ad cognitionem enim eorum, quæ de Deo ratio investigare potest, multa oportet præcognoscere, quum fere totius Philosophiæ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur, propter quod Metaphysica, quæ circa divina versatur, inter Philosophiæ partes postrema remanet ad-

discenda. Sic ergo non nisi cum magno labore, & studio ad prædictæ veritatis inquisitionem perveniri potest; hunc autem laborem pauci sunt, qui subire velint propter veritatis amorem: paucissimi ergo essent, qui ad demonstrativam Dei cognitionem pervenirent. Tetigit hanc eandem rationem contra Celsum disputans Origenes. (*l. 1. contr. Cels.*) Si enim possent, inquit, omnes homines relictis vitæ curis vacare Philosophiæ, hanc viam (rationis) insistere omnes deberent . . . Quod quia impossibile est, quum propter vitæ necessitates &c., quid compendiosius excogitari potuit, quam quod JESUS Gentibus tradidit? Ex quo Augustinus in libro de quantit. anim. c. 7. Authoritati, inquit, credere magnum compendium est, & labor nullus.

2. Secundum inconveniens est, pergit D. Thom. quod illi ipsi, qui ad prædictæ veritatis inquisitionem, & inventionem pervenirent, vix post longum tempus eam acquirerent, quum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis, non nisi post longam investigationem, & exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quæ præexiguntur, uti dictum est, quod argumentum Recentiores Philosophi, qui Religionem rationi subesse volunt, magnificè exornant, & multum urgere solent, adversus se ipsos nimirum, non contra nos, qui viam fidei, viæ ratiocinationis præponimus. Denique adjungit D. Thom., tempore juventutis dum diversis passionum motibus anima fluctuat, non est apta ad altissimæ veritatis contemplationem, sed in quiescendo fit prudens, & sciens, ut in 7. Physicor. dicitur. Remaneret igitur genus humanum, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiæ tenebris, quum Dei cognitio, quæ homines maximè bonos, & perfectos facit, non nisi quibusdam paucis, & his quidem paucis non nisi post longum temporis decursum proveniret.

3. Tertium inconveniens est, ait D. Thom., quod invesigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent, sicut nunc apud Religionis revelatæ impugnatores remanent, ea quæ sunt etiam verissimè demonstrata, & præcipuè quum viderent diversis, qui Sapientes habentur, diversa doceri. Inter multa etiam, quæ demonstrantur vera, immiscetur aliquando falsum, quod non demonstratur, sed probabili aliqua, vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio existimatur. Paucissima igitur de Deo scirent homines, & ii quidem paucissimi, nec ea scire possent nisi summo labore, atque studio, longaque, ac diuturna investigatione, & adhuc

illa

Digitized by Google

illa vix ab omni erroris suspicione securi cognoscerent . Concludamus ergo cum Recentiori quodam Poeta

> Scire datum paucis, & magno pauca labore:
> Ergo opus est credas plurima, pauca scias.

Salubriterque divina providit Clementia, ut ea etiam, quæ ratione investigari possunt, fide tenenda præciperet, ut sic & omnes, & de facili, & sine dubitatione, & errore possent divinæ cognitionis esse participes, uti concludit D. Thom. Hujus porro ratiocinationis vis, ac veritas facilius innotescet, si Platonis, Aristotelis, Marci Tullii, Senecæ, & aliorum Philosophorum Ethnicorum de divina natura libri, placitaque inspiciantur. Jam vero aliqua supra captum, & sensum hominis ostensa esse nobis ex sequentibus constabit, quæ, nisi ipso Deo revelante, scire non possumus: igitur sive de iis, quæ de Deo per rationem investigare non possumus, sive de iis, quæ possumus, revelatio necessaria est; quod erat probandum. Secunda autem pars primæ minoris suadetur facilè: Siquidem Dei Optimi, Maximi jussis, si qua sint (esse autem aliqua alibi demonstrabitur) obtemperandum esse, nemo ibit inficias: obtemperare autem non possumus, nisi ea nobis innotescant; ea vero quæ ex libera cujusque voluntate dependent, nisi eo revelante, & voluntatem suam, ac legem declarante, innotescere nobis non possunt: unde lex, nisi promulgata non obligat: ut igitur Dei placitis obtemperemus, revelatio omnino necessaria est, quod erat alterum primæ minoris caput.

4. Eadem propositio item secundò convincitur: Homo enim, & animo, & corpore constat; habet autem utrumque ab Deo Creatore: æquum est igitur, ut non interno solum animi affectu, verum etiam externo aliquo cultu Deum revereatur, & colat. Unde exercentur ab hominibus quædam sensibilia, atque externa opera, non quibus Dei attentionem excitent, sed quibus se ipsos in divina provocent, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores, & cantus, quæ non fiunt, quasi Deus his indigeat . . . sed propter nosmetipses, ut per hæc sensibilia opera, intentio nostra dirigatur in Deum, & affectus accendatur . . . namque experimento apparet, quod per corporales actus excitatur anima ad aliquam cognitionem, aut affectionem, eique firmius, intensius, ac diutius inhæret. Simul & per hoc Deum profitemur & corporis, & animæ authorem, cui spiritualia, & corporalia obsequia exhibemus. Quibus verbis D. Thom. (*in 3. cont. Gent. cap. 119.*) Recentiorum quorundam errorem jugulat, asserentium externum cultum, ut est apud authorem lib. de Moribus, ad hoc solum institutum, ut per apertam professionem unius, & ejus-

Digitized by Google

ejusdem Religionis, politicæ societatis membra copularentur. Unde si homo quispiam, inquit, in remota aliqua Insula, aut desertis locis solus degeret, ad externum cultum non teneretur. Falsum id enim vero. Non enim propter alios, sed propter nosmetipsos cultus externus adhibetur. Primo, ut quum omnis nostra cognitio a sensibus incipiat, per sensibilia, & externa ad interna, & divina manuducamur. Secundo, ut illis quasi externis vinculis alligati, firmius, attentius, diutius, divinis incumbamus, unde vetus proverbium est: adoraturi sedeant. Tertio, ut intensius, ferventiusque. Nam per externos actus interior affectio, aut devotio accenditur, idque naturæ hominis congruere videtur, siquidem ea edocti supplices atque alium deprecantes plorant, gemunt, procumbunt, genua amplectuntur, ut conjunctis animi, & corporis viribus ad misericordiam animos flectant. Est etiam externus corporis motus, sicut quandoque causa, ita etiam quandoque effectus interni motus, estque tum perfectior, quum ex interiori affectu totus homo percellitur, & ex animo ad corpus redundat pia commotio, ex qua dictum est: (*Ps. 83.*) Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum .... (*Ps. 34.*) Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? .. (*Ps. 118.*) Confige timore tuo carnes meas &c. Nam quis enim negaverit, majus esse crimen, quod manu, atque opere completur, quam quod sola animi cogitatione perficitur? ergo similiter perfectior ille Dei cultus est, in quem totius hominis facultates, viresque conspirant. Nam quartò per corporis, & animæ obsequium Deum corporis, & animæ authorem profitemur, & sicut internorum animi, sic & externorum corporis bonorum beneficentissimum datorem. Præterea convincitur externi cultus veluti insita hominibus notitia, & obligatio, ex Gentium omnium, & sæculorum consensu. Ubi enim non Templa, ritus, Altaria, Sacerdotes, sacrificia, libationes, lustrationes, lectisternia, Novendialia, thurificationes, Hymni, & hujusmodi apud Paganos omnium Gentium Scriptores? Si ergo ex communi omnium Gentium consensione firmum ducitur argumentum ut Deum esse, & colendum esse credamus, eadem etiam ratione Deum externo aliquo cultu colendum esse convincimus, in quem omnium Gentium, & populorum conspirat usus. Omni siquidem in re consensio omnium Gentium Lex naturæ putanda est, quod supra citatus ajebat Tullius. (*l. 1. Tusc. quæst.*) His ergo circa externum cultum positis, atque stabilitis, sic argumentum conficitur: Deus non solum interno animi affectu (quamvis potior, & nobilior, ac Deo dignior sit, quod & Pythagoras docuit) sed etiam externo aliquo ritu colendus est; at lumen rationis circa externos ritus nihil nobis determinatum, ac dearticulatum suggerit, ut author ipse libri

Digitized by Google

bri de Moribus fatetur, (*par. 1. cap. 2. ar. 2.*) qui etiam addit, necessitatem illam, qua ad exsternum cultum ipsa natura docente adigimur, nihil facere ad hunc, aut illum Dei colendi ritum : ergo pro externi cultus determinatione Dei voluntaria revelatio necessaria est. Nam quis enim, quæso, Abelem, aut Adamum docuit ovium immolationem gratam Deo esse, non autem canum, aut equorum?

5. Est etiam in ejusdem propositionis probationem tertia argumentatio: Homo enim naturali quadam lege adstringitur ad id vitandum, quod turpe, seu contra rationem est, & honestum, sive quod est, juxta ordinem rationis prosequendum. Id enim omnis Philosophia Moralis clamat, (*auth. pref. ad Tract. de hum. rat.*) & ipsimet Revelationis osores fatentur, qui & propterea humanam rationem jactant cum Philone, (*lib. quod omnis probus liber.*) veluti tutissimam, & infallibilem veritatis regulam. Hujus autem naturalis Legis, sicut author, ita custos, & vindex Deus est. Ad quem enim alium pertinet punire transgressores, aut obsequentes remunerare, quam ad ipsum legis authorem? Sicut quippe benedictionem, ita pœnam dabit, qui legem dedit. Hinc ut Bayle fatetur, opinio apud omnes gentes invaluit, legis naturalis transgressione Deum ipsum, ejus legis authorem contemni, quod innumeris profanorum Scriptorum testimoniis confirmari posset. Sufficiat illud Maronis (*6. Æneid.*)

At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Apud quem propterea Perseus

magna conclamat voce per umbras
Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Atqui in multis offendimus omnes. Nemo enim sine crimine vivit: Estque adeo assidua legis naturalis transgressio, ut sicut de Jove suo, quidam profanus cecinit:

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit:

ergo ut homo multorum criminum reum se agnoscat, necesse est, Deumque sibi infensum, & pœnas intentantem timeat. Nam, prima est hæc ultio, quod se

Judice, nemo nocens absolvitur, ut est apud Juvenalem.

Unde Furiæ, quibus agitatus Orestes a Poetis describitur, & vultures Promethei jecur arrodentes, nihil aliud, teste Tullio significant, nisi

Digitized by Google

nisi perpetrati sceleris conscientiam. Jussisti enim, Domine, & sic est, ut pœna sibi sit ipse animus inordinatus, quod Augustinus dixit. Ut ergo exanimatus timore non corruat, atque in extremum desperationis abyssum decidat, aliqua sibi Dei placandi, ac propitium reddendi spes affulgeat necesse est; sed medium aliquod; quo sibi Deum propitium reddat, & commissi sceleris veniam impetret, innotescere homini non potest, nisi Deo revelante: revelatio igitur necessaria est.

6. Minor probatur: Namque externis sacrificiis, ablutionibus, lustrationibus, expiationibus interiorem animi maculam aboleri non posse manifestum est. Corporeum enim in incorpoream substantiam agere non potest. Nam quæ causa est, inquit Arnobius, (*l. 7. cont. Gent.*) ut si ego porcum mactavero, Deus mutet affectum? Si gallinam, aut vitulum ad altaria concremavero, oblivionem inducat injuriæ? Ergo ne ut parvuli pusiones, passerculos, aut crustula accipiunt, quibus a planctu desistant, ita Dii immortales placamenta ista sumunt, quibus iras, atque animos ponant, & in gratiam suis cum offensoribus redeant?

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse, putatis aqua. (*Ovid. Fast. 3.*)

Scimus enim vero apud antiquos Hebræos & sacrificia expiationis, & lustrationes quasdam in usu fuisse. Sed in victimis pecorum, quas Deo offerebant, inquit Augustinus, (*20. cont. faust.*) ut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Idemque dicendum de ablutionibus, & lustrationibus, quæ fidei, & revelationi de futura Christi immolatione innitebantur, a qua proinde vim abluendi, & expiandi internam maculam, Deique placandi virtutem sortiebantur. Omnia enim in figura contingebant illis.

7. Dicere tamen aliquis posset, quum Hebræos, tum Gentes alias, quæ expiationibus illis, hostiis lustrationibusque utebantur, ita iis placari posse Deum credidisse, si externum ritum interna animi pœnitentia, & criminis detestatio comitaretur. Contraria enim contrariis curari, veluti principium est omnibus notum. Porro quum homo in Deum dirigatur, (*3. cont. Gent. c. 158.*) ab eoque avertatur per voluntatem, non solum necessarium est, quod exteriori actu a peccato recedat, peccare desinens, sed etiam quod recedat voluntate . . . dum de præterito pœnitet, & futurum vitare promittit. Si enim homo non proponeret desistere a peccato, non esset peccatum secundum se contrarium voluntati; si vero vellet desistere a peccato,

Digitized by Google

to, non tamen doleret de peccato præterito, non esset illud ipsum peccatum quod fecit contrarium voluntati. Est autem contrarius motus, quo ab aliquo receditur, motui, quod ad illud pervenitur. Oportet igitur, quod voluntas recedat a peccato per contraria his, quibus ad peccatum inclinatur; inclinatur autem ad peccatum per appetitum, & delectationem: ergo per detestationem, ac dolorem ab eo recedat, oportet. Hinc Deum pœnitentium lacrimis flecti passim apud Ethnicos etiam Scriptores invaluit, ut multis eorum testimoniis, & omnium fere Gentium historiis, & exemplis probat Huetius, (*q. q. Aln. lib. 2. c. 20.*) qui propterea inquit: Peccata salubri pœnitentia abluenda, mores emendandos, atque ita placandum Deum gentium omnium commune præceptum est, quæ Deum agnoscunt. Siquidem, & boni parentes filiis, & Domini servis peccantibus veniam largiuntur, & quod majus est inimicus cum inimico sincerè pœnitente, & supplice redit in gratiam, inquit Tyndallius. Est autem miserator, & misericors Deus, longanimis, & multum misericors, (*Ps. 102.*) ut etiam naturali ratione demonstrari potest: ergo solo naturæ lumine cognosci, atque sperari debet peccatori resipiscenti, & supplici veniam concessurum: non igitur necessaria revelatio est. Ita Recentiores Philosophi argumentantur.

8. Multa tamen in tota hac ratiocinatione congesta, & conglobata sunt, quæ enucleatius expendere operæ pretium est, ut ejus fallacia agnoscatur. Fatemur enim primum, hanc fuisse Hebræorum, & omnium fortasse Gentium sententiam, externum ritum per se non posse internam peccati maculam abolere sine interna pœnitentia, quod quidem unum allata D. Thomæ doctrina egregiè probat. Fatemur item, communem hanc esse omnium hominum de Deo bene sentientium opinionem, illum pœnitentium mœrore, ac præcibus placari. Sed quid inde? Scimus, universim homines delinquentium lacrimis ad clementiam flecti: ergo Ligarii suplicis, & crimen confitentis miserebitur Cæsar. Non valet consequutio. Ergo quoties deliquerit, & resipuerit, toties miserebitur. Nec item. Quid? quod in privato, & in Judice ratio non est eadem, unde nec hoc tenet argumentum: privatus offendenti se non potest solum, sed etiam ignoscere cum laude potest: ergo & Judex: supremus Princeps pœnam omnem relaxare potest ad supplicum preces: ergo, & inferior magistratus. Nec de humano judicio ad divinum valet consequutio. Nam humanus judex superiorem agnoscit; Deus autem Rex Regum est, cui nemo potest dicere: Cur ita facis? Item judicis humani mutabile judicium est, & voluntas in diversa, & contraria mobilis: in Deo autem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. (*Jacob. 1.*) Denique, quamvis ea sententia omnium mentes, atque animos

mos occupaverit, inquirendum restat, an eam per naturalem demonstrationem, aut necessariam consequentiam acquisiverint, an per traditionem quandam a majoribus derivatam agnoverint . Etenim, sicut naturali lumine Deum externo aliquo ritu colendum esse cognovimus, ita medio aliquo Deum nobis infensum, esse placandum. Et sicut de externo cultu nihil in particulari naturalis ratio nos docet, ita nec de medio Deum placandi, ut hoc potius, quam illud eligamus, quia sicut nulla est inter cultorem, & cultum, ita nulla est inter offensorem, & offensum proportio : ergo sicut ritum Dei colendi, ita medium aliquod Dei placandi per demonstrationem, aut necessariam consequentiam scire non possumus. Reliquum est igitur, ut spem certam, & securitatem veniæ per pœnitentiam a Deo obtinendæ per traditionem habuerint omnes Gentes, tanquam ab uno aliquo in posteros derivatam ; sed hujusmodi traditio revelationem supponit, nam demonstrationem, si quam unus habuit, quivis habere posset: ergo communis hominum sententia seu circa ritum externum colendi Deum, seu circa medium aliquod ipsum placandi, revelationem supponit. Ex quibus patet solutio ad Tyndallii, & Lockii rationem ab hominum moribus, & ab divinæ clementiæ notione desumptam. Ex illo enim ratiocinio solum efficitur, homines, quippe qui aliud facere non possent, ad id teneri quod possunt, nimirum ad sceleris commissi detestationem, & clementiæ divinæ implorationem, veniam inde sperantes, non tamen ita ut certam sibi veniam polliceri possent, nisi de hoc Dei promissio, ac revelatio præcessisset. Huetii porro doctè somniantis authoritatem non curamus, qui omnia Christianæ Religionis mysteria nedum in Græcorum, & Romanorum Mythologia absurdissima, verum etiam in barbararum quarumcumque Gentium ritibus videre sibi visus est. Unde illud Persii ; labra moves tacitus ad eos Romanos refert, qui Judaico ritu peccata confitebantur. Apud Sinas, & Japones Pœnitentiam, satisfactionem, & absolutionem Sacramentalem figuratam invenit, & in Phœdone Platonis viros doctos observasse, ait, pœnitentiam, confessionem, satisfactionem, absolutionem ; item distinctionem peccatorum gravium, & leviorum, sive ut Theologi de schola loquuntur, mortalium, & venialium. Hæc & alia multa his similia Huetius. Hinc porro ad argumentum nego penultimam consequentiam, aut propositionem sic explico : Potest probabiliter, & cum formidine cognosci, atque sperari &c., concedo; potest certò, & infallibiter, nego, & ultimam consequentiam.

9. Eidem item argumento insistendo probatur quarto propositio : Homo non potest a peccato resurgere, nisi per detestationem, ac propositum omnia de cætero peccata vitandi, sed per solas naturæ

vi-

Digitized by Google

vires homo non potest omne peccatum vitare, ut alibi multis argumentis firmabitur, quæ ab hac propositione non dependent: ergo non potest homo propositum illud concipere, nisi singulari quodam, & supernaturali Dei auxilio fretus: sed illud supernaturale auxilium, quod Gratiam dicimus, sperare, & sibi promittere non potest sine revelatione, quum non sit naturæ debitum, sed ex libera solum Dei voluntate dependeat: ergo a peccato resurgere sine revelatione non potest: tenetur autem ad id conari: ergo revelatio, quam hic conatus præsupponit, prorsus est necessaria.

10. Ex dictis porro patet solutio ad futilissimum illud Recentioris cujusdam argumentum, (*St. Evremond. in tr. cui tit. Esam. della Religion.*) quo probare intendit, in Religione Christiana per spem, quæ semper adest veniæ obtinendæ, licentiam peccandi crescere; minui autem apud Religionis naturalis cultores, quibus post peccatum nulla spes veniæ est reliqua, unde concludit, naturalem Religionem revelatæ, & Christianæ præferendam esse. Fatetur ergo hic author, in Religione naturali nullum peccato, nullum peccatori remedium, atque adeo ejus post primum lapsum desperatam esse salutem; sed nemo est, qui non peccet: actum est igitur de hominum salute. Sed quam tu salutem vocas? inquiunt hi anthores, nam apud nos

Esse aliquos manes, & subterranea regna . . .
Nec pueri credunt.

11. Nihil ergo interest peccetur, aut non peccetur, quando quidem neque propter virtutem præmium ullum est sperandum, nec propter peccatum pœna metuenda. Cur ergo de Spe veniæ disputas, cur licentiam peccandi minui, majus bonum reputas? Præterea: Colere est, rei alicui per opera nostra studium adhibere, ex quo fructum, aut emolumentum aliquod speramus. Quæ D. Thomæ pulcherrima explicatio omnem hujus verbi significationem comprehendit. (*2. 2. q. 71. ad 4.*) Colere enim agrum, & vineam, & hortum dicimur, & scientias, atque artes colere. Colit servus Dominum, & Patronum cliens, & creatura Creatorem. Illud ergo, ex quo fructus nullus, atque emolumentum speratur, nemo colit. Si ergo est aliquis Dei cultus, aut Religio, sive ea naturalis, sive revelata sit, oportet, ut inde fructum aliquem, sive emolumentum spectemus; is autem fructus alius esse non potest, nisi beatitudo, aut summa felicitas æternæ vitæ, nam bona, quæ in hac mortali vita haberi possunt, ut honor, divitiæ, pulchritudo, dignitas, sanitas, voluptates, &c. etiam sine Religionis, ac virtutis studio homines scele-

Digitized by Google

leratissimi obtinuerunt, atque obtinent : ergo ubi nulla est salus ; aut felicitas per Dei cultum, & virtutis studium speranda, nulla est Religio; sed peccat omnis homo, & revelatione destitutus, ut fateris, a peccato nequit resurgere, atque adeo nullam sperare salutem: nulla est igitur purè naturalis Religio. Præterea, ut argumentatur contra eundem Valsecchius: Aut Religionis naturalis cultoribus est aliquid in morte timendum, vel nihil? Si secundum: ergo scelera occulta hominum impunita remanent, atque adeo effrœnis erit peccandi licentia: ergo nullum Religionis, nullum Virtutis, atque honestæ vitæ emolumentum. Si primum: ergo quum post primum lapsum, damnatio vitari nullo modo possit, desperatio irritabit animos, atque inde crescet licentia peccandi, quum jam virtutis fructus, aut ulla utilitas sperari non possit. Quomodocumque igitur se res habeat summa erit, atque effrænata peccandi licentia apud naturalis Religionis cultores. Quid tu autem de Religione Christiana disseris, cujus sanctissima dogmata ignoras. Verè profecto pœnitentibus Deus clementissimus veniam spopondit. Benè. Sed nunquid veram pœnitentiam ad manum habet quivis, quum voluerit? Minime. Non enim volentis est, (*ad Rom. c. 16.*) neque currentis, sed miserentis Dei. Verè enim pœnitere, ut ad salutem oportet, nemo potest sine supernaturali quodam Dei auxilio, quod an Deus daturus sit, an negaturus, ignoratur. Nulla igitur in Religione Christiana est ex spe veniæ peccandi licentia, immo pavidos semper nos esse opportet, (*Prov. 28.*) & cum timore, & tremore nostram salutem operari, (*2. ad Philip.*) nec de propitiato peccato esse sine metu, (*Eccl. 5.*) sed magis soliciti, ut per bona opera certam nostram vocationem, & electionem faciamus. (*Epist. 1. D. Petri.*)

PROPOSITIO XXIII.

Revelatio non repugnat.

1. NAm neque ex parte Dei, neque ex parte creatæ mentis, neque ex parte rei revelatæ ulla apparet contradictio. Pars prima ostenditur. Revelatio enim, si vis nominis attendatur, non proprie dicitur, nisi de eo, quod velamine aliquo tegitur, nec nisi obducto velamine, videri potest. Inde, ut fieri solet ab oculorum acie, ad mentis aciem ducta metaphora, revelatio est manifestatio rei, cujus cognitio propria investigatione, atque studio haberi non potest. Hinc si quis me doceat, Diagonalem quadrati esse lateri incommensurabilem, revelatio hæc non erit, quia ad ejus veritatis notitiam proprio marte, atque inquisitione pervenire possum;

si

Digitized by Google

sì vero me doceat, se de agro emendo, aut de uxore ducenda cogitasse, revelatio erit, quia ejus rei notitiam habere proprio labore, atque inquisitione non possem; sed non repugnat, Deum creatæ menti aliquid manifestare, quod mens creata proprio labore, meditatione, atque studio investigare non possit: non ergo repugnat revelatio. Minor patet. Nam quod homo homini præstare potest, multo magis Deus; sed homo internas suas cogitationes, sensaque animi, quæ nemo proprio studio cognoscere potest, revelat sæpe: ergo & arcana Sapientiæ suæ Deus revelare potest. Major patet. Nam homo hominem non nisi externis signis aliquibus docere potest; Deus autem non signis solum vocum, aut figurarum, verum etiam interna alloquutione, & adflatu, atque ipsius intellectualis luminis incremento, quum sit tam naturæ corporeæ, quam naturalis intellectualis luminis largitor, atque author.

2. Secunda porro assumptæ propositionis pars ex præcedentibus convincitur. Ostensum est enim, (*in præc.*) revelationem esse homini ad sui status perfectionem, ad externum Dei cultum, & ad Deum placandum necessariam. Quod autem homini necessarium est, non potest ei repugnare, ut ex terminis patet. Præterea: Sicut subditur authori Deo natura corporea, ita & natura intellectiva; sed Deus potest in natura corporea aliqua operari, quæ omnium agentium naturalium facultatem, ac vires excedant, quæ miracula dicuntur, ut supra demonstratum est (*prop. 13.*): ergo etiam potest in ordine intelligibili, aliquid supra vim, & facultatem creatarum mentium operari. Minorem probant præter ea, quæ supra diximus, quæ de veris Religionis revelatæ miraculis in sequentibus disseremus. Item: sicut objectum visus est omne lucidum coloratum, ita objectum mentis est omne verum; sed non repugnat, esse aliqua lucida, quæ oculo nudè sumpto conspici non possunt, vel propter distantiam, ut circulus, & satellites Saturni, vel propter excellentiam luminis, ut Sol, & tamen conspici possunt per oculorum aciem, aut supernaturali actione elevatam, aut instrumento aliquo adjutam: ergo nec repugnat, esse aliqua vera, quæ solo lumine naturali cognosci non possint, possint autem per mentis aciem divino lumine adjutam, & roboratam.

3. Jam vero tertia pars primæ propositionis suadetur. Quum enim sit Deus Ens perfectissimum, infinitum, incircumscriptum, æternum, potentissimum, ut etiam Paganorum sapientiores demonstrant, & communis hominum testatur consensio, concedendum est, Deum aliquid esse, aliquid posse, quod mens nostra investigare non possit, ut Aug. postulat. (*Epist. 3.*) Nam quantulus enim Deus esset, si ab his ingeniolis capi possit, quæ Continui naturam, aut vim ma-

gneticam, aut corporum gravitatem, vel Curvarum quarumdam affectiones explicare non possunt. Sunt igitur in divinis multa, immo omnia, quæ non licet homini loqui, quæ nec oculus, vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis adscendunt, (*1. ad Corinth.*) quæ mysteria dicimus, ut quæ ad Gratiæ, & Gloriæ supernaturalem ordinem spectant; hæc tamen Deum posse creatæ menti revelare, contendimus. Revelatio enim esse potest, aut per fidem, uti quum cœco narratur conversio acus magneticæ ad polum, aut per intuitivam visionem, veluti si acie oculorum per Medicam artem restituta, ejusdem acus conversionem ad polum suismet oculis observaret; sed posset ille, vel narranti credere, vel per semet hunc effectum videre, quin ejus causam, aut modum agnosceret: ergo potest Christianus Deo revelanti mysterium Trinitatis, aut Incarnationis credere, vel eadem intuitivè cognoscere, quin eorum naturam, finesque omnes, aut modum perfectè cognoscat. Altitudo igitur, aut profunditas mysteriorum cum eorum fide, vel intuitiva cognitione, vel quacumque revelatione non pugnat. Immo quia altissima sunt, & supra omnem creatæ mentis captum, ideo eorum propria revelatio est. Quæ enim proprio labore, ac diligentia scire, atque invenire possumus, doceri quidem possunt, revelari non possunt, ut ex supra dictis patet. Unde si Deus per semetipsum aliquem doceret, Quadraturam Circuli, aut duplicationem Cubi, esset ea quidem miraculosa, atque infusa scientia, non autem revelatio, quia hujusmodi veritatum demonstratio, quamvis hucusque inventa non fuerit, non tamen humanæ mentis vim, & facultatem excedit.

4. Probatur secundò assertio proposita: Esse enim aliquam Divinationem, seu futurorum aliquam præsensionem, ac præscientiam, sive aliquos extitisse, aut existere posse homines, qui nonnulla futura contingentia prænoverint, ac prædixerint, communi omnium Gentium consensione ratum, & sanctum est. Unde Aruspices, & Augures apud Ægyptios, Syros, Chaldæos, Arabes, Persas, Medos, Indos, Græcos, Latinos, Gallos, Hispanos, Britannos, Scythas, Mexicanos, Peruvianos, Japones, aliasque Paganas Gentes omnes extitisse, ex innumeris earum Scriptoribus, & documentis constat. Sybillini libri, Ammonis, & Apollinis Delphici oracula cui non nota? At Divinationi hoc nomen est inditum, quod divina quadam inspiratione, atque adflatu in hominibus fieret, unde Sybillas, & Ammonis, & Apollinis Delphici Sacerdotes, Tiresiam, Calchantem, Aristandrum, & similes divino numine adflari putabant, ex quo hi omnes sicut Magi apud Persas, Brachmanes apud Indos, Bonii apud Japones, Druidæ apud Gallos tamquam Deo chari, sacrique habebantur: Deum ergo homines inspirare, atque adflare posse & futura,

atque abſentia, quæ naturalem hominis facultatem ſuperant, revelare, gentium omnium communi ſuffragio certum, atque indubitatum eſt. Omni autem in re, uti ajebat Tullius, communis gentium omnium conſenſio, Lex naturæ putanda eſt: ergo Deum poſſe futura, & arcana revelare, ipſius naturæ lege docemur.

5. Dices vero: ſtudium Divinationis, & cultum Divinatoribus exhibitum, falſum, ridiculum, abominandum eſſe, atque a Deo prohibitum. Equidem ſcio. Sicut tamen falſos, ac ridiculos colebant Deos, & tamen ex omnium Gentium conſenſu rectè colligimus exiſtentiam Dei; ſicut nefandis, atque obſcœnis ritibus colebant Deum, & tamen ex communi hominum opinione, & uſu, Deum externo aliquo ritu colendum, rectè argumentamur; ſicut falſis miraculis, & portentis fidem adhibebant, & tamen veram in Deo potentiam ad miraculorum operationem, quam ille error ſupponit, rectiſſimè deducimus; ita illud Divinationis ſtudium ridiculum, & vanum fuiſſe fatemur, ex eo tamen legitimè efficimus, hanc fuiſſe communem Gentium omnium, & ſæculorum ſententiam, poſſe homines, Deo adflante, atque inſpirante, aliqua cognoſcere, quæ naturalem cognoſcendi modum excedunt. Addi poteſt ex Tullio, adeo Divinationem cum Dei notitia, & Religione conjunctam eſſe, ut ex omnibus antiquis Philoſophis unus Xenophanes Colophonius, quum Deos eſſe dixerit, Divinationem funditus ſuſtulerit. Legatur liber primus de Divinatione, ubi ea, quæ diximus omnia, multis & exemplis, & rationibus confirmantur.

6. Atque ex dictis patet ſolutio ad ea omnia, quæ Naturalis Religionis defenſores opponunt, quorum hæc ſunt præcipua. Primum: Divina Sapientia unicuique providet ſecundum modum ſuæ naturæ; ſed quod humanæ, aut creatæ mentis captum ſuperat, non eſt creatæ mentis naturæ accommodatum, & congruum: ergo nihil quod captum creatæ mentis excedit, poteſt ei revelari. Secundo: Myſterium denotat aliquid arcanum, & latens, cujus notitia Deo reſervatur; ſi autem revelatur, jam non eſt arcanum, ac reſervatum Deo, ut patet: myſteria igitur revelari non poſſunt. Tertio: Quod eſt ſupra rationem, non eſt rationi naturali conforme; ſed quod non eſt rationi naturali conforme, eſt rationi naturali contrarium; quod autem rationi naturali contrarium eſt, verum eſſe non poteſt, nam veritas veritati non opponitur, veritas autem eſt conformitas rationis cum re: quod igitur ſupra rationem eſt, verum eſſe non poteſt; quod autem verum eſſe non poteſt, a Deo, ſumma Veritate, revelari nequit: ergo quod ſupra rationem eſt, a Deo non poteſt revelari. Præterea quarto: Si eſt aliquid ſupra lumen rationis naturale, poterit contra ex naturali ratione argumentari, ita ut argumentatio ex principiis

naturalibus solvi non possit; sed argumentatio, quæ ex naturæ principiis solvi non potest, est demonstrativa: ergo si est aliquid supra rationem, ejus contrarium poterit demonstrari; sed quod demonstratur, ad sui assensum intellectum cogit, & falsum esse non potest: contrarium igitur ejus, quod est supra rationem, non potest esse falsum: ergo quod supra rationem est, non potest esse verum; verum enim non est, cujus contrarium falsum esse non potest.

7. Patet, inquam, ad hæc omnia facilis solutio ex præmissis. Primum objicit author Operis, cui titulus: de Religione Homini Essentiali, cujus solutionem habere potuit ex D. Thom. ajente: (*1. cont. Gent. c. 5.*) Quia ad altius bonum, quam experiri in præsenti vita potest humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, ut in sequentibus dicetur, oportuit, mentem in aliquid altius evocari, quam ratio nostra in præsenti vita assequi possit, ut sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum vitæ præsentis excedit; & hoc maximè Christianæ Religioni competit, quæ singulariter bona spiritualia, & æterna promittit. Unde & in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur. Ex qua doctrina in Scholastica forma distinguo minorem: Non est accommodatum, & congruum humanæ naturæ secundum se consideratæ, concedo; ut elevatæ, & ordinatæ ad finem supernaturalem, nego. Hominem autem ad supernaturalem finem esse a Deo destinatum, alibi probatur; nec ab hac propositione dependet. Secundum, quod ejusdem authoris est, argumentum frivolum est. Non enim qui mysterii existentiam credit, aut novit, mysterium omne noscit, aut videt. Tu vides quotidie lapidem descendere; vides acum magneticam ad polum converti. Nunquid propterea non hæc in Physicis mysteria sunt, & arcana abstrusissima? Nimirum, quamvis eventum, aut effectum vides, causam, finem, rationem ignoras. Ita igitur (si parva licet componere magnis) Trinitatem, Incarnationem tibi revelatam credis, aut beatus noveris; qui tamen hæc ita sint, ut credis, aut vides, aut nescis, aut non omni ea claritate, ac perfectione nosti, qua sciri potest. Hinc in forma ad argumentum distinguo minorem: Non est arcanum ante revelationem, nego; post revelationem, subdistinguo: si ita reveletur, ut absolutissimè cognoscatur, concedo; si non ita reveletur, nego.

8. Tertium argumentum est Petri Baylii frivolum profecto, atque elumbe. Potentia enim quævis considerari potest, aut nudè, & per se sumpta, aut per aliquem habitum disposita, vel instrumento adjuta, per quæ habilis redditur ad operationem alias sibi improportionatam: Sic annulus, aut satellites Saturni non sunt objectum proportionatum oculo nudè sumpto; eidem tamen tubo Torricel-

celliano adjuto proportionatum est. Hinc ad syllogismum distinguo majorem: Non est conforme rationi naturali secundum se consideratæ, concedo; adjutæ, atque elevatæ, nego. Occurri etiam huic argumento aliter potest, distinguendo eamdem majorem: Non est conforme per oppositionem ad principia naturaliter nota, nego; per improportionem, aut excessum supra principia naturaliter nota, concedo. Esse enim supra rationem, nihil est aliud, nisi non esse conclusionem talem, quæ ex principiis lumine rationis notis demonstrari, aut cognosci possit. Non vero quod ex aliquo principio erui non potest, continuo ei principio contrarium est. Ex principiis enim Arithmeticis, aut Mechanicis libertas v. g. hominis, aut alia Moralis, aut Metaphysica conclusio erui non potest. Nec tamen ideo Ethica, aut Metaphysica Arithmeticæ, vel Mechanicæ contrariæ sunt, sed illis superiores: Quartum argumentum ejusdem authoris est, quod tamen ex nuper dictis negata prima majore totum ruit. Aliud est enim libertatem hominis non posse probari ex principiis Arithmeticis, aut aliquod argumentum contra humanam libertatem solvi non posse per principia Arithmetica, aliud ex libertate posse erui aliquid, quod sit Arithmeticæ principiis contrarium, sive quod repugnet pricipiis Arithmeticis. Primum verum esse potest; non autem secundum. Quum ergo solum falsum (*1. cont. Gen. c. 7.*) vero contrarium sit, . . . impossibile est, illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit veritatem fidei esse contrariam . . . . . Ex quo patet evidenter, quæcumque argumenta contra fidei veritatem ponantur, ex primis principiis naturæ inditis, & per se notis non rectè procedere. Unde non demonstrationis vim habent, sed sunt rationes probabiles, vel sophisticæ, & sic ad ea solvenda locus relinquitur. Ad illius ergo veritatis, (*1. cont. Gen. c. 8.*) quæ rationem superat, quum demonstrationes haberi non possint, intentio Sapientis non debet esse ad hoc, ut adversarius convincatur, sed ut ejus rationes solvantur, quum veritati fidei ratio naturalis contraria esse non possit. . . . Sunt tamen (*cap. 9.*) ad eas veritates manifestandas rationes aliquæ visibiles inducendæ ad fidelium quidem exercitium, & solatium; non tamen ad adversarios convincendos, quia ipsa earum rationnm insufficientia eos magis in suo errore confirmarent, dum æstimarent, nos propter tales rationes veritati fidei consentire. Hæc D. Thomas, ex cujus doctrina mirari satis non possum, cur Tournellius (*Disp. prævia q. 1. art. 4.*) illas duas propositiones Ostodori, & Smalzii ut falsas, & hæreticas reprehendat, nimirum: Homo non tenetur credere quod ratio dictat esse falsum . . . Si rationi adversaretur Religio, eo ipso Religio non esset. Ipsa enim Religio summa ratio est. Hæc enim ipsissima D. Thomæ sententia, & ratio, ac do-

Digitized by Google

doctrina est. Sed fortè ille in sensu authorum eam assertionem corrigit, ut Socinianorum hominum in ore, etiam ipsa veritas erroris suspicione non careat. Vide Melchioris Cani librum de Locis Theologicis octavum, & nonum, quibus tota hæc D. Thomæ doctrina fusè, ac dilucidè explicatur.

PROPOSITIO XXIV.

Deus loquutus est, sive est aliqua Dei revelatio.

1. Ostensum est enim, Revelationem nulla ex parte repugnare. Ostensum est item, (*prop.* 22.) eam ad perfectionem naturæ rationalis esse necessariam; Deus autem, & natura in his, quæ sunt ad rerum fines necessaria, non desunt, & in rebus quibuscumque, qui vult finem, vult conducentia ad finem: existit igitur aliqua Dei revelatio.

2. Item: Agentia naturalia nequeunt miracula facere, quia omne miraculum est supra virtutem agentium naturalium, uti dictum est: ergo miracula non fiunt, nisi ab operante per mentem, & voluntatem; sed agens per mentem, & voluntatem operatur propter finem, & utilitatem: ergo miracula, nisi propter finem, & utilitatem non fiunt; sed nulla esse potest miraculi utilitas, nisi ut tale cognoscatur; nequit autem cognosci, nisi a creatura rationali; ergo miracula non fiunt, nisi propter utilitatem creaturæ rationalis; miracula vero fieri non possunt nisi per virtutem divinam, ut ostensum est; (*pr.* 13.) Deo autem authore nullus fit deterior, quum Deus author mali esse non possit, ut item est demonstratum: (*prop.* 14.) ergo per miracula creatura rationalis in errorem induci non potest, aut in eo confirmari: sed multa miracula facta sunt in populis ei Religioni addictis, quæ Christum aut speravit nasciturum, aut credit jam natum, ut in sequentibus patebit; hæc autem est Religio revelata: ergo aliqua existit vera Religio revelata, atque adeo existit revelatio, quod erat propositum.

3. Aliis argumentis hic supersedemus, quæ opportunius afferentur infra, quum de Veritate, & præstantia Religionis Christianæ,

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM
LIBER SECUNDUS.

De Verbo Dei scripto.

PRÆFATIO.

Quum in superiori libro demonstratum sit, Deum Optimum Maximum citra ipsius revelationem neque cognosci, nec ab hominibus coli ritu, ac debito more potuisse, inquirendum restat, ubi nam divina illa revelatio inveniri, & certis indiciis, atque argumentis agnosci possit. Quæcumque autem illa fuerit, aut litteris tradita ab initio erit, aut ore tenus a prioribus in posteros traducta. Duplex igitur insurgit quæstio. Prima: An sit aliquod scriptum Dei verbum, & quibus libris consignatum, sive de sacris Authoribus, & eorum scriptis. Secunda: An sit aliquod Dei verbum non ab initio scriptum, seu divina traditio?

Egerunt porro de hoc argumento fusè, atque eruditè Bellarminius tom. I. Controv. I. Natalis Alexander in 4. mundi ætat. dissert. XI. Canus de Loc. Theolog. lib. 2. Lami Apparat. Biblici lib. 2. cap. 1. Gotti de Vera Christi Eccles. tract. 2. & seq. Doujat. Prænotionum Canonic. lib. I, cap. 7. præter alios complures, ex quibus omnibus selectiora hic dabimus.

PROPOSITIO I.

Verbum Dei scriptum iis Libris continetur, quos Canonicos Catholici vocamus.

1. Hanc propositionem latè demonstrarunt Eusebius, (*in libris de Præp. & demon. Evang.*) Augustinus, (*in lib. 18. de Civ. Dei, & alibi*) aliique ex Ecclesiasticis Scriptoribus plurimi. Nunc breviter ex Natali Alexandro (*Dist.er. XI. veter. Testam.*) sic. I. Nequeunt non esse divinæ authoritatis ii libri, quos Jesus Christus, & Apostolica scripta commendant, ut infra demonstrabitur; sed tales sunt libri Canonici Veteris Testamenti, ut Evangelium, & Apostolorum scripta legenti patebit: ergo hujusmodi libri divinæ authoritatis sunt.

2. Secundò: Nequeunt non esse Deo revelante conscripti ii libri, in quibus plura, priusquam fierent, prædicta sunt; & prænuntiata clarissimè, siquidem testimonium Divinitatis est veritas divinationis, ut pulchrè Tertullianus; (*Apolog. c. 20.*) sed tales sunt nostri libri Canonici, ut infra demonstrabitur: ergo ejusmodi libri Deo inspirante conscripti sunt. Cui enim melius præterita narranti credimus, quam ei, qui prædixit futura, quæ jam videmus presentia? ut Augustinus inquit, (*18. de Civ. c. 4.*) qui & alibi (*lib. 10. c. 32.*) hoc argumentum latè prosequitur, sicut etiam Tertullianus loc. cit.

3. Tertio: Nequeunt non esse divinæ authoritatis ii libri, in quibus, quanquam diversissimis temporibus, & locis conscripti sint, summa est Scriptorum conformitas, & consensio. Cur enim, ut notavit Augustinus, (*18. de Civ. c. 41.*) inter Philosophos, qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi ut invenirent, quomodo vivendum esset beatè, & a Magistris discipuli, & Condiscipuli inter se disenserunt, nisi quia ut homines humanis sensibus, & humanis ratiocinationibus ista quæsierunt? At libri nostri Canonici in his, & in reliquis omnibus mirè consentiunt, ut legenti patet: ergo Deo inspirante, ac revelante conscripti credendi sunt.

4. Quartò: Nequeunt miracula fieri in testimonium, & confirmationem falsitatis, ut alibi demonstratum est: (*L. 1. prop. 24.*) ergo vera Religio est, quæ miraculis confirmatur; vera autem Religio esse nequit, quæ non vera credenda proponit. Quum ergo constans fuerit Judæorum, & Christianorum fides, Libros hosce sacros, ac divinos esse, vel omnia miracula in confirmationem utriusque Religionis facta commentitia dicenda sunt, vel tales libri pro sacris, ac divinis habendi; sed commentitia dicere non possumus, quæ 1. innumera testium multitudo, 2. factorum ipsorum evidentia, 3. monumentorum sensibilium, & perpetuorum institutio, 4. Assertorum vita, moresque inculpati, 5. styli, & orationis simplicitas, 6. denique eorumdem Authorum in propris erratis agnoscendis, & enarrandis candor, & libertas confirmant, & credenda persuadent: ergo hujusmodi Libris tamquam sacris, ac divinis meritò fides exhibetur. Argumentationem hanc latè prosequutus est Augustinus (*de Civ. lib. 10. capp. 8, 10, 12.*)

5. Quinto: Nequeunt non esse Deo authore conscripti ii libri, in quibus nihil homini præcipitur, aut inculcatur, nisi rectum, decens, honestum, rationique, ac virtuti conforme: sicut enim (*lib. 20. de civ. c. 25.*) non a carne, sed super carnem est, quod carnem facit vivere, ita non ab homine, sed supra hominem est, quod hominem facit benè vivere. Hinc de finibus bonorum, & malorum, de suprema hominis felicitate, deque beata vita tot inter Philosophos controversiæ, & in-

& inter eos, qui cultissimi habebantur, populos tot absurdæ, atque impiæ leges, quas ex priscis earum gentium Scriptoribus decerptas Eusebius (*de prep. Evang. c. 6.*) Augustinus, (*de Civ. 10. a cap. 1.*) aliique Authores commemorant; at in nostris hisce libris nihil nisi honestum, & rationi, ac virtuti consonum ubique, semper citra omnem disceptationem, & controversiam inculcatur: ergo libri Canonici Deo inspirante, ac revelante conscripti sunt. Quæ contra hanc assertionem objici possunt, quum ex singulis libris petita sint, de unoquoque eorum sigillatim deinceps acturi, dissolvemus.

6. Porro ex Canonicis libris alii Veteris, alii Novi testamenti appellantur ab Christianis. De primis hic solum sermo est. De posterioribus agemus, postquam Messiam promissum venisse, monstraverimus. Rursum alii ex sacris libris Protocanonici, alii Deuterocanonici appellantur. Primi dicuntur ii, de quibus nulla unquam inter veri Dei cultores controversia fuit. Deuterocanonici verò ii sunt, de quibus quandoque controversum est, nunc verò communi Orthodoxorum consensu in Canonem sacrorum librorum recepti sunt.

PROPOSITIO II.

Libri Protocanonici Veteris Testamenti hi numerantur: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdras, Nehemias, Job, Psalmi 150. Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Prophetæ minores duodecim, majores quatuor præter quasdam Danielis particulas.

1. PRimus Scripturarum liber ab Hæbreis כראשרה Bereschith, ab Græcis Χενεσις dictus complectitur humani generis, & præsertim electi a Deo populi historiam à prima mundi conditione usque ad mortem Joseph.

2. Secundus Hebraicè ואלהעכרה Veelleschemoth, Græc Εξοδ Israelitici populi historiam complectitur ab exitu eorumdem ex Ægypto usque ad erectionem tabernaculi.

3. Tertius Hebraicè ויקרא Vasikra, Græcè Δευιτικον Levitarum, & Sacerdotum ministeria, sacrosque ritus, & Cæremonialia præcepta continet.

4. Quartus Hebraicè דיבר Vajedaber, Græcè Αριθμοι, Israelitici populi censum, & quadraginta in deserto stationes, legesque, & præcepta plurima continet, rerumque gestarum historiam usque ad mansionem in campestribus Moab.

5. Quintus Hebraicè אלההדברים Græcè Δευτερονομιον, seu secunda Lex dicitur, quod inter alia totius ferè Legis repetitionem con-

continet. Memorat quoque gesta duorum mensium supremi anni Moysis.

Hi libri omnes Pentateuchi nomine communiter appellantur.

PROPOSITIO III.

Pentateuchi Author est Moyses.

1. Convincitur id primò testimoniis ex Scriptura ipsa desumptis. Dicitur enim: Dixit Dominus Moysi: (*Exod. 17.*) Scribe hoc ob monumentum in libro. Et item: (*Deuter. 3.*) Scripsit itaque Moyses legem hanc. Et (*cap. 24.*): Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine. Tum: Scripsit ergo Moyses universos sermones Domini; (*cap. 28.*) sed hi libri divinæ authoritatis sunt, ut ostensum est: ergo.

2. Secundo: Christus falli non potuit, ut alibi demonstratur. Ipse autem ait: (*Joan. 5. 46.*) Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Et item (*Luc. 16. 29.*): Habent Moysen, & Prophetas; sed nihil aliud Moysis habebant præter ipsius scripta: ergo eorum author ille fuit.

3. Tertiò ostenditur ex communi quum Judeorum, tum Christianorum consensu, constantique per tot sæcula traditione, & fide. Qui enim quæ Homeri, vel Hippocratis nomine circumferuntur scripta, eorum esse negaverit, non refellitur, sed ridetur, ut pulchrè Augustinus. (*33. cont. Faust.*) qui hoc argumentum tractavit latissimè, aliique post ipsum.

4. Quarto ex paganorum Scriptorum consentientibus testimoniis. Nam Manethon Ægyptiacæ historiæ Scriptor apud Josephum, (*1. cont. Ap.*) Philocorus apud Justinum, (*in Paræn.*) Polemon apud Cyrillum, (*1. cont. Jul.*) Diodorus Siculus, Ptolomeus Mendesius apud Eusebium, (*Pr. Ev. lib. 10.*) Appion Grammaticus, Strabo, (*lib. 15. Geogr.*) Juvenalis, (*Satyr. 14.*) Quintilianus, (*Inst. l. 6.*) Tacitus, (*Hist. l. 5.*) Plinius, (*lib. 30. c. 1.*) Longinus, (*de sublim.*) ac demum Porphirius, (*lib. adv. Chr.*) Judæis Moysem scripto leges tradidisse, commemorant.

5. Ubi autem, quove tempore Pentateuchum Moyses scripserit, non nisi divinando affirmari potest. Illud constat, reliquos libros præter Genesim, in deserto tempore peregrinationis fuisse scriptos. Genesim sunt, qui putent, scripsisse Moysen ante exitum ex Ægypto, quando campestrem vitam egit apud socerum Jethro. Probabilius verò est scriptum in deserto, & quidem post legem datam. Probant id Bonfrerius; (*in append. s. 5.*) atque ex eo Gottius, (*de Ver.* Re-

Relig. Chris. tr. 4. c. 1.) quia in Genesi (2.) habetur santificatio Sabbathi , mundorumque , & immundorum animalium discretio ; (*7. & 8.*) sed hæc non fuerunt ante datam legem : ergo Genesis liber post datam legem scriptus est . Eamdem sententiam sequutus videtur Azorius (*Instit. Moral. lib. 6. c. 1.*) cum aliis pluribus , & suadere videtur ratio tradita , sed non omnino evincere propter alibi dicenda . Qua profectò lingua Moyses scripserit , alibi discutiendum relinquimus . Superest , ut argumenta diluamus , quibus nonnulli Pentateuchum Moysis , duasque priores propositiones impugnant .

6. Et quidem arguit 1. Julianus , Moysem in Genesi multa prætermisisse , ut productionem Angelorum , & aeris , multa non accuratè descripsisse , & in plerisque se ad vulgi captum potius , quam ad rerum veritatem accommodasse . His præter alios respondet Cyrillus , (*2. cont. Jul.*) scopum Moysis fuisse , doctrina veritatis animos suorum informare . Utilissimè ergo , & sanè quam sapienter istam subtilitatem ab oratione sua removit , & ad sola necessaria conversus est : Nam quid attinebat dicere , qualis esset aquarum natura , aut quomodo extiterint Angeli ? quæ & explicatu sunt difficillima , & quamvis dante sapientiam Deo , explicare ista potuisset , nullum fuisset idoneum auditorem habiturus . Hæc , & alia plura Cyrillus . Dubium quoque de creatione Angelorum tangit Augustinus , (*II. de Civ. c. 9.*) de quo nos alibi latius agemus .

7. Arguit 2. : fabulosa videri , & Deo authore indigna , quæ de Paradiso , Arbore Vitæ , & scientiæ , Evæ origine , loquutione serpentis in Genesi narrantur . Respondet Cyrillus , (*3. cont. Jul.*) nihil in iis inveniri rationi , aut honestati dissonum , sicut in origine Minervæ , Bachi , Veneris , in Jovis obscœnis transformationibus , aliisque plurimis , quæ Pagani , & Julianus ipse fide digna , & colenda existimabant .

8. Arguit 3. Faustus : Nequeunt esse divini Authoris libri , in quibus immania laudantur crimina , & eorum authores commendantur ; sed talis est Pentateuchus Moysis : ergo divinæ authoritatis non est habendus . Assumptum firmat multis exemplis . Nam primò : Noe commemoratur ebrietas , & commendatur ut justus . Abraham , prole a Deo jam de Sara promissa , ancillis commiscetur . Idem Abimelecho , & Pharaoni Saram conjugem suam sororem mentitur , in concubitum venditavit . Similiterque Isaac . Rachel idola patris furatur , & mendacio se excusat . Loth filias suas Sodomitis offert constuprandas , ipseque ebrius cum ipsis coit . Jacob parentis benedictionem mendacio adipiscitur , interque duas germanas sorores , & quatuor ancillas tamquam hircus errat . Judas , & Thamar adulteri , Joseph mendax ,

Digitized by Google

dax, & hariolus commendantur. Simeon fraude, & mendacio Sichimitas aggreditur. Moyses homicida laudatur: ergo.

9. Ut iis omnibus respondeamus distinctius, ordinem, ac rationem temporum sequemur. Ad primum quidem dicimus cum Chrysostomo: (*homil. 22. in Genes.*) Noe, quia nec ipse gustaverat vinum, neque ab alio sciebat, qui gustasset, ignarum qua mensura uti deberet, per ignorantiam in ebrietatem incidisse. Similia habet Theodoretus, (*q. 45. in Gen.*) itemque Ambrosius, (*lib. de Noen.*) Augustinus, (*18. de Civ. c. 1.*) Hieronymus, (*cont. Lucifer.*) Alcuinus, ex quibus Glossa ordinaria, & ibi communiter Interpretes Lyra, Alapide, Menochius, Tirinus. Vide Natalis Alexandri dissertationem tertiam in secundam mundi ætatem.

10. Ad secundum: Abraham quod plures habuit uxores, receptissimum, licitumque illius ævi morem sequutus est. Neque mentitus est, cum Saram Sororem dixit. Non enim falsum dixit, sed verum tacuit. Uxoris autem curam Deo commisit de sua protectione securus. Hæc Augustinus, (*22. cont. Faust.*) ex quo Isidorus, & alii, Glossa Ordinaria, & ibidem Lyra, qui etiam rationem reddit qui potuerit Abraham hoc pacto conjugem adulterii periculo exponere. Obiter hic diluenda videtur difficultas non minima, scilicet, quomodo cum esset Sara jam nonagenaria, & desiissent ei fieri muliebria, ut dicitur Genesis 18., tantæ fuerit pulchritudinis, ut Abimelechum in sui amorem rapuerit? Sed, ut ait Augustinus, (*q. 48. in Gen.*) formæ illius in hoc miranda vis est, quæ etiam in illa ætate amari potuit. Nisi fortè ea pulchritudo singulari Dei muneri tribuenda sit, ut quum Deus ei fœcunditatem largitus est, etiam pulchritudinem reddiderit juventutis, ut opinatur Menochius. (*in cap. 20. Genes.*) Alii respondent, annum nonagesimum in fœminis illius temporis respondere anno quadragesimo fœminarum nostri ævi, qua ætate pluri mæ decorem, ac pulchritudinem habere cernuntur, illæ præsertim, quæ nunquam pepererunt. Verum hæc ratio non subsistit. Si enim mulier nonagenaria tunc fuisset, sicut nunc quadragenaria, nec desiissent ei fieri muliebria, nec ita diceretur in diebus suis processisse, ut parere non posset, uti de Sara dicitur Genes. 18.

11. Quod autem de Abrahami facto dictum est, de Isaaco quoque dictum est. Quum Isaacus etiam de cognatione sua uxorem duxerit. Notarunt autem jam alii, Abimelechum, de quo Genes. 26. non eumdem esse, de quo Genes. 20. sed ejus filium, aut Regem gentis alium, qui eodem vocaretur nomine, sicut Pharaones deinde, Cæsaresque Romani, & Assueri Chaldeorum. Expositionem Augustini supra allatam videtur tenuisse Hieronymus, (*in trad. Hebr. sup. Gen.*) & sequutus est D. Thomas. (*2. 2. q. 110. art. 3. 3.*) Nec tamen dissi-

dissimulandum est, alios ex Patribus in Abrahamo, & Isaaco utrumque crimen agnovisse. Ait enim Ambrosius: (*lib. de Abrah. cap.* .) Sara, ut tueretur maritum, germanitatem est mentita. Scribit etiam Origenes, (*hom. 6. in Genes.*) Abrahamum non solum Regi mentitum esse, sed & pudicitiam conjugis prodidisse. Chrysostomus (*hom. 32. in Genes.*) apertissimè dicit: In adulterium uxoris consensisse Justum, & quasi servisse adulterio in uxoris contumeliam, ut mortem effugeret. Itemque de Sara; quis hanc, inquit, satis laudaverit, quod post tantam continentiam, & in tali ætate, ut justum servaret, quantum in ejus fuit voluntate, adulterio se exposuit, & barbarorum tulit congressum? Chrysostomus tamen id laudat, quod difficultate non caret. Nam neque propriæ vitæ servandæ causa licet fœminæ, ne dicam adulterio, verum nec stupro sese exponere, easque, quæ ob virginitatis custodiam mortem oppetiere, ut Martyres Ecclesia colit, summisque laudibus effert. Quare ad singularem Dei inspirationem recurrendum est cum Augustino, ut a peccato excurari possint, nec tamen possit eorum factum quisquam imitari.

12. Superest explicandum, qui potuerint sine mendacio Patriarchæ illi uxores suas Saram, & Rebbecam sorores dicere. Communis est opinio, propter cognationem, & propinquitatem ita appellari potuisse ex more Hæbreorum, sicut Loth frater Abrahæ vocatur, & Jacobus frater Domini. Est autem singularis difficultas de Abrahamo. Nam is ab Rege interrogatus: Verè, inquit, (*Genes. 20.*) soror mea est, filia patris mei, non filia matris meæ. Hæc enim verba apertè innuunt, verè ac propriè Abrahami sororem fuisse Saram, & ita tenuerunt antiqui Hebræi, nec displicuit ea opinio Hieronymo, (*loc. cit.*) quamquam in eodem libro eam etiam tradat sententiam, quæ communior est inter Sacros Interpretes, Saram sororem fuisse Lothi, filiamque Aram fratris Abrahami, et neptem Thare, quæ binomia fuerit, & dicta etiam Jescha. Vide Natalis Alexandri dissertationem Secundam in Tertiam Mundi ætatem. Et de secundo quidem, tertioque argumento satis multa dicta sunt.

13. Ad quartum non erit nobis in excusando Loth laborandum, quem non excusavit Augustinus. Nam vir ille, inquit, (*contr. mendac. c. 9.*) aliena timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. At inquies: secunda Petri Epistola infallibilis authoritatis est, ut infra demonstrabitur; sed ibi dicitur, Deum Loth oppressum a nefariorum conversatione justum eripuisse: ergo Loth ab eo crimine fuit immunis. Respondet ipse Augustinus, justum appellari Loth secundum quemdam modum, maximè quod verum Deum colebat, & comparativè ad scelera Sodomitarum, inter

quos

quos vivens ad vitam similem trahi non potuit. At Chrysostomus factum Loth laudat dicens: (*homilia 43.*) Quid enim quis justi hujus benignitate sat dignum attulerit, qui neque filiabus parcere voluit, ut servaret hospitibus honorem? Similia habet Ambrosius inquiens: (*lib. 1. de Abrah. cap. 4.*) Prætulit domus sue verecundiæ hospitalem gratiam. Quos sequutus D. Thomas, Loth, inquir, (*q. 1. de Mal. art. 5.*) ostendit ordinem esse servandum in fuga culparum, quia tolerabilius est si quis minorem, quam majorem culpam committat.

14. Ad hæc tamen responderi posset primo, Chrysostomum, & Ambrosium Lothi hospitalitatem laudare, non prudentiam: & si prudentiam, non in omni malo vitando, sed in majori: quod apertè Ambrosius supra dixerat his verbis: Nam & si illa quoque flagitiosa erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere: et hæc est aperta mens D. Thomæ, ut legenti patet. Secundo dici potest, eos Patres non ab omni peccato Lothum immunem voluisse, sed a mortali ob vehementem perturbationem: quod etiam non obscure indicat Augustinus in citatis verbis. Denique, si quis propter horum Patrum authoritatem Lothum excusare omnino velit, habet quid Augustino respondeat, scilicet, vel perturbatum Lothum non satis attendisse, quid faceret; vel cognovisse, Sodomitas ejus propositionem, & sponsionem minimè acceptaturos; vel credidisse, ferocientes animos tanta submissione placandos; vel demum quadam hyperbole usum fuisse, velut si quis Amico cum alio rixanti pugionem offerret dicens: Me potius quam illum occide, non quod propriam velit mortem, sed amicum non eo venturum sperans: quæ ingeniosa est, & solida expositio Cajetani, (*in 19. Gen.*) quem sequitur Menochius.

15. Secundum hujus argumenti caput erat de ipsius Lothi ebrietate, incestoque concubitu, de quo duplex item est quæstio, an nimirum Lothus, an ejus filiæ excusari possint? Et primo quidem Lothum non excusavit Origenes. Videtur mihi, inquit, (*hom. 5. in Genes.*) in parte culpabilis, in parte excusabilis. Excusari namque potest, quia a concupiscentiæ, & voluptatis crimine liber est, & quia neque ipse voluisse arguitur, neque volentibus consensisse. Subjacet vero culpæ & quod decipi potuit, quod vino nimis indulsit, nec hoc semel, sed iterum fecit. Similia habet Augustinus: (*22. cont. Faust. c. 44.*) Culpandus est, inquit, non tamen quantum iste incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Paria Hieronymus (*de tradit. Heb. in Genes.*) in Glossa citatus, & Theodoretus inquiens (*q. q. in Gen.*) Ebrietas verò quamdam habet reprehensionem venia temperatam. Contra tamen sentire videtur Ireneus; nam de filiabus lo-

Digitized by Google

loquens: (*lib. 4. c. 31.*) Quapropter & ipsæ, inquit, excusabiles sunt. Supponit ergo excusabilem Patrem. Huic consentit Chrysostomus per hæc verba: (*hom. 44. in Gen.*) Scriptura nunc pro justo, nunc pro filiabus ejus dignam satisfactionem affert, ne quis factum considerans vel justum condemnet, vel ejus filias, quasi congressus ille per incontinentiam fuerit. Et infra: De ebrietate verò quid dicemus? Non tam ex ebrietate, aut incontinentia hæc facta sunt, quam ex tristitia. Nullus igitur audeat aut justum, aut justi filias condemnare. Consonat his Ambrosius dicens: (*lib. 1. de Abrah.*) Subducitur tamen huic admisso conscientia viri justi. Inebriatus enim vino, quid ageret nesciebat.

16. Quum ergo Lothum citati omnes Patres ab incestus crimine pariter excusent, & ab ebrietate etiam Chrisostomus, dicendum videtur, ipsum ab incestu prorsus immunem fuisse, quem nec procuravit, nec procurantibus consensit, nec ex sua ebrietate aut prævidit, aut quam longissimè sequuturum suspicari potuit. In ipsa autem ebrietate nonnisi leve peccatum commisisse videri potest, quum inebriatus a filiabus dicatur, quasi deceptus, non sua sponte in illam inciderit, tum etiam quia ingenti mœrore, atque animi ægritudine oppressus porrigentibus vinum semel, atque iterum filiabus, non incontinenter quidem, sed parum prudenter indulsit.

17. Jam verò Lothi filias prorsus a crimine immunes pronuntiat Theodoretus loco citato. (*quæst. 70. in Gen.*) Idemque sentire videntur laudati Patres reliqui Irenæus, Hieronymus, Alcuinus, Chrysostomus, Ambrosius. Vero proprius videtur tamen, eas, quamvis falsa opinione deceptas, non omninò innocenter paternum concubitum procurasse. Cur enim Patrem inebriaverunt, nisi quia virum justum sui compotem id perpetraturum non esse, compertum habebant? Quapropter illorum Patrum verba (*loc. cit.*) ad Origenis, & Augustini sensum trahenda sunt, ut illas minus quidem peccasse, quam incerti concubitus natura postulabat; sed peccasse tamen fateamur. Unde Origenes loco citato: Propter hoc ergo, inquit, consilium inierunt minori (ut ego arbitror) culpa. Rigidè propterea in Lothum, & ejus filias loquutus videtur Natalis Alexander, (*dissert. 7. in 3. ætat. pr. 2.*) meminisseque debuerat, eam asperiorem censuram displicuisse Augustino, (*lib. 22. cont. Faust. c. 43.*) qui quum filias Loth deliquisse, fateatur; Nec rursus, inquit, tanta reprehensione, atque accusatione res digna est, quantum in eam Faustus inimicus, & cœcus evomuit.

18. Quintum illud erat de verbis Jacob: Ego sum primogenitus tuus Esau. In litterali quippe sensu hujusmodi verba vix, ac ne vix quidem a mendacio excusari posse, idem Natalis asserit, (*dissert. 9. in*

3. *M.*

Digitized by Google

3. M. ætat.) mentitumque fuiſſe Jacobum Origenes apud Hieronymum, Chryſoſtomus, Caſſianus, aliique Patres tradunt, quos Scotus, Cajetanus, Adrianus ex Theologis ſequuntur. Contrariam ſententiam tenet, & multis explicare conatur Auguſtinus, Ambroſius; aliique ex Patribus, quos Theologi frequenter ſequuntur, D. Thomas, (*2. 2. q. 110. a. 3.*) Magiſter, (*3. ſent. diſt. 38.*) Lyra, (*in cap. 27. Genes.*) Innocentius, (*cap. Gaudemus de Divort.*) Canus, (*de loc. T. 2. c. 4.*) Natalis, (*loc. cit.*) cum quibus dicendum videtur, Jacobum non proprio, ac litterali ſenſu, ſed figurato, & myſtico loquutum fuiſſe, quum ſe Eſau primogenitum appellavit, ſicut Chriſtus quum dixit: (*Matth. c. 11.*) Elias jam venit. Joannes ipſe eſt Elias. Credendum enim eſt, inquit Auguſtinus, (*l. cont. Mend.*) homines eos, qui propheticis illis, ac miſtycis temporibus digni authoritate fuiſſe commemorantur, omnia, quæ de illis ſcripta ſunt, propheticè feciſſe, atque dixiſſe. Nec aliter decebat operari eum, qui tamquam vir ſimplex, & ſine dolo in Scriptura commendatur: Myſticè autem dixit, ſe eſſe Eſau primogenitum, quia ipſi primogenita jure debebantur, quæ concedente ſibi fratre data lentis mercede emerat, inquit Gregorius. (*hom. 6. in Gen.*) Quam viam tenuit etiam Theodoretus: (*hom. 82. in Gen.*) ex quibus Iſidorus Hiſpalenſis, Beda, & Rupertus. Uſus autem fuit eo modo loquendi, addit D. Thomas, (*2. 2. q. 110. a. 3.*) per ſpiritum prophetiæ, ut innueret, quod minor populus, ſeu Gentilium, ſubſtituendus erat in locum primogeniti, ſeu populi Judaici. Quod verò Jacobum fraudulenter egiſſe, ipſe teſtificatur Iſaacus, intelligendum eſt non reipſa, ſed in ſpecie. Fraude enim uſus videbatur, ſed quæ reapſe fraus non fuit. Difficultatem autem ingerit non modicam, quod myſterium illud propheticum nec Jacobus ipſe, qui matris conſilio quaſi invitus, ac reluctans acquievit, nec Iſaacus ipſe cognovit, qui fraudem in filio ſuſpicatus eſt. Dici tamen poteſt. Patribus multa in figura contigiſſe, quorum ipſi ſignificationem, myſteriumque ignorarunt, ſaltem eo tempore, quo illa fecerunt, aut dixerunt, quæ quidem poſtea Deo inſpirante cognoverunt: quod in hoc Jacobi facto contigiſſe certius videtur. Denique quando in divinis Scripturis geſta ſimpliciter, & ſine laude commemorantur, non videtur, inquit Lyra, (*In c. 27. G.*) magna neceſſitas excuſandi Patres Veteris Teſtamenti a mendacio maximè officioſo: quem opinandi modum ſequitur ibidem Menochius. Jam quod procax cenſor apponit Jacobo, nihil obſtat. Conſcius enim vir Sanctus juris hæreditarii ad ſe tranſmiſſi ab Eſau fratre Genes. 25. paternaque benedictione confirmati ex ſex illis mulieribus matrimonio ſibi conjunctis (quod a Majoribus fieri ſine reprehenſione viderat) populum ſibi ingentem, et innumerum procurabat, in quo promiſ-

sio-

Digitized by Google

siones complerentur factæ & Adamo (*Ibi. c. 22.*) & Isaaco parenti. (*c. 26.*)

19. Veniendum jam ad sextum de oppressione Sichimitarum ab Simeone, & Levi. Dicendum verò, in Scriptura narrari factum Simeonis, & fratrum, sed non laudari, imo reprehendi: quod patet primò ex Jacobi parentis increpatione: (*Genes. 34.*) turbastis me; & odiosum me fecistis habitatoribus terræ hujus. 2. Quia ipse Sacer author notavit, respondisse filios Jacob Sichem, & Patri ejus in dolo sævientes &c. 3. Quia Jacob moriturus infensus illis ob hoc scelus fuisse cognoscitur, ait enim: (*Gen. 49.*) Simeon, & Levi Vasa iniquitatis bellantia. In concilio eorum non veniat anima mea ... Maledictus furor eorum, quia pertinax &c. ubi Hieronymus: (*in Tradition. Hebrai. super Genes.*) Ostendit, inquit, non sui fuisse consilii, quod Sichimitas fœderatos viros interfecerint, contraque jus pacis, & amicitiarum sanguinem fuderint innocentem. Quem opinandi modum sequuntur Lyra, (*in cap. 34. Gen.*) Menochius, & Natalis Alexander, (*dissert. 10. in 3. M. ætat.*) habetque fundamentum in Augustino, ut mox videbimus. Contra Paulus Burgensis in additionibus ad Lyram opinatus est, bellum in Sichimitas justum fuisse, & Jacobum in filiis non injustitiam, sed imprudentiam detestatum esse, nixus, nescio, qua Hebræorum traditione, quibus nimis interdum adhæret Author iste. Nimirum (salva hominis eruditione, studio, pietate) quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu. Pro ejus tamen sententia duo faciunt loca Scripturarum non prætermittenda.

20. Primum illud Jacobi: (*Gen. 48.*) Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Ubi Septuaginta legunt: Do tibi Sichimam, aut Sichem, ait Hieronymus, qui & subdit: (*in Tradition. Hebra. sup. Gen.*) Arcum, & gladium justitiam vocat, per quam meruit peregrinus, & advena interfecto Sichem, & Hemor de periculo liberari. Ex quibus patet, Jacobum de Sichem tamquam de re sua disposuisse; sed non posset ita disponere, si injusto bello eam urbem, & agrum in suam potestatem redegisset: ergo bellum adversus Sichimitas injustum non fuit. Vidit hanc difficultatem Augustinus, qui eam exponit his verbis: (*q. 167. in Gen.*) „ Quod dicit Jacob, Sichimam se præcipuam dare filio suo Joseph, quod eam possederit gladio, & arcu suo, quæri potest, quomodo valeat ad litteram convenire? .... An quia urbem Sichimorum filii ejus expugnaverunt, & jure belli potuit ejus fieri, ut justum bellum cum eis gestum videatur, qui tantam priores injuriam fecerunt? Cur ergo non terram illam illis dedit, qui hoc perpetrarunt? Cur tunc ei displicuerunt filii, qui

hoc commiſerunt? Cur denique etiam nunc, quum eos benediceret, exprobrando id commemoravit in factis eorum? „ Omiſſis aliis reſponſionibus, quæ videri poſſunt apud Expoſitores, & citatum Natalem, dicendum videtur, Jacobum eam terram poſſediſſe gladio, & arcu ſuo, id eſt, jure belli, non tamen ejus, quod contra jus, faſque omne fecerunt filii ſui, ſed alterius poſterioris. Fieri enim potuit, ut ob vaſtatam Sichimam Amorrhæi contermini in ipſum irruerint, ipſeque armatus iis devictis regionem obtinuerit: quam eſſe antiquam Hebræorum traditionem, teſtatur Lyra in eum locum. Vel ut poſt ſuum inde diſceſſum, Amorrhæi agrum, quem ab Hemor emerat, occuparent, eoſque ipſe redux vi, atque armis expulerit, ut cum Percrio, & aliis tenuit Menochius; nec enim omnia ſcripta ſunt, quæ priſcis illis Patribus contigerunt.

21. Secunda autem difficultas talis eſt. Nam liber Judith Canonicus, & divinæ authoritatis eſt, ut infra demonſtrabitur; at in eo factum Simeonis commendatur, & laudatur zelus: ergo in Sichem vaſtatione Simeon non peccavit. Minor vera convincitur ex iis verbis Judith: (*cap. 9.*) Domine Deus Patris mei Simeon, qui dediſti ei gladium in ultionem alienigenarum . . . & omnem prædam in diviſionem ſervis tuis, qui zelaverunt zelum tuum. Reſponderi poteſt primò, in facto Simeonis, & fratrum interveniſſe & juſtam indignationem ob raptum Dinæ ſororis, & dolum, ac ſævitiem. Primum laudat Judith, ſecundum reprehendit Jacobus. Ita Lyra, Menochius, & alii apud Natalem citatum. Secundò dicitur, Deum dediſſe gladium Simeoni, non quod Simeon Deo authore bellum illud aggreſſus ſit, ſed quod Deus ad ultionem alienigenarum ejus gladio uſus fuerit, ejuſque fraude, ac ſævitie, in eo ſenſu, in quo dicitur, (*Iſa. 45.*) Deus apprehendiſſe dexteram Cyri, & (*Iſai. c. 10.*) uſum eſſe Aſſur, tamquam virga furoris ſui, & hujuſmodi plura: unde Judith non Simeonem, ſed Deum laudavit, qui & hominum ſcelera ad honeſtiſſimos gloriæ ſuæ fines detorquet.

22. Septimo loco agebatur de Judæ, & Thamaris concubitu. Verum hinc facilè expediemur. Sive enim peccatum fuit; illud Scriptura non laudat: ſive peccatum non fuit, & objectio tota evaneſcit. Porro neutrum peccaviſſe, ex Latinis diſertè tenet Ambroſius inquiens: (*lib. 3. in Luc.*) Utrumque excuſemus, non autem nos, ſed myſterium, quod copulæ illius fructus expreſſit. Quam etiam rationem reddit, lateque exponit Chryſoſtomus, (*hom. 62. in Gen.*) tandemque ait: Nemo hæc audiens, condemnet Thamar, quoniam, ut dixi, diſpenſationi miniſtrabat, & propterea neque ullam inde reprehenſionem meretur. Neque Judas crimini obnoxius fuit. Tamen idem Chryſoſtomus alibi (*hom. 1. & 3. in Matth.*) Thamarem, & Judam adulterii

Digitized by Google

terii reos facit: quæ fuit etiam opinio Augustini, (*22. cont. Faust.*) & Hieronymi, (*de trad. Hebr. in Gen.*) quam sequuntur communiter Interpretes, ac Theologi, Lyra, Menochius, Natalis, (*dis. 10. in 3. M. at.*) quibus præluxit D. Thomas inquiens: (*2. 2. q. 154. art. 2.*) Judam autem non est necessarium a peccato excusare, qui etiam author fuit venditionis Joseph. Ambrosius igitur, & Chrysostomus ita exponendi sunt, ut non factum, sed intentionem, consiliumque excusare velint: quod etiam intendisse videtur Theodoretus. (*Homil. 95. in Gen.*)

23. In octavo agebatur de facto Rachelis, quæ furata est idola Patris sui. Quamvis autem aliqui cum Lyra eam a furto excusare conentur, quod id fecisse existiment, ut ab eorum cultu patrem retraheret, quod vero Jacobus in eum, qui furtum commisisset, mortem minatus sit, satis ostendit, non se id permissurum, si scire potuisset.

24. Circa nonum de mendaciis nemo Josephum accusaverit meritò, quum ea, quæ fratribus fecit, ac dixit, non fallendi, sed jocandi animo dixerit, ac fecerit. Major est difficultas in illis verbis ipsius libri: (*Genes. c. 44.*) Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet. Nec putandum est, ea ab Œconomo addita fuisse. Ipse enim Josephus talia ut diceret, eidem injunxit: quod clarius infra patet, ubi ipse ad fratres, an ignoratis, inquit, quod non sit similis mei in augurandi scientia? Respondent hic nonnulli, Josephum loquutum secundum opinionem Ægyptiorum, qui quum scirent, eum non semel futura prædixisse, & verum Deum ignorarent, id auguriis, & magicis artibus tribuebant. Secundò, & melius dici potest, verbum augurandi ibi pro divinandi positum, quod verum erat. Divinari autem in scypho dicitur, quia cum pridie eos juxta suæ nativitatis ordinem sedere fecisset, quod illi valde sunt mirati, id per augurium percussi, aut gustati scyphi scire se finxit, ut ex Hebræorum traditione refert Lyra. (*in dict. loco Genes.*)

25. Ultimo loco discutiendum erat Moysis homicidium, quod quidem quanvis Augustinus (*22. c. 80.*) Fausto respondens, tamquam injustum, & nulla legitima authoritate factum condemnaverit, alibi tamen (*q. 2. in Genes.*) Moysem divina authoritate munitum, id ausum esse tradit. Quæ sanior Augustini sententia apertè confirmatur ex verbis S. Stephani ajentis: (*Act. 7.*) Quum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum percusso Ægyptio. Existimabat enim intelligere, fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. Idem ex hoc eodem fonte deducit Basilius, (*hom. 2. in Gen.*) itemque Ambrosius, (*1. Hex. c. 2.*) ex quibus D. Thomas:

Digitized by Google

(*2. 2. q. 6. a. 6.*) Dicendum, quod Moyses videtur Ægyptium occidisse, quasi ex divina inspiratione authoritatem adeptus, ut videtur per hoc, quod dicitur Act. 7. . . . Vel potest dici, quod hoc fecerit, defendendo eum, qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Unde Ambrosius dicit in libro de Officiis, quod qui non repellit injuriam a Socio, quam potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit, & inducit exemplum Moysi. Hæc D. Thomas. Adde Clementem Alexandrinum narrantem, (*1. Strom.*) Moysem solo verbo Ægyptium occidisse, sicut Petrus Ananiam. Verum hoc non videtur stare cum verbis Exodi: (*cap. 2.*) Quumque circumspexisset huc, atque illuc, & neminem adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Addit Josephus apud Menochium. (*in eum Exod. loc.*) id fecisse Moysem divino oraculo Amramo Patri reddito edoctum. Alia hic inserit Lyra ex Hebræorum traditionibus desumpta, quæ apud eum videsis. Neque ex eo, quod Moyses fugit metuens, deliquisse convincitur. Non enim mansit, ait Chrysostomus, (*hom. 26. in ep. ad Hebr.*) ne in prævisum se injiceret periculum. Essèt enim tentantis Deum. Vide Natalis Alex. dissert. 14. in 3. Mund. ætat.

26. Arguit 4. Faustus; in Pentateucho contineri plura præcepta, quæ Christianis observare non licet: ergo divina non sunt. Item: multa Evangelicæ doctrinæ contraria, ut odium inimicorum, opprobrium Virginitati annexum, usurarum permissio, ciborum mundorum, & immundorum discretio, & alia hujusmodi; sed Evangelica doctrina divina est, ut nos credimus: ergo huic contraria non est divina. Ad horum primum latè respondet Augustinus, (*6. cont. Faust. c. 2.*) cujus responsionis hæc summa est, præcepta vitæ agendæ retineri a Christianis, non præcepta vitæ significandæ, qualia multa data fuerunt illi populo pro eo tempore, quo omnia, ut inquit Paulus, (*1. ad Corinth. c. 10.*) in figura contingebant illis. Infra latè nobis de hoc argumento erit agendum, ubi de Veteri Lege, atque ejus præceptis. Ad 2. negatur planè assumptum, quod minimè probant adducta exempla. Nec enim ullum extat in tota Veteri Lege præceptum de odio inimicorum, nec locus aliquis, ubi id expressè permittatur ut licitum. Unde illa verba Christi. (*Math. c. 5.*) Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum &c., non de scripto aliquo præcepto, sed de erronea Phariseorum ita docentium interpretatione intelligenda sunt, ut D. Thomas docet, (*1. 2. q. 107. a. 2. 2.*) ex quo Lyra, Barradius, Menochius, & alii. Verum præstat audire D. Thomæ verba, in quibus non solum quod de odio inimicorum diximus, sed etiam quod de ciborum delectu objicitur, disertè explicatur. Circa odium inimico-

Digitized by Google

corum ; inquit, removit falsum intellectum Pharisæorum, nos monens, ut non persona odio haberetur, sed culpa. Circa discretionem verò ciborum, quæ Cæremonialis erat, Dominus non mandavit, ut tunc non observaretur, sed ostendit, quod nulli cibi secundum naturam suam erant immundi, sed solum secundum figuram. Hæc ex Augustino (*19. cont. Faust. cap. 16.*) D. Thomas, qui etiam legendus (*1. 2. q. 102. art. 2.*) Ad illud, quod de Virginitate additur, legendus idem Augustinus, (*14. cont. Faust.*) qui id latè prosequitur, cujus responsionis summa hæc est apud D. Thomam: (*3. cont. Gent. c. 136.*) id intelligendum de eo tempore, quando necessaria erat multiplicatio generationis vel propter hominum paucitatem, sicut in principio, quando hominum genus cœpit multiplicari, sive propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipsum per carnalem generationem multiplicari, ut fuit in Veteri Testamento, & ideo consilium de perpetua Virginitate reservatum est temporibus Novi Testamenti, quando spiritualis populus per spiritualem generationem multiplicatur. Propterea, inquit idem alibi, (*in 4. Sent. dist. 33. q. 3. a. 2.*) post sufficientem multiplicationem populi Hebraici non peccaturum, qui perpetuam Virginitatem in Lege scripta servaret, ut de Elia opinatur Ambrosius. (*lib. 1. de Virg.*)

27. Alia Manichæorum argumenta non tanti roboris sunt, & videri possunt apud Natalem Alexandrum. (*dis. 11. in 3. Ætat.*) Quæ verò ab aliis Scripturæ libris petuntur, de unoquoque eorum singillatim agentes dissolvemus, nec omnia in eumdem locum congerenda sunt, maximè quum eorum fundamenta convellere operæ pretium sit, qui tertiam Propositionem impugnant.

28. Arguit enim Spinosa 1., Authorem Pentateuchi de Moyse tanquam de aliena persona loqui. 2. Eum laudare: Erat Moyses mitissimus . . . (*Num. c. 12.*) Non surrexit Propheta in Israel, sicut Moyses, &c. (*Deuter. ult.*). Tertio ejus mortem, sepulturam, & luctum describere: ergo Pentateuchi author Moyses non est, sed eo quisquam posterior. Confirmatur 1. author Pentateuchi scripsit trans Jordanem, ut patet Deuteron. c. 1. Hæc sunt verba, quæ loquutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem; sed Moyses Jordanem non est transgressus, nec eo vivente, populus Hebræorum, ut patet Pentateuchum legenti : ergo. 2. Quum narratur transitus Abrahami in Sichem, additur : (*Genes. 12.*) Chananæus autem tunc erat in terra: ergo quia tempore scriptæ historiæ jam non erat; sed Moysis tempore adhuc in Palestina Chananæus erat: ergo Moyses Genesim non scripsit. 3. Mons Moria ibidem appellatur: Terra visionis, seu Dominus videbit; at hoc nomen non est loco inditum nisi post templi ædificationem: ergo Genesis scriptor est templo ædificato posterior.

Digitized by Google

29. Ad horum primum dicendum est, simili argumento probari posse Thucididem, Cæsarem, Josephum, Eusebium, & alios plures, qui de se in tertia persona loquuntur, non esse authores librorum, qui eorum nomine insigniuntur. Secundum non urget; eodem enim spiritu Dei afflante se laudavit, quo non sua errata dissimulavit aliquando, ut & Paulo contigit. Ad tertium: Moysem prophetico spiritu de se mortuo loquutum fuisse scripserunt Philo, (*3. de Vit. Moys.*) & Josephus. (*2. Antiq. c. ult.*) Alii (quod videtur verius) octo ultimos versus cap. 34. Deuteronomii ab Josue, aut alio Sacro authore additos opinantur. Quantum sic explicandum est, trans Jordanem dici, habita ratione non deserti, seu Campestrium Moab, sed Hierusalem, ac Terræ Sanctæ. Quum enim vox hebræa עבר eber trans, & cis æquè significet, uti Pagninus notavit, quamvis Moyses in deserto scripserit עבר cis, Palæstinæ tamen incolæ legebant עבר trans, & ita transtulerunt postea Versionum authores. Nec est ad secundam Confirmationem difficilior responsio. Verba enim illa solum significant, jam tum Chananæos Palestinam tenuisse, quando illuc venit Abraham, non verò esse desiisse, quum liber condebatur. Tertiæ confirmationis minor propositio omnino falsa est, ut ex textu patet.

30. Arguit secundò ex verbis illis Deuteronomii (*c. 3.*) de Ogo Rege Basan: Monstratur lectus ejus ferreus in Rabbath filiorum Ammon &c. Ut quid enim Moyses proceritatem illius Regis argueret ex lecti ejus magnitudine, si eo tempore scripsit, quo Israelitæ omnes ipsum pugnantem, cæsumque videre potuerant? Item 2. lectum in Rabbath asservatum videre non potuit author Deuteronomii, nisi ea urbe ab Israelitis capta; at eam non expugnaverunt Hebræi usque ad Davidis tempora, ut patet ex 2. Regum cap. 12. ergo usque ad ea tempora Deuteronomium non erat scriptum. Confirmatur: quia author Genesis inquit, (*c. 14.*) Abrahamum persequutum esse hostes usque Dan; sed hujus nominis impositio habetur in libro Judicum (*cap. 18.*) longè post Moysis tempora: ergo. Item utitur idem author nomine *Dabir*; sed hoc nomen habetur impositum post mortem Moysis, ut patet ex libro Josue, cum antea diceretur *Cariatharbe*. Pariter illa verba, quæ alibi leguntur: usque in præsentem diem, indicant librum longè postea scriptum, quam ea gesta sunt; sed Deuteronomium solum continet gesta duorum supremorum mensium vitæ Moysis: ergo saltem hujus libri Moyses author non est.

31. Hæc tamen omnia exigui sunt momenti. Ad primum enim dicimus, nec omnes omnino Israelitas Ogum pugnantem, aut mortuum vidisse, nec, si vidissent, solis illius temporis hominibus Moysem

scri-

Digitized by Google

scripsisse. Ad secundum fortè Urbs Rabbath in Ogi Regis ditione, ac potestate tunc erat, ita ut vel Moyses ipse, vel alii ex Hebræis videre lectum potuissent, aut saltem ab Ammonitis, vel eorum vicinis in bello captis id scire. Fortè etiam illa particula, quæ velut parenthesis legitur, ab Esdra divinorum librorum instauratore addita fuit, sicut de illarum Urbium nominibus, quæ tertio loco objiciuntur, plures opinantur cum Natali Alexandro. (*dis. 9. in 3. Mund. ætat.*) Quod si hæc responsio non placeat, dicatur, Dan, de quo Moyses, esse locum prope Jordanis fontem alterum, non urbem à Danitis ita appellatam, de qua in libro Judicum, quæque antea *Lais* dicebatur. Sed de hoc iterum redibit sermo. Nomen porro *Hebron* dubium est, an Urbs habuerit, antequam Calebo ab Josue tradita fuisset: & quidem sunt, qui cum Menochio putent, id nomen accepisse ab Abrahami fœdere cum illis gentibus inito; *Hebron* enim fœdus, aut societatem significat. De verbis autem illis *usque in præsentem diem* solum efficitur, narrari rem ante gestam, non tamen ab longo tempore secundum usum Hebraicum. Nam etiam Matthæus suorum temporum acta describens, Propter hoc, inquit, (*cap. 25.*) vocatur est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque in præsentem diem.

32. Hic de antiquitate scriptorum Moysis quærendum videbatur. Verum de hac re præter alios plures disseruit latè Natalis Alexander, (*diss. 10. in 3. M. ætat.*) ostenditque ex Patribus, & antiquissimis authoribus, Moysem omnibus Gentium scriptoribus Philosophicis, Poetis, Historicis, antiquiorem esse. An verò hoc de iis solum, quorum extant opera, an de omnibus omnino scriptoribus intelligendum sit, dubitatione non caret. Et mihi sanè verius videtur, Moysem non fuisse omnium, neque Sacrorum, neque profanorum authorum primum. Convincitur primò ex verbis Judæ, (*c. 14.*) cujus Epistolam Canonicam esse, infra demonstrabitur: Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Henoch dicens &c. Dices; librum Henoc esse apocryphum. Respondeo, apocryphum esse illum, qui nunc ejus nomine circumfertur, non illum, unde Judas deprompsit testimonium. Secundo: etsi Canonicus non sit, si Henochi est, ante Moysem scriptus est: quod erat intentum. Respondet 2. Natalis, (*dis. 5. in 2. Mund. ætat.*) Henochum prophetiam suam scripto non tradidisse. Sed in primis hæc responsio contraria videtur doctrinæ Patrum, (*apud. eund.*) Tertulliani, Justini, Origenis, Irenæi, Clementis Alexandrini, Hieronymi, & Augustini, quem do pro omnibus: (*15. de Civ. cap. 23.*) Scripsisse quidem nonnulla divina Henoch illum septimum ab Adam negare non possumus, quum hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat. Secundò, quia ut hoc

Digitized by Google

adstruat Natalis, nulla videtur sufficienti ratione moveri. Ait enim 1., Judam non librum, sed prophetiam commemorare, quæ ore tenus fieri potuit. At de scripta prophetia id omnes Patres intellexerunt. Nec quum dico secundum Isaiæ prophetiam, scriptam excludo. 2. Cum Henoch antiquissimus fuerit, Moyses, & Prophetæ aliquando ejus scripti meminissent. Respondeo: meminit Judas, cujus non minor est quam Moysis, & Prophetarum authoritas. Deinde argumentum cur in prophetia scripta teneat, non autem in non scripta? Nam eodem modo argumentari quis posset, nullam fuisse Henochi prophetiam, siquidem nec Moysem, neque Prophetas latuisset. Tertio, inquit, prophetiam illam suo Canoni inseruissent Hebræi. Cur verò non idem dicendum de libris Justorum, Bellorum Domini, Gad Prophetæ, & aliorum, qui in libris Canonicis citantur? Quartò: suavis Dei providentia ipsam perire non permisisset. At simili argumento evinci posset, nullum periisse illorum librorum, qui in Scripturis cum laude memorantur, ut supra citati, & alii plures, quos infrà recensebimus.

33. Quintò arguit: Quia Moysem primum litterarum, sive alphabeticæ scripturæ inventorem extitisse, eamque tradidisse Hebræis, hos Phænicibus, phænices Græcis, colligitur ex Ethnicis ipsis Scriptoribus. Verum hæc ratio quam sit infirma, patet ex ipso Natali ita in Historia sua scribente: (*in 4. ætat. c. 8.*) At verò quod ait Eupolemus apud Eusebium, Moysem Judæis primas litteras tradidisse, a quibus eas Phœnices, ut a Phœnicibus Græci acceperint, non ita certum videtur quoad primam illius sententiæ partem: quod deinde solidis argumentis convincit. Deinde fuisse scripturam aliquam, & libros scriptos ante Moysem, patet apertissimè ex libro Job, ubi dicitur: (*Job. c. 19.*) Quis mihi det, ut exarentur sermones mei in libro stylo ferreo? Et item: (*Idem. c. 31.*) Librum scribat ipse, qui judicat: ergo libri cogniti jam fuerant, & scribi consueverant Jobi tempore; sed Job longè præcessit tempora Moysis, fuit enim pronepos Esau, ut ipse vult Natalis: (*dis. 3. in 3. Mund. ætat.*) ergo Moyses non fuit primus omnium scriptor. Item ex ipso libro Job argumentor ad hominem: Nam Pentateuchus secundum Natalem (*dis. 9. in 4. M. ætat.*) scriptus est post Legem datam; atqui liber Jobi ante Legem datam scriptus est secundum eundem Natalem ajentem: Priorum sex præceptorum (legis naturæ) vestigia extant in libro Job ante legem Mosaycam scripto: ergo Pentateuchus, sive libri Moysis non sunt omnium scripturarum antiquissimi.

34. Dices, id scripsisse Natalem, quia librum Jobi ab eodem Moyse in Ægypto tempore servitutis scriptum esse statuit: unde liber ille est quidem antiquior Pentateucho, sed non antiquior libris Mosay-

Digitized by Google

saycis, quum ipse sit opus Moysis. Sed hac in re non sibi constat Natalis. Nam dissertatione nona in quartam Mundi ætatem librum Job a Moyse scriptum esse contendit; dissertatione autem 13. in tertiam Mundi ætatem hanc propositionem statuerat: Author libri Job incertus est. Arguo igitur sic: Liber Job ante legem Mosaycam, & ante Pentateuchum scriptus est, ut scribis ad 2. ætatem dissert. 2., sed author libri Job ncertus est, ut scribis ad 3. ætatem dissert. 13. ergo non est certum, Moysem esse omnium Scriptorum antiquissimum, ut contendis in Historia quartæ ætatis.

35. Tertio argumentor: In Pentateucho fit mentio de libro Fœderis, (*Exod. 24.*) de libro Legis, (*Num. 21.*) de libro Bellorum Domini; (*Deut. 31.*) sed hi libri an sint iidem cum libris Pentateuchi incertum est, & de libro Bellorum probabilius est, diversum esse, ut alio in loco dicemus: ergo an aliquis prior Moyse scripserit, incertum est, imo probabilius est, aliquos prius scripsisse. Quarto: tempore Moysis, & Josue erat apud Phœnices urbs dicta Cariatsephex, sive Urbs litterarum, ut dicitur in libro Josue; (*c. 15.*) ita autem dicebatur, vel quia erat totius gentis commune Gimnasium, & Scientiarum Academia: sive quia ibidem scripta, actaque publica asservabantur, ut ipse Natalis (*Hist. 4. ætat. c. 8.*) cum communi Interpretum tenet: sive quia, ut notavit Lyra, ibi inventæ fuerant litteræ, quibus Chananæi, & Phœnices utebantur; sed quomodocumque se res habeat, id fieri non potuit sine scriptis libris: ergo ante Moysem fuerunt etiam in aliis gentibus Scriptores plurimi.

36. Quinto: De Moyse dicitur, (*Act. c. 7.*) eruditum fuisse in omni sapientia Ægyptiorum, sive ea fuerit Arithmetica, Geometria, Musica, & occulta Philosophia, ut vult Natalis, (*dis. 10. in 4. æt.*) sive Astronomia, ut censuit Augustinus; (*18. de Civ. c. 39.*) sed incredibile est, eos mirabilium disciplinarum peritissimos fuisse sine litteris, & scriptis: ergo ante Moysem Ægyptii plurima scripserant. Respondet his Natalis, fuisse quidem apud Ægyptios ante Moysem doctrinam aliquam litteris hieroglyphicis scriptam, de quibus loquitur & Philo (*lib. 1.*) in Vita Moysis: nullos tamen fuisse Scriptores etiam apud Ægyptios, aliasque barbaras gentes ante Moysem, nam litteras, inquit, ante illius tempora nullas habebant. Erat igitur doctrina scripta ante Moysem, sed Scriptores non erant, quia litteras ante Moysem non habebant. Et quisnam crederet, hæc Natalem Alexandrum, virum alioqui eruditissimum, & nasutissimum, dixisse, nisi totidem syllabis ac litteris, apud eundem legeret? Ergo ne quia Sinenses litteris utuntur hieroglyphicis, nullas habere litteras dicendi sunt, nullumque apud eos Scriptorem, nullum extitisse librum? Eccur igitur hoc, & præcedenti argumento utitur Natalis

ipse,

Digitized by Google

ipse, ut Phœnices ante Moysem litteras habuisse demonstret? An hieroglyphicas? An ex textu Actuum Apostolorum satis convincitur, habuisse litteras Phœnices, & non Ægyptios? Denique confirmatur id ipsum ex columnis a profugis Phœnicibus inscriptis, ubi legebatur, testibus Procopio, Sozomenoque: Nos ii sumus, qui fugimus a facie Jesu latronis, filii Nave: ergo ante Moysem litteras, & scribendi artem noverant Phœnices. Unde ergo efficitur, nihil scripsisse? Sed de his satis.

PROPOSITIO IV.

Liber Josue Canonicus est, & ab ipso Josue scriptus.

1. Ostenditur primò Scripturæ testimonio. Nam liber tertius Regum divinæ authoritatis est, ut infra demonstrabitur; sed ibi (*cap. 14.*) narrata divina ultione in Hielem, qui reædificaverat Hierichuntem, additur: juxta verbum Domini, quod loquutus fuerat in manu Josue filii Num; illa autem imprecatio habetur ad verbum in libro Josue: (*c. 6. v. 25.*) ergo liber Josue est vere Verbum Dei. 2. Id ipsum suadetur ex communi consensu omnium tam Hebræorum, quam Christianorum. Nemo enim libro huic authoritatem negavit, nisi qui Vetus totum negaverit Testamentum.

2. In secunda autem propositionis parte major est difficultas. Theodoretus enim incerto authori tribuit, non Josue. (*quæst. 14. in Josue.*) Andræas Masius Esdræ. Theodoretum sequitur Natalis Alexander. (*dis. 16. in 4. M. ætat.*) Nos Bellarminium sequimur, (*de Script. Eccl. in Jos.*) qui cum Isidoro Hispalensi (*de Orig. c. 2.*) Josue ipsum authorem libri existimat. Eum sequuntur Gotti, (*tract. 4. c. 2.*) Doujat., (*lib. 1. c. 11.*) Menochius, (*in Josue.*) Bonfrerius, (*in app. ad Menoch.*) & Expositores communius. Firmari potest hæc sententia 1. ex illis verbis ipsius libri: Scripsit quoque Josue omnia verba hæc in Volumine Legis Domini. Respondet Natalis, id non intelligendum de toto libro Josue, sed de formula fœderis proximè ibi relata. Attenta verò Hebraica loquendi forma, & similibus loquutionibus de Moyse supra relatis, verosimilius est de toto libro esse intelligenda. 2. Quia Josue dicitur (*Eccl. c. 46.*) successor Moysi in Prophetis; sed hoc non ideo solum dicitur, quia gestis ipsis prophetaverit, ut interpretatur Natalis, quia id pari ratione de Gedeone, Sampsone, & aliis dici posset: ergo quia aliquid Deo inspirante conscripsit. Hæc levia sunt, fateor; leviora tamen quæ pro aliis opinionibus adducuntur, ut infra videbimus.

3. Ex libro Josue nulla occurrit particularis difficultas, unde ejus im-

Digitized by Google

impugnari possit authoritas, seu prima nostræ hujus assertionis pars; est autem non levis contentio de annis, quibus Israeliticæ genti præfuit. Nam Scriptura centum ac decem annos eum vixisse commemorat, sed ipsius præfecturæ tempus tacet. Bellarminius, (*de Script. Eccl.*) Doujatiusque, (*loc. cit.*) sequuti Eusebium, (*in chron.*) Clementem Alexandrinum, (*1. Strom.*) Augustinum, (*18. de Civ. c. 11.*) Severum Sulpitium, (*hist. Sac. lib. 1.*) & Isidorum, (*de Orig. c. 7.*) annos viginti septem præfecturæ ejus assignant, nec multum discrepant Josephus, & Beda, qui ei annos tribuunt viginti quinque. Contra, aliorum est sententia, Josue annos solum septemdecim Hebraicum populum gubernasse. Ita Natalis Alexander Genebrardum sequutus. (*dis. 15. in 4. M. ætat.*) In eadem sunt sententia Canus, (*lib. 11. c. 5.*) Azorius, (*lib. 6. c. 52.*) & Labbæus in annotationibus ad Bellarminium citatum. Et primò quidem Josue plusquam annis septemdecim Hebræis præfuisse, mihi videtur, ex Scripturis apertissimè convinci. Nam Josue 3. dicitur, ipsum multo tempore pugnasse contra Reges, qui Palæstinam obtinebant: post hæc dicitur, quievisse terra a præliis, & hanc quietem longam item fuisse, constat ex ejusdem libri cap. 13., ubi additur: Evoluto autem longo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subjectis in gyro nationibus universis, Josue jam longævo, & persenilis ætatis &c. Quînam ergo intra annos septemdecim, & multum tempus præliorum, & multum tempus quietis, & pacis esse potuit, nisi verbis violentia fiat? Ex adverso autem Eusebii, & Bellarminii sententia cum Scriptura consonat. Nam Josue annorum quadraginta, aut 45., vel circiter fuisse, quum ad explorandam terram missus est, verosimilius videtur 1., quia Calebus, qui ei socius datus est, quadraginta annorum erat, ut Josue 10. dicitur. 2., Quia ea ætas obeundo muneri aptissima erat. Fuerit ergo annorum quadraginta quinque, aut circiter. His addantur peregrinationis in deserto anni 38., efficientur anni 83., quibus adjuncti præfecturæ anni 27., aut circiter, fient anni Vitæ Josue 110., quos ipsum vixisse Sacer author scribit.

4. Contra secundam vero propositionis partem opponit Masius. 1. In libro Josue memoratur liber Justorum, qui certè, aut Josue adhuc vivente, aut post ejus mortem scriptus est: ergo liber Josue est longè recentior. Sed quidnam hoc absurdi est? An librum aliquot ante annos, se vivente scriptum, Josue laudare non poterat? Secundò opponunt ea verba crebro in libro Josue usurpata: *Usque in præsentem diem*. Verum de hoc diximus in simili supra, quum de Pentateucho ageremus. Tertio, quia ibi fit mentio terræ Chabud; sed hoc nomen non est loco impositum nisi tempore Salomonis, ut constat

stat ex 3. Regum: (*cap. 9.*) ergo liber Josue post Salomonis tempora scriptus est. Hoc tamen nullam difficultatem ingerit scienti, aliam esse terram Chabul, de qua in 3. Regum, aliam de qua in libro Josue. Illa enim vicus fuit, hæc autem regio. Hanc Καβελον, illam Καβωλον appellavit Josephus. (*Antiq. 7. c. 2.*) Quartum argumentum tale est: Inter Reges a Josue occisos ponitur Rex Bethel; sed Bethelem non expugnaverunt Hebræi, nisi post obitum Josue, ut apparet ex libro Judicum: (*c.1.*) ergo. Respondeo cum Menochio 1., ibi non solum numerari Reges, Josue vivente, occisos. 2. Accidere potuisse, ut Rex Bethelis in alio prælio caderet, antequam urbs expugnaretur. 3., & verius, ea, quæ in primo Judicum capite narrantur per quamdam anacephaleosim, sive recapitulationem dicta esse, ut observavit Augustinus alibi citandus. (*Propos. seq.* Quinto opponitur, in libro Josue (*cap. 19.*) narrari expeditionem filiorum Dan adversis Lesem urbem; sed hæc contigit post obitum Josue, & narratur in libro Judicum: ergo. Hanc difficultatem ita enodavit Huetius, ut diceret, eam veluti parenthesim ab Esdra, aut posteriore aliquo Scriptore additam fuisse. Sunt qui Lesen, de qua in libro Josue, & Laisan, de qua in libro Judicum, duas esse urbes velint, quibus favet Eusebius in Onomastico, quod habes inter opera Menochii Bonfrerianis adnotationibus locupletatum. Opponunt denique, in libro illo obitum Josue, & gesta post obitum narrari. Hoc tamen solum probat, versiculos aliquot ab Esdra, aut posteriore aliquo Scriptore additos fuisse, ut supra de Moyse dictum est.

PROPOSITIO V.

Liber Judicum Canonicus est, incerti tamen Authoris, sed qui Salmanassaris captivitatem præcesserit.

1. PRima propositionis pars suadetur: Nam libri Regum, & Psalmorum Canonici sunt, ut alibi demonstratur; sed in iis libris habentur testimonia desumpta ex libro Judicum: ergo liber Judicum est Canonicus. Minor constat; nam illud in 2. Regum: (*cap. 11.*) Quis percussit Abimelech &c. desumptum est ex libro Judicum. (*cap. 9.*) Item illud Psal. 96. Montes fluxerunt a facie Domini, totidem syllabis habetur Judicum 5. Montes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Israel. 2. quia quod dicitur in hoc libro: (*Jud. 13.*) Et erit Nazaræus, id Matthæus inquit, (*cap. 2. 23.*) dictum esse per Prophetas, sive Sacros Scriptores; Matthæi autem Evangelium divinæ authoritatis est, ut alibi ostenditur: ergo liber

liber Judicum ſacer eſt, & Canonicus. 3. Id ipſum oſtenditur ex communi conſenſu tam Hebræorum, quam Chriſtianorum in eo recipiendo.

2. Secunda pars aſſertionis eſt omnium ferè Theologorum, & Expoſitorum Bellarminii, Sixti Senenſis, Cornelii a Lapide, Menochii, Tirini &c. Qui enim certo alicui authori hoc opus aſſignant, levibus dumtaxat conjecturis nituntur.

3. Tertia pars eſt contra Hobbeſium, (*in Leviath. c. 33.*) & convincitur non obſcure ex prædictis. Nam liber ſecundus Regum captivitate decem tribuum antiquior eſt; ſed in eo ponitur hiſtoria Abimelech, quæ habetur in libro Judicum, ut nuper obſervavimus: ergo liber hic eſt captivitate Salmanaſſaris antiquior. Nec Hobbeſii momenta ullius ſunt ponderis. Primum, quod ibidem dicatur, (*c. 18.*) ſtetiſſe idolum in tribu Dan uſque ad diem captivitatis ſuæ. Hæc tamen captivitas non Salmanaſſaris fuit, ſed ea, qua ex Iſraelitis plurimi cum ipſa Arca fœderis a Philiſtæis capti ſunt: de qua item loquitur Pſalmus: (*77. v. 60.*) Repulit tabernaculum Silo . . & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Nec minus elumbe eſt 2. Hobbeſii argumentum ex illis verbis deſumptum: (*Judic. 18.*) In diebus illis non erat Rex in Iſrael: ergo, inquit, poſt creatos Reges liber ſcriptus eſt. At prædicta verba, ut jam alii obſervarunt, non de Rege, id eſt Monarcha, intelligenda ſunt, ſed de quolibet Magiſtratu, Judice, aut Præfecto; unde ſtatim ſubditur: Sed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Deinde, quamvis poſt creatos Reges librum dicamus ſcriptum, nunquid ideo poſt Salmanaſſaris captivitatem? Tertio argumentatur: in libro Judicum adhibetur nomen Jeruſalem; ſed hoc nomen ei Urbi poſtea inditum eſt, quum ante diceretur Jebus, ut notavit Theodoretus: (*quæſt. 2. in Jud.*) ergo. Reſpondemus: quo tempore Jeruſalem ita appellari cœperit, incertum eſt. Quomodocumque tamen nomen illud Salmanaſſaris captivitate longè eſt antiquius, compoſitumque videtur ex utroque antiquo loci nomine Jebus, & Salem. De tempore igitur, quo liber Judicum ſcriptus eſt, id dicere potuimus Natalem Alexandrum ſequuti. (*diſ. 21. in 4. M. ætat.*)

4. Liber hic hebraicè שרפטים Schiophetim, Græcè Κριτοι, continet hiſtoriam Judicum Iſraelis, quorum hæc nomina: Othoniel, Ahod, Samgar, Barach cum Debora, Gedeon, qui & dictus Jerobaal, Abimelech Gedeonis filius ſpurius, Thola, Jair, Jephte, Abeſan, Helon; qui & Ahialon, quem Septuaginta Interpretes prætermiſerunt, Abdon, qui Euſebio Labdon, & Samſon, omnes numero tredecim. Samgar tamen nonnulli omittunt cum Aaorio, ſive quod pau-

paucis dumtaxat mensibus præfuerit, sive quod reapse non fuerit Judex, sed vir quidam insignis, qui extremis Ahodi temporibus magnum virtutis præbuerit specimen.

5. Jam vero contra divinam hujus libri authoritatem plurima opponuntur, & nonnulla quidem laboriosissimæ investigationis. Opponitur ergo 1., authorem hujus libri sibimet contrarium videri; postquam enim mortem Josue præmiserat, rursus ipsius Josue gesta narrare pergit dicens: (*Jud. c. 2.*) Dimisit itaque Josue populum &c. 2. Historia Calebi, & filiæ ejus narrata in libro Josue, quasi ipso vivente, hic iterum quasi post ejus mortem narratur. 3. Quia Josue dicitur, non (*cap. 15.*) reliquisse unum de stirpe Enacim, seu Gigantum in omni terra filiorum Israel, & signatè in montibus, sive montanis Hebron, & Dabir, quæ prius dicebantur Cariath-Arbe, & Cariath-Sepher; sed in libro Judicum dicitur, delevisse Judam ex Hebron tres filios Enac, eosdem nimirum, quos in libro Josue dictum fuerat, delevisse Caleb: ergo author sibi non constat, atque adeo sacer, & Deo afflatus haberi non potest. Ad primum eorum respondet Augustinus, (*q. 7. in Jud.*) totum caput primum libri Judicum, & partem secundi non aliud esse, quam recapitulationem, sive anacephaleosim libri Josue; ex quo patet etiam solutio ad secundum. Ad tertium respondet Menochius, Gigantes, licet ab Josue exterminatos, forte tamen rediisse, & locum adversus Israelitas munivisse, nam Josue solum dicitur, (*cap. 11.*) interfecisse omnes filios Enac de montibus Hebron, & Dabir, & Adab, nec reliquisse unum de filiis Enac in omni terra filiorum Israel; at in conterminis locis plures remansisse, certius est, nam Gazæ superstites fuisse, ex ipso textu constat. Rectius autem dicendum videtur cum eodem Menochio ex Lyra, & aliis, quod fecit Tribus Juda Calebi jussu, & authoritate Judicum 1., id tribui Calebo ipsi Judicum 15. & quod hic Calebo tribuitur, id Josue 11. tribui Josue ipsi, cujus authoritate, atque imperio Calebus in ejus possessionem missus fuerat.

6. Secunda, & longe gravior difficultas est, quomodo computandi sunt anni Judicum, & anni Servitutis in hoc libro assignati? Etenim

Othoniel præfuit annis	40.
Ahod, & Samgar annis	80.
Barach cum Debora annis	40.
Gedeon, qui & Jeroboal, annis	40.
Abimelech ejus filius annis	3.
Thola ex tribu Isachar annis	25.
Iair ex tribu Manasse annis	22.
Jephte ex eadem tribu annis	6.
Abessan ex tribu Juda annis	7.

Ahia-

Digitized by Google

Ahialon, ſive Helon, annis . . . . 10.
Abdon, ſive Labdon, annis . . . . 8.
Samſon ex tribu Dan annis . . . . 20.
Omnes igitur anni Judicum in hoc libro membrati ſummam efficiunt annorum . . . . 301.
His addantur Servitutis
Meſopotamicæ ante Othoniel anni . . . . 8.
Moabiticæ ante Ahod anni . . . . 18.
Chanaaniticæ ante Deboram anni . . . . 20.
Madianiticæ ante Gedeonem anni . . . . 7.
Ammoniticæ ante Jephte anni . . . . 18.
Philiſtiacæ ſub Samſone anni . . . . 40.
Summa annorum Servitutis . . . . 111.
Summa univerſa . . . . 412.
Addantur Moyſis poſt exitum Iſrael ex Ægypto (*Deut. ult. & Exod. 7.*) anni . . . . 40.
Joſue poſt obitum Moyſis anni, ut ſupra ſtatutum eſt, (*prop. preced.*) ſaltem . . . . 25.
Heli Sacerdotis (*1. Reg. 4.*) anni . . . . 40.
Samuelis, & Saulis ad minimum anni . . . . 40.
Davidis Regis anni . . . . 40.
Salomonis denique completi anni . . . . 3.
nam quarto ejus anno templum ædificari cœptum eſt: eruntque anni ab exitu Iſrael de Ægypto uſque ad templi ædificationem . . . . 600.

At in 3. Regum (*cap. 6.*) dicitur, templum ædificari cœptum eſſe anno 480. ab exitu filiorum Iſrael ex Ægypto: ergo vel liber Judicum, vel liber Regum non eſt Canonicus.

7. Pro ſolutione hujus difficultatis multum a doctis Viris allaboratum eſt. Sunt qui textum in tertio Regum mendoſum eſſe dicant fulti Joſephi authoritate, qui (*Antiq. 8. c. 3.*) ab exitu Iſrael de Ægypto uſque ad templi initium annos computat circiter ſexcentos, ideſt, quingentos nonaginta duos. Non eſt autem credibile Joſephum Hebraicæ, & Græcæ linguæ peritiſſimum tantum ab Scriptura Regum diſcrepaſſe, ſi ſui temporis Codices ita habuiſſent, ſicut nunc habent uniformiter annos quadringentos octoginta. Joſephi porro calculationi ingens addit momentum oratio Pauli, (*Act. 3.*) qui ab terræ Chanaan diſtributione uſque ad Samuelem Prophetam annos interfluxiſſe, ait, quadringentos quinquaginta, ... 450.
Quibus ſi addantur anni Saulis ſecundum eundem Paulum . . 40.
anni Davidis . . . . 40.
Salomonis anni jam completi . . . . 3.

Et

Et ante terræ distributionem Moyſis . . . . 40.
Joſue . . . . 25.
qui ſummam faciunt annorum . . . . 148.
habebuntur ab exitu Iſraelis de Ægypto uſque ad templi initium anni iidem circiter ſexcenti, id eſt . . . . 598.
Textum igitur in 3. Regum mendoſum eſſe oportet. Contra Cajetanus textum Actuum Apoſtolorum mendoſum eſſe contendit, & ad normam prioris illius in 3. Regum corrigendum. Hæc tamen Gordiani nodi ſolutio, ſicut illa Alexandri, quanto videtur facilior, expeditiorque, tanto mihi inſolens, & Catholico Scriptore indigna ſemper viſa eſt, ubi apertiſſima ratio non convincit, & Majorum non accedit authoritas. Canus, ut hanc evadat difficultatem, Author, inquit, (*lib. 11. c. 5.*) libri Regum, interregnorum annis omiſſis, eos tantum redegit in numerum, quos intellexit, dum Judices adminiſtrarent, interfluxiſſe. Anni ergo plures ab eo, quo Iſrael exceſſit de Ægypto ad templi initia fluxere. Sed Ducum, Judicum, & Regum non fluxere niſi quadringenti octoginta. Hæc Canus, qui ne textum mendoſum diceret, textus authorem ineptiſſimum, atque ſtolidiſſimum fecit. Nam quæ utilitas, Cane Pater, in hac computatione Ducum, Judicum, Regum, quæ aliunde haberi jam poterat, ſi ex ea annus exactus ædificationis templi haberi nequaquam poterat? Nonne ſtultiſſimus hominum eſſet, qui annos ab Urbe condita uſque ad adventum Domini numeraret per tempora Regum, & Conſulum, omiſſis Decemvirum, Dictatorum, & ſimilibus Romanæ Reipublicæ interſtitiis? Nonne eadem ſolutione poſſet Pauli, & Joſephi calculatio, & quicumque fuerit hiſtoricus annorum computus eludi?

8. Non igitur anni ſervitutis ab annis Judicum ſejungendi ſunt, & ſeorſim numerandi, ut Canus, & Petavius voluerunt, ſed in eis includendi: quæ fuit ſententia Auguſtini, (*18. de Civ. c. 22.*) Euſebii, (*in Chron.*) Bedæ, (*hom. in Jud.*) Lyræ, (*in 3. Reg. c. 6.*) Azorii, (*lib. 6. c. 57.*) Bellarminii, (*in Chron.*) Menochii, (*in Judic.*) Natalis, (*diſ. 17. in 4. ætat.*) aliorumque apud ipſos. Convincitur hæc aſſertio 1. ex citato textu libri tertii Regum, quem mendoſum dicere non licet, quum omnes Hebraici, Græci, & Latini Codices conveniant, nec ullus uſpiam Patrum aliter legerit; ſed ſtante hac noſtra computandi ratione, habentur ab exitu Iſrael de Ægypto uſque ad templi initium anni iidem, quos ſacer textus computat: ergo ea computandi ratio tenenda eſt. Minor ſuadetur. Ut enim integrum annorum calculum iterum oculis ſubjiciamus, ſint Moyſis, ex Deuteronomii 29., & Exodi 7. anni . . . . 40.
Joſue, ut ſupra habitum eſt, ſaltem anni . . . . 25.
Othonielis præfecturæ cum octo annis ſervitutis Meſopotamicæ (*Jud. 3.*) 40.

Præ-

Præfecturæ Ahodi, & Samgar cum 18. annis Servitutis Moabiticæ (*Jud. 5.*)	80.
Præfecturæ Barach, & Deboræ cum 20. annis Servitutis Chanaaniticæ (*Ibid.*)	40.
Præfecturæ Gedeonis cum 7. annis Servitutis Madianiticæ (*Jud.* 8.)	40.
Abimelechi præfecturæ anni (*Jud. 9.*)	3.
Præfecturæ Tholæ anni (*Jud. 10.*)	23.
Præfecturæ Jairis anni pacifici	5.
Sub servitute Ammonitica	17.
Omnes Jairis anni (*Ibid.*)	22.
Præfecturæ Jephte sub servitute anni 2., pacifici 4., omnes (*Jud. 11.*)	6.
Abessan anni	7.
Ahialon anni	8.
Samson sub Philistinis anni (*Jud. 15.*)	20.
Præfecturæ Heli, & Servitutis Philistinorum anni	40.
Samuelis, & Saulis anni	40.
Davidis Regis anni	40.
Salomonis anni completi	3.
Erit summa annorum ab exitu Israel de Ægypto ad quartum Salomonis annum, quo templum exorsum est	487.

Quum autem & Sacris, & non Sacris Scriptoribus commune sit, ut an nos incœptos pro integris assumant, hinc fit, ut author libri tertii Regum, cui illæ temporum minutiæ facile poterant innotescere, annos quadringentos octoginta exactos computaret, quos nos, qui numeros nisi rotundos non habemus, computare non possumus. Exempli gratia: Ab annis Moysis 40. aliqui menses detrahantur, v.g. quinque. Anni Ahod 80. fuerint 78., & menses aliquot. Scriptura enim, uti notavit Augustinus, (*Ib. de Civ. c. 24.*) minutos numeros negligere solet. Sic septem illi, qui in nostra computatione supersunt anni, facilè evanescent, manebitque inter libros Judicum, Regumque mira consensio. Confirmatur assertio nostra ex illo Judicum, (*cap. 15.*), ubi de Samsone: Judicavitque Israel in diebus Philistiim annis viginti: ergo anni Samsonis ab annis Philistinorum distinguendi non sunt. Quare ergo non similiter discurrendum de cæteris? Restat, ut Cani objectionibus respondeamus.

8. Arguit enim 1., nihil esse absurdius, quam annos oppressionis, & servitutis cum iis velle confundere, in quibus dicitur, terram quievisse. 2. Jephte diserte testatur, (*Judicum 11.*) trecentos annos fluxisse ab Regnis Og, & Seon occupatis ad eum usque diem; sed hoc verum esse non potest, nisi anni servitutis seorsim numerentur: ergo. 3. Quia in Actis Apostolorum Paulus ait: (*cap. 13. cit.*) Et post hæc (nimirum post divisionem terræ promissæ) per annos cir-

Digitized by Google

citer quadringentos quinquaginta dedit eis Judices usque ad Samuelem Prophetam. Græca enim omnia exemplaria ita habent : *Καιμετα ταυτα ως ετεσι τετρακοσιοις, καὶ πεντηκοντα εδωκε κριτας εως Σαμυελ του προφητου*. Itaque vertunt cum Erasmo, & Pagnino Juniores omnes. Ergo si annis Judicum 450. addantur Moysis 40., totidem Samuelis, & Saulis, totidem Davidis, tresque Salomonis, erunt ab exitu Israel de Ægypto usque ad templi initium anni 573. præter annos Josue, quos Scriptura non memorat; sed hi haberi non possunt nisi anni servitutis ab annis Judicum sejungantur: ergo.

9. Ad primum respondeo cum citato Natali, annos oppressionis, & servitutis cum annis quietis, & libertatis minimè commisceri: sed in iisdem Judicis unius, aut diversorum partim ea turbulenta, & misera, partim quieta, & tranquilla tempora numerari debere, contendimus. In quo, quid absurdum, & ab communi sensu alienum? Nonne totos viginti Samsonis annos textus ipse sub Philisteis esse transactos, refert? Quid ita? Quia, quamvis Hebræi Judicem, ac Ducem haberent proprium, tamen a Philisteis premebantur, eorumque incursibus, vastationibusque erant obnoxii. Hanc enim Sacer textus *servitutem* vocat. Adde, sacros authores Cardinales numeros pro Ordinalibus usurpare, sive quod iis Hebraica lingua careat, sive quod numeris, non dictionibus ad annos exprimendos utebantur. Unde, cum dicitur v. g. quievit terra annos 40, intelligendum sit: quievit terra anno quadragesimo, quod in pluribus aliis locis Scripturarum observant Expositores, nec Ayrolum curamus, qui hunc intelligendi modum Versionibus omnibus repugnare asserit quidem, sed non persuadet. (*dis. 6. inter Opera Menoc.*)

10. Ad secundum respondet Azorius, atque ex eo Natalis, Jephte annos incœptos pro integris posuisse. Effluxerant enim anni circiter trecenti, id est, ducenti septuaginta quinque: quod ad præscriptionem probandam satis erat. Sic dicitur, quis verè expectavisse per horam, quamvis octo, aut decem minuta defecerint, & hujusmodi in communi commercio innumera.

11. Tertium argumentum non nos, sed Authorem Sacrum impugnat tertii libri Regum, & omnes quidem premit, immò nos nos premit. Non enim cùm Erasmo, Pagnino, & Junioribus Versionum authoribus, ut Canus, ita non legimus, sed cùm antiquissima Ecclesiæ Dei Versione Vulgata, quam Tridentina Synodus probavit, commendavitque. Ea autem sic legit: (*Act. c. 13.*) Et destruens septem gentes in terra Chanaam, sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos, & quinquaginta annos, & post hæc dedit Judices usque ad Samuel Prophetam. Ita quoque legunt Græci Codices nonnulli, quos se vidisse testantur Mariana, atque Usserius, quod-

Digitized by Google

quodque etiam in suis variis lectionibus ad Hebraicam Editionem adnotavit Henricus Stephanus. Anni ergo 450, quos Paulus enumerat, computandi sunt ab electione Patriarcharum, quæ per benedictiones Jacobi morituri facta est. Ipso enim vivente, omnes, velut una, eademque familia censebantur. Si ergo ab annis quadringentis triginta mansionis filiorum Israel in Ægypto demas annos septemdecim, quos ibidem Jacobus exegerat, restabunt anni 413, quibus additis Moysis quadraginta, erunt ab electione Patrum usque ad ingressum, & primam Terræ divisionem anni quadringenti quinquaginta tres, quos circiter quadringentos quinquaginta verissimè dixit Paulus. Hanc ejus loci expositionem sequuti sunt Azor, & Natalis. (*locis supra cit.*) Rationem aliam computandi eosdem 450. annos ingeniosam illam quidem invenies apud Nicolaum Abrahamum in Opere de annis servitutis in Ægypto, & habetur inter Opera Menochii. (*cap. 15.*)

12. Tertio loco difficultatem habent in Judicum libro non modicam gesta Gedeonis, Jephte, & Samsonis, qui tamen laudantur ab Apostolo, tamquam qui per fidem vicerunt regna, operati sunt Justitiam, adepti sunt repromissiones. Et quidem de Gedeone duplex est difficultas. Prima: Quid intelligendum nomine Ephod, (*Jud. c. 8.*) quod ex auro, & præda Madianitarum fecit, & an in hoc faciendo peccaverit? Secunda: Utrum peccaverit tentatione Dei, petendo signum miraculosum, præcipuè post promissionem Angeli, & visum miraculum ignis cœlitus accensi?

13. Primo dubio respondet Augustinus, (*quæst. 41. in Vet. test.*) per Ephod ibidem intelligi omnia Sacerdotis Summi ornamenta, immò omnia opera Sacrarii, id est, omnem sacrum apparatum ad sacrificia, & divinum cultum spectantem. Nec enim in solo Ephod, quod vestis genus erat, mille septingenti auri sicli ex inauribus, & aliud plurimum ex torquibus præter prædam reliquam impendi poterat. In eo autem contra legem deliquisse Gedeonem, Augustinus existimat. Theodoretus operantis intentionem videtur excusare, quæ minimè, inquit, (*qq. in Jud.*) ad impietatem vergebat. Sed his in verbis, ut reliqua legenti apparet, non ab omni crimine, sed ab idololatria, quæ ejus facti occasione deinceps sequuta est, immunem fuisse Gedeonem, ostendit. Dices: Similiter erat legi contrarium sacerdotalia ornamenta hominem laicum usurpare, & extra locum a Deo destinatum, quam extra locum tabernaculi sacrificium offerre hominem laicum; sed hoc fecit Gedeon absque ullo crimine ex singulari Dei inspiratione: ergo & illud facere licitè potuit. Verumtamen quum de sacrificio offerendo Angeli diserta jussa præcesserint, & miraculum subsequutum fuerit, id Deo inspirante factum,

dubitare nefas esset; at in Ephod statuendo domi suæ nullo Dei jussu Gedeonem motum esse, patet exipso textu, ubi dicitur, factum id esse Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam. (*ibid.*) Pro excusatione tamen Gedeonis (in quam partem magis inclinat animus) dici posset cum Menochio, id eum animo fecisse, non ut sibi summi Sacerdotis munus, honoremve arrogaret, sed sacram illam supellectilem domi suæ in turbulentis illis temporibus servari voluisse ad divinum cultum, si fortè contigisset, Arcam Dei jussu, transferri in Ephra, ut ibi Deum Sacerdotes, Pontificesque debito honore, rituque consulerent. Ita ex parte opinatus est Menochius,

13. Ad secundum dubium, nimirum peccaveritne Gedeon petendo signum miraculosum? respondet Origenes, (*hom. 8. in Jud.*) ut habetur in Glossa ordinaria, nullum fuisse peccatum; alias Deus iniquam petitionem non exaudisset. Similiter Lyra, & Expositores communiter. Addit Natalis, id fecisse Gedeonem, non quod ipse dubitaret, sed ut eo miraculo suorum animi confirmarentur. Tamen peccavisse, disertè affirmat Augustinus (*loc. supr. cit.*) nimis profecto rigide, & contra receptiorem sententiam.

14. De Voto autem Jephte (quod erat secundum) triplex est controversia. Prima: An peccaverit vovendo? Peccavisse affirmat antiquus author Carminis in Marcionem sub Tertulliani nomine. (*lib. 3.*)

Huic quia, quæ non vult Dominus, promiserat amens.

Et infra:

Pro scelere obtinuit laudem, pro crimine pœnam.

Affirmat Hieronymus inquiens: (*in c. 6. Mich.*) quod fecit Jephte pro temeritate voti, offerens filiam. Et alibi: (*1. cont. Jov.*) A plerisque Hebræorum reprehenditur Jephte voti temerarii. Affirmat Augustinus inquiens: (*q. 59. in Jud.*) Quia ergo de hoc Jephte facto in neutram partem Scriptura Dei sententiam protulit, possumus dicere, Deo displicuisse tale votum. Affirmat Theodoretus, qui Jephte promissionem stolidam vocat. (*q. 20. in Jud.*) Chrysostomus vero Deum permisisse, inquit, (*Homil. 14. ad Popul. Antioch.*) votum illud opere compleri, ut posteros omnes a similibus prohiberet. Consonat Josephus, qui holocaustoma, inquit, (*l. 5. antiq. Jud. c. 5.*) obtulisse Jephte neque legitimum, neque Deo gratum. Similia habet Justinus, seu, quis est author quæstionum ad Orthodoxos inter ipsius Opera. (*qu. 99.*)

15. Contrarium autem colligi videtur ex illis Scripturæ verbis: (*Jud.*

Digitized by Google

(*Jud. c. 11.*) Factus est ergo super Jephte spiritus Domini . . . Et inde transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino &c. Ex quibus colligi potest, votum illud, Deo inspirante, factum esse. Non igitur imprudens, aut temerarium fuit. Huic objectioni multis respondet Augustinus, (*q. 49. cit.*) quæ paucis ita exponit D. Thomas: (*2. 2. q. 88. art. 2.*) Præmittitur tamen ibidem, quod factus est super eum spiritus Domini, quia fides, & devotio, ex qua motus est ad vovendum, fuit a Spiritu Sancto. Quod latius alibi explicans: In facto, inquit, (*in c. 11. Epist. ad Hebr.*) Jephte fuit aliquid a Spiritu Sancto, scilicet motus ad vovendum; aliquid autem ex proprio suo spiritu, scilicet quod immolavit, quod non debuit, & in hoc peccavit. Nec obstat allegatus textus Pauli; non enim qui ibi laudantur, omnes ab omni peccati labe immunes extiterunt, ut in Davide, Samsone, & aliis perspicuum est.

16. Secunda est controversia: Utrum Jephte votum executioni mandando, peccaverit? Hujus tamen resolutio ab alterius quæstioni solutione dependet, quomodo, nimirum, Jephte votum impleverit, an filiam reapse mactando? an perpetuæ virginitati addicendo? Lyranus enim ex antiqua Hebræorum traditione hanc secundam sequutus est sententiam, (*in cap. 11. Jud.*) cui favent etiam Vatablus, & Arias Montanus, & ex Recentioribus nonnulli, nisi potissimum in illis Scripturæ verbis: Quæ reversa est ad patrem, & fecit ei, sicut voverat, quæ non cognoscebat virum. Primus tamen explicandi modus omnino tenendus est cum citatis omnibus Patribus, quibus adde Ambrosium ajentem: (*3. de offic. c. 12.*) Non possum accusare visum, qui necesse habuit implere, quod voverat, sed tamen miserabilis necessitas, qua solvitur parricidio: & Hieronymum citatum a D. Thoma: (*loc. cit.*) Jephte fuisse in vovendo stultum, in reddendo impium. Hæc apud D. Thomam, cujus Scholiastes citat in margine librum primum contra Jovinianum: ea tamen verba nusquam apud Hieronymum reperiri, asserit Natalis Alexander, quamvis & ipse communem sequatur sententiam, (*dis. 18. in 4. æt.*) sicut Alapide, (*ad cap. 11. Jud.*) Calmet, (*in Dict. Bib. verb. Jephte, & in dissert. prop.*) Tirinus, Menochius, Salianus, Serariusque, qui & longum SS. Patrum texit catalogum, ubi præter citatos, invenies Nazianzenum, atque Epiphanium. Addit Azorius, (*Instit. lib. 6.*) contrariam sententiam ex iis esse, quæ non sine gravi erroris periculo defendi possit, cui omnes unanimiter Ecclesiæ Patres refragantur.

17. Hoc igitur optimè stabilito, inquirendum superest, an Jephte in filiæ mactatione peccaverit? Et quidem peccasse, videtur. Quia quod imprudenter vovit, exequi non debuit; sed imprudenter vovit, ut

Digitized by Google

ut supra habitum est: ergo. 2. ex Ambrosio ajente: (*lib. 3. de Offic. c. 12.*) Melius est non vovere, quam vovere id, quod sibi, cui promittitur, nolit exolvi. Ex quo videtur, non fuisse Deo gratam voti solutionem. 3. Quia Augustinus, Chrysostomus, & Theodoretus innuunt Deum noluisse impedire mortem filiæ in pœnam imprudentis patris. Supponunt ergo, ingratum Deo fuisse tale sacrificium. 4. Quia videbatur, Deum Jephte per summum Sacerdotem, ipsumve, aut Legisperitos consulere debuisse, qui profectò eum ab cædis exequutione deterruissent; at id non fecisse constat ex paraphrasi Chaldaica ajente: Non consuluit Jephte Sacerdotem; si consuluisset, redemisset eam. 5. Quia victima humana per Legem erat prohibita. Dicitur enim. (*Deut. c. 12.*) Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt (Chananæi) Diis suis offerentes filios, & filias, & comburentes igni: ergo hujusmodi votum erat de re turpi: ergo nullum, neque exequutioni mandandum.

18. Contra tamen obstare videntur haud levia. Primum, quia ut ait Ambrosius citatus: (*lib. de offic.*) Non est accusandus vir, qui necesse habuit implere quod voverat; sed non necesse haberet implere, si implendo erat peccaturus: alias perplexus fuisset: ergo videtur in adimpletione voti non peccasse. 2. Ex Hieronymo ajente: (*epis. 24. ad Julia.*) Jephte obtulit filiam virginem, & ideo in enumeratione sanctorum ab Apostolo ponitur; sed non est dicendus poni in enumeratione Sanctorum propter peccatum: ergo filiæ mactatio peccatum non fuit. 3. Ex authore quæstionum ad Orthodoxos, quæ habentur inter Opera Justini; (*quæst. 99.*) Quum Jephte pietatis erga Deum suæ observationem filia sua pro hostia mactanda declararet, merito ejus memoria in Justorum nomenclaturam est inserta. 4. Author libri de Vita, & Morte Patriarcharum: Jephte, inquit, (*cap. 30.*) felix in præliis, fidelis in promissis, affectum pietatis exsuperans tolerantia mentis, ne pollueretur labe perjurii, pollicitam sponsionem complevit; sed nulla pollueretur labe perjurii, si non faceret, quod faciendo erat peccaturus: ergo. 5. Sicut Josue, & Principes Israel inconsultò Domino, atque adeo imprudenter pacem fecerunt cum Gabaonitis, & inito fœdere polliciti sunt, se eos non occisuros, (*Jos. c. 5.*) ita imprudenter vovit Jephte immolationem filiæ; sed quamquam juramentum illud fuisset imprudenter factum, & cadere posset in rem Lege prohibitam, qualis erat conservatio Gabaonitarum, quos, sicut reliquos terræ Chanaan incolas, Deus occidendos præceperat, tamen juramenti religione obstricti eis pepercere citrà crimen ullum, immo cum magna laude pietatis, ut Augustino, (*q. 13. in Jos.*) Ambrosio, (*3. de Offic. c. 10.*) Theodoreto, (*q. 13. in Jos.*) aliisque Patribus visum est: ergo licet

Digitized by Google

cet Jephte votum fuerit imprudenter emissum, & cadere posset in materiam prohibitam, qualis erat immolatio humanæ victimæ, potuit tamen voto se credere obligatum, & in ejus adimpletione mereri. 6. Quia non adeo certum erat, & liquidum, omnem humanæ victimæ immolationem esse prohibitam; dicitur enim in Levitico: (*c. 27.*) Omne Domino consecratum (hebraicè חרם herem, sive anathema) sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit . . . sed morte morietur. Quam legem, licet aliqui cum Lyra (*in Levit.*) de solis populi Dei hostibus intelligendam velint; alii tamen sine hac limitatione intelligunt, quos inter Calmet. (*ſingul. diss. de hoc argum.*) Quamvis ergo Sacerdotes, ac Legisperitos consuluisset Jephte (ut consuluisse credendum est patrio amore suadente, quidquid Paraphrastes Chaldæus) in eos tamen Doctores incidere potuit, qui censerent, illum voto teneri, nec filiam redimere posse, quod anathema esset, sive res jam Domino consecrata.

19. Omnibus ergo hinc inde pensatis, dicendum videtur cum Suarez, (*tom. 2. de Relig. lib. 2.*) Jephte quidem imprudenti quodam fervore abreptum votum emisisse, ac deinde per conscientiam erroneam (si talis immolatio erat lege prohibita) se ad voti solutionem obligatum credidisse: quam erroneam conscientiam, consultis fortasse Legisperitis, deponere non potuit. Sic enim utriusque partis argumenta conciliari posse, videntur. Concedimus enim primæ sententiæ authoribus, errasse Jephte per imprudentis voti emissionem. Deinde tamen, seu per erroneam conscientiam, seu per austeriores Legis Doctores, ad voti solutionem sese obligatum credidisse, atque adeo non peccasse. Favent huic expositioni nonnihil verba illa Augustini ajentis: (*q. 49. in Jud.*) Si autem Jephte humanum sequutus errorem, humanum sacrificium solvendum putavit, ejus quidem peccatum jure punitum est . . . . Verumtamen hic ejus error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, ut quod voverat, redderet, nec divini in se judicii sententiam declinavit, sive sperans, Deum prohibiturum, sicut fecit Abrahæ, sive ejus non prohibentis voluntatem intellectam facere potius, quam contemnere, statuens.

20. Quod autem ad Lyrani sententiam attinet, verbo me expediam cum Azorio: (*Instit. l. 11. c. 14.*) Probaretur mihi ejus opinio; at constans Patrum sententia plus habere debet ponderis, ac momenti, quam Lyrani, atque aliorum Juniorum ingeniosa interpretatio. In expositione siquidem Scripturarum illud tutissime tenetur, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper. Placet consilium Antonini, (*p. 2. tit. 11. c. 1.*) qui cum illum opinandi modum exposuisset, hæc subdit: Sed ex quo Doctores communiter censent, quod corporaliter eam occiderit, non debemus sapere plusquam oportet sapere,

Digitized by Google

quod fit, dum quis doctrinis ab Ecclesia approbatis, & quæ communiter tenentur, non acquiescit, novas inveniens, quod prohibetur *in Cap. Relatum dist.* 37. Hæc Antoninus.

21. Restat dubium de Samsone: Quî nimirum ab Apostolo possit in Sanctorum numerum recenseri, quum præter alia sibimet mortem intulisse constet? (*Jud. 16.*) Respondet D. Thomas: (*2. 2. qu. 64. art. 5.*) Dicendum quod: sicut Augustinus dicit *1. de Civit. cap. 21.* Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, nisi quia Spiritus Sanctus latenter hoc jusserat, qui per ipsum miracula faciebat: quod ipsum repetit Augustinus in eodem libro, (*cap. 26.*) atque item (*cap. 31.*) contra Gaudentium.

PROPOSITIO VI.

Liber Ruth Canonicus est, sed Authoris incerti.

1. PRima pars propositionis ostenditur. Quia Matthæi Evangelium divinæ authoritatis est, ut infra patebit; sed Evangelium Matthæi seriem generationis ad Phares usque ad Davidem desumit ex libro Ruth. (*c. 1.*) Phares autem genuit Esron &c. ergo. Hoc argumentandi genus, quamvis ex se non adeo firmum, robur tamen habet ex adjuncta traditione, uniformique & Veteris, & Novæ Ecclesiæ consensu. Secunda autem pars ex ipsamet opinionum varietate facile suadetur. Alii enim Samuelem, alii Ezechiam, alii Esdram authorem assignant. Hebræi libri Judicum partem fuisse, putant, alii procemium quoddam libri primi Regum, cui sententiæ favet Calmeti observatio, nimirum, nonnullas in hoc libro loquutiones inveniri, quæ non nisi in 1., & 2. Regum inveniuntur, ut illa: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat. Et item revelare auriculam, pro admonere.

2. Unum est quod in hujus libri authoritatem objici posse, videatur, nimirum. Quum ab exitu ex Ægypto usque ad templi molitionem anni fluxerint 480., *ut ex 2. Regum* habetur, demptis annis Moysis 40., duobusque, aut circiter Josue, tum Davidis 70., & Salomonis tribus, residui erunt ab expugnatione Jerichuntis usque ad nativitatem Davidis anni 365. quod temporis intervallum, non videtur quatuor dumtaxat generationibus impleri posse, quas ibidem Sacer Author commemorat. Vidit hanc difficultatem alios inter Usserius Armachanus, qua, ut se expediat, supponit, Rahab vicennariam fuisse, quando Jerichuntem Israelitæ expugnaverunt, & post annos inde quadraginta peperisse Booz. Hunc anno vitæ suæ 102. genuisse Obed, qui anno vitæ suæ centesimo undecimo genuerit Jesse. Jesse au-

Digitized by Google

autem ejusdem ætatis, aut circiter, genuisse Davidem. Hæc hypothesis nec Calmeto displicuit, nec Lamio, qui & eandem tribuit Heideggero; displicet autem Natali Alexandro, cui absurdum videtur in una, eademque familia tot, adeoque tardas generationes comminisci, putatque, (*dis. 22. in 4. M. ætat.*) sicut in Matthæi Evangelio, ita hic nonnullas generationes, mysterii causa, omissas fuisse. Obstat tamen, quia in Matthæo hoc admittere cogimur, quoniam generationes ibi omissæ, aliunde ex libris sacris habentur; at inter Salomonem, & David nusquam alia inseritur, quum ejusdem quater in diversis libris mentio fiat. Adde, aliquid fortasse subtrahendum in eis numeris, qui rotunde enunciantur, ut in 70. Davidis. Quid si etiam Rahab minoris erat ætatis? Quid si eorum aliquis, ut Booz, multo erat senior, quam supponit Usserius? Ait enim textus: Et ingressus est ad eam (Ruth) & dedit ei Deus, ut conciperet, & pareret filium. (*Ruth. c. 4.*) Qui loquendi modus innuere videtur, non fuisse omnino naturale, sed singulare Dei donum, ut conciperet; at non ex parte Ruth, quæ juvenis erat: ergo ex parte Booz. Quum autem eo tempore adhuc ultra centum annos vita hominum non raro extenderetur, non est credibile, hominem annorum 90. jam fuisse infœcundum: atque adeo longe ultra centesimum annum Booz progressus erat. Vide quæ fuse Serarius in hunc locum diseruit. (*Ruth. c. 4.*)

PROPOSITIO VII.

Libri quatuor Regum Canonici sunt; Author non omnino certus.

1. PRima pars constat ex testimoniis, & locis horum librorum; quæ in aliis libris Scripturarum usurpantur, quorum longum catalogum texit Natalis Alexander. 2. ex consensione Synagogæ, atque Ecclesiæ in iis legendis, ac recipiendis. Circa secundam partem nihil ex Scripturis erui potest. Communior est opinio, librum primum, & partem secundi ab Samuele conscriptos esse; reliquam vero partem ab Nathan, & Gad Prophetis, *ut ex 2. Paralipomenon* colligi videtur. Theodoretus (*præfat. in lib. Regum*) tam duos primos, quam reliquos, ex libris Prophetarum, seu suorum temporum annalibus excerptos esse putat, in cujus sententiæ confirmationem illud adducitur: (*1. Reg. c. 9.*) Qui enim Propheta hodie dicitur, olim vocabatur videns. Et illud de limine Dagonis non calcato usque in præsentem diem. Verum ista levia sunt, & responderi posset, ut supra in similibus. Graviores multo solvendæ difficultates his

in

in libris sunt, & quæ Interpretum ingenia diu, multumque torserunt.

2. Prima nascitur ex illis verbis: (*1. Reg. c. 13.*) Filius unius anni erat Saul, quum regnare cœpisset: quæ proprio, ac litterali sensu accipi non posse, manifestum est. Canus (*lib. 11. c. 5.*) cum aliis existimat, mendum irrepsisse, legendumque: Filius viginti unius anni. Verum neque credendum est, omnes Codices Hebræos, Græcos, & Latinos æque esse corruptos, neque id cum ætate Isboseth, & Jonathæ filiorum Saulis componi posse videtur, inquit Natalis Alexander. (*Hist. 4. ætat. c. 4.*) Paraphrastes Chaldeus addendum censuit *quasi*, ut hunc habeat sensum: filius quasi unius anni, id est, ea morum simplicitate, atque innocentia erat Saul, quum regnare cœpisset, quasi puer unius anni. Quam interpretationem Rabbinus Salomon (*ap. Glos.*) sequutus est, eamque adoptarunt Theodoretus, (*q. 26. in Reg.*) Author Questionum in libros Regum inter Opera Hieronymi, (*in 1. Reg. sicut reliqui.*) Authorque Commentarii in eosdem inter Opera Gregorii, Eucherius, Rupertus, & Mystici Expositores communiter. Hæc tamen expositio litteralis non est, nec aliis similibus eorumdem librorum loquutionibus accomodari posset, ut quum dicitur: (*2. Reg. c. 5.*) Filius triginta annorum erat David, quum regnare cœpisset &c. Hebræorum nonnulli tò *Saul* accipiunt in dativo casu, ut sensus sit: Erat Sauli filius unius anni, scilicet Isboseth, qui ejus filius duobus annis regnavit super Israel, ut deinde habetur in 2. Regum. Sed hic exponendi modus, quum methodum temporis computandi assumat in Scripturis inusitatam, nec aliis similibus loquutionibus aptari possit, rejicitur merito. Azorius ita exponit. (*lib. 6. c. 57.*) Filius unius anni erat Saul, quum regnare cœpisset, id est, unus annus effluxerat, ex quo fuerat electus, unctusque in Regem, seu ex quo regnare cœperat, regnavitque aliis duobus annis, & elegit &c. Ita R. David, quem sequitur Vatablus, & Natalis loc. cit., ubi pro hac sententia Recentiores optimæ notæ Interpretes recenset, videturque reliquis omnibus commodior explicatio, cui textus Hebraicus, faventque Versiones Syriaca, & Arabica, necnon Latina in antiquissimis Codicibus Alexandrino, Romano, & Londinensi, ubi illa verba: *duobus autem annis regnavit super Israel*, non cum puncto, aut *colore* perfecto postposito, sed cum *Commate* leguntur, ut notavit citatus Azorius. Hebraicè enim sic legitur: Filius unius anni erat Saul in regnando ipsum. Syriacè vero: Quum anno uno, vel duobus regnasset Saul, elegit &c. Idemque ferè Arabicè. Qua expositione retenta, habetur etiam solutio ad aliam non minus difficilem quæstionem inde exortam. Dicitur enim

enim de Saule: (*1. Reg. c. 13.*) duobus autem annis regnavit super Israel; quod stare non videtur cum testimonio Pauli dicentis: (*Act. 13.*) Et dedit illis Saul filium Cis annis quadraginta. Patet, inquam, solutio, quia eo loci non computantur anni omnes Regni Saul, sed ii solum, qui præcesserant, antequam sibi satellites in corporis custodiam eligeret. Josephus (*6. Antiq. c. ult.*) Samueli ante Saulis unctionem annos undecim, cum Saule annos duodeviginti, & Sauli post Samuelis mortem annos decem assignat. Tirinus (*in Chronol.*) duos annos regnasse Saulem mordicus tenet, & quadraginta Pauli annos cum Josepho de Samuelis præfectura, & Saulis regno simul interpretatur.

3. Secunda difficultas est hujusmodi: Asa Rex Judæ sextus regnasse, dicitur, (*3. Reg. 15.*) annis 41., & anno regni ejus 26. mortuum esse Baasam Regem Israel: (*3. Reg. 16.*) quod stare non potest cum eo, quod dicitur in 2. Paralipomenon, (*cap. 16.*) nimirum Baasa cœpisse ædificare Rama anno 36. Asæ Regis Juda. Author Systematis Chronologici inter Opera Menochii putat, (*dissert. 8.*) in 3. Regum computari annos Asæ ex eo tempore, quum solus regnare cœpit; in secundo autem Paralipomenon ab eo tempore, quo simul cum Patre Abìa ab avo Roboamo in regni consortium fuerat assumptus. Sed hæc gratis conficta esse videntur, sicut alia ejusdem Authoris plurima. Canus (*lib. XI. c. 5.*) locum Paralipomenon corruptum esse, voluit. Azorius sic rem explicat: (*lib. 6. c. 55.*) Baasa cœpit ædificare Rama anno trigesimo sexto regni Asa, id est, anno 36. regni Juda, ubi regnabat Asa, vel (quod in idem recidit) illud *regni ejus* positum est pro *regni sui*, quod in Scripturis non insuetum. Cœpit igitur Baasa ædificare Rama anno 36. regni sui, id est, regni Israel, cui ipse præerat. Lyranus existimat, (*in 2. Paralip. c. 16.*) ibi computari annos, non ab exordio regni, sed ab insigni victoria de Æthiopiæ Rege Zara reportata. Solutio Azorii planior est, ac simplicior, quam tenet etiam Natalis, (*hist. 5. ætat. c. 1. art. 2.*) nec omnino abhorret Calmetus, quamvis in mendum potius inclinet.

4. Obiter hic diluenda circa Asam Regem illa duo: 1. Mater Abiæ dicitur in 3. Regum (*cap. 15.*) fuisse Maacha filia Abessalomi, sive Absalomi: & in 2. Paralipomenon (*cap. 16.*) dicitur, fuisse Michaja filia Uriel de Gabaa. Dicendum, in aliquo ex iis locis filiam pro nepte intelligendam, sicut intelligi necesse est in eodem Regum 3., quum eadem Maacha dicitur & mater Abiæ, & mater Asæ filii sui. Ibi enim *mater* pro *avia* ponitur. Simile quid occurrit apud Homerum, ubi & uxor Diomedis, & ipsius mater filia Adrasti dicta invenitur. 2. de eodem Asa dicitur, (*2. Paral. 16.*) & Excelsa abstulis-

Digitized by Google

lisse, & Excelsa non abstulisse . (*3. Reg. 15.*) Abstulit siquidem Excelsa Idolorum peregrinis cultibus consecrata ; Deo vero consecrata non abstulit: in quo nonnullius criminis reus fuit.

5. Tertia difficultas talis est: Anno quarto Achab Regis Israel dicitur, (*3. Reg. 22.*) regnare cœpisse in Juda Josaphatum, & anno hujus 17. regnare cœpissæ in Israel Ochoziam Achabi filium, & regnasse duos annos, eosque non completos: ergo mortuus est Ochozias anno 18., aut ineunte 19. regni Josaphati : ergo hic cum regnaverit annos 25., sex, aut septem annis superstes fuit Ochoziæ : ergo Joramus Ochoziæ frater regnare cœpit in Israel, vivente adhuc Josaphato, quum nullum ibi notetur interregnum : at in 4. Regum (*cap. 1.*) dicitur, regnare cœpisse Joramum fratrem Ochoziæ in Israel anno secundo Jorami filii Josaphati, qui regnabat in Juda: ergo annus 19. Josaphati Patris, & annus secundus Jorami filii Regis Juda idem est annus, atque adeo simul pater, filiusque regnabant. Item: Ex eodem textu (*cap. 8.*) habetur, Joramum Regem Juda regnare cœpisse anno 5. Jorami Regis Israel ; sed Joramus Rex Israel regnare cœpit anno secundo Jorami Regis Juda : ergo Joramus Rex Israel regnaverat quinque annos ante Joram Regem Juda, & regnare non cœpit, nisi duos annos post Joramum Regem Juda: quod absurdum est. 3. Præterea: Joramus Rex Juda dicitur, regnare cœpisse anno 5. Jorami Regis Israel, & Josaphati Regis Juda: ergo idem est annus quintus Josaphati, & Jorami Regis Israel : ergo simul regnarc cœperant ; sed Joramus Rex Israel regnare cœpit anno 19. Josaphat Regis Juda, in quo mortuus fuerat Ochozias, ut supra habitum est: ergo initium regni Josaphati est annus decimus nonus regni ipsius Josaphati: quod absurdum est. Hæc ita exponere volui, ut clariori methodo, & tota cerneretur difficultas, & ejusdem facilis solutio elucesceret.

6. Ad primum enim totum concedimus, scilicet annum 19. Josaphat esse annum secundum Jorami filii ejus, nam hic anno 17. regni Patris sui in regiminis consortium fuerat adscitus, patre ad bellum Syriacum profecto. Deinde post tempus aliquod, quum plures haberet filios Josaphat, essetque ipse jam senior, dedit eis multa munera argenti, & auri, & pensationes cum Civitatibus munitissimis in Juda. Regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus, ut habetur Paralip. 2. (*cap. 21.*) Contigerint hæc autem anno ante mortem Josaphati, & regni sui 24., eritque Joramus Rex Juda solemni more renuntiatus anno quinto Jorami Regis Israel, qui regnare cœperat, ut statutum est, anno 19. Josaphati, & 2. Jorami Regis Juda simul cum Patre regnantis. Ex quo patet solutio ad secundum, quod absurdissimum videbatur. Ad tertium respondet Natalis (*hist.*

5. ætat.

Digitized by Google

5. ætat. c. 1.) ibi numerari annum quintum Josaphati non ab exordio regni, seb ab confecto bello Samaritico. Verum hæc solutio pure arbitraria est, nec Scripturæ in his libris stylo conformis. Dicendum potius, illum annum quintum referri ad Joram Regem Israel, non ad Josaphatum, quasi sensus sit: regnante in Juda Josaphato, & in Israel Joramo, anno hujus quinto, sive intelligendum de annis quinque Jorami Regis Israel, qui coinciderunt cum totidem annis Josaphati, nam priores quinque anni Jorami fuerunt Josaphati posteriores quinque.

7. Quanto impugnari potest divina horum librorum authoritas hac argumentatione: Triginta duorum annorum erat Joram, cum regnare cœpisset, & octo annos regnavit. (*4. Reg. 8. & 2. Paral. c. 21.*) Vixit ergo annos totos quadraginta; sed filius ejus Ochozias, qui ei proxime suffectus est, quadraginta duorum annorum erat, quum regnare cœpisset: (*2. Paral. c. 22.*) ergo filius toto biennio senior fuit patre suo: quod est manifeste absurdum. Nodum hunc inextricabilem putavit Author Quæstionum in libros Regum, quæ habentur inter Opera Hieronymi. Aliam solutionem invenies apud Lyram, (*in eum loc.*) aliam apud Genebrardum, aliam apud Azorium; (*loc. cit. q. 5.*) nulla tamen ad placitum. Usserius, Cajetanus, Menochius, Petavius, Salianusque, quos refert, sequiturque Natalis Alexander, (*loc. cit.*) in textu Paralipomenon mendum irrepsisse putant, legendumque *viginti duorum*, sicut in 4. Regum (*cap. 8.*) legitur. Atque ita habetur in editione Septuaginta Interpretum Sixti V. Pontificis Maximi jussu, quanta adhiberi potuit diligentia elaborata, itemque in Versionibus Syriaca, & Arabica, & in MS. Cantabrigiensi, atque Oxomiensi. Non ergo adeo certum est, quod Azorius scripsit, omnes tam Hebræos, quam Græcos, & Latinos Codices in ea lectione convenire.

8. Arguitur 5. Anno quintodecimo Amasiæ Regis Juda regnavit Jeroboam in Samaria annis 41., (*4. Reg. 14.*) ejusque anno 27. dicitur, regnare cœpisse Ozias, qui & Azarias Rex Juda. At Jeroboam statim successit Patri Joaso: ergo annus quintus decimus Amasiæ fuit annus emortualis Joasi; sed post mortem Joasi Amasias solum vixit annos 15. (*2. Paral. 25.*) ergo annus trigesimus Amasiæ, qui erat decimusquintus Jeroboami, est initium regni Oziæ, & non annus 27. Jeroboami, ut 4. Regum dicitur. Nego ultimam minorem, & clarescunt omnia, aut eam explico: Vixit solum 15. annos in Jerusalem, & in regni administratione, concedo; vixit omnino, nego. Reticentur ibi enim anni decem, aut undecim, quos latuit profugus in Lachis conjuratione in se facta, ut viderunt Lyra, Paludanus, & author Systematis Chronologici inter Opera Menochii. Aliter hunc nodum

Digitized by Google

dum solvit Natalis Alexander; (*diſ. 8. in 4. ætat.*) sed præfata solutio magis placet, juxta quam, si annis Amasiæ 25. addas annos duos, quibus Jeroboamus, ut fert Hebræorum traditio apud Lyram, simul cum Patre regnavit Joaso, habebis annum 27. pro initio regni Oziæ.

9. Arguitur 6. Viginti annorum erat Achaz, quum regnare cœpisset, (*4. Reg. 16.*, *& 18.*) sexdecim autem annos regnavit: mortuus est ergo anno ætatis suæ 36; sed Ezechias ejus filius, qui ei statim successit, erat annorum 25. quum regnare cœpit: ergo Achaz anno ætatis suæ undecimo genuit Ezechiam, quod videtur absurdum. Plures sunt hac in re opinandi modi. Hieronymus (*Epiſt. ad Vital. apud Natal.*) miraculum agnoscit. Natalis hæret. Sunt qui mendum irrepsisse putent. Calmetus absurdum plane devorat, quod quamvis rarissimum, tamen evenire nonnumquam posse, nemo negaverit. Vidimus enim (*an. 1741.*) Angelopolitanum puerum duodennem matrimonio ligatum in contradictorio (ut vocant) judicio, obtenta a Metropolitano contra Vicarium Generalem Sede-Vacante sententia. Accedit, potuisse numerum perfectum, & rotundum pro imperfecto poni, ita ut Achaz, qui dicitur vigesimus annus, fuerit 21. cum aliquot mensibus; & qui dicitur Ezechiæ vigesimus quintus, sit vigesimus quartus vix completus. Regnaverit Achaz 16. annos cum mensibus novem, intercesserintque ab ejus morte usque ad solemnem Ezechiæ proclamationem menses tres, aut quatuor: habebisque annos quindecim Achaz ante natum Ezechiam.

10. Pari facilitate illud aliud explicatur: Osee Rex Israel regnare cœpit anno vigesimo Joatham Regis Juda; (*4. Reg. 30.*) at Joathan Rex Juda solis annis 16. alibi habetur. (*4. Reg. 15.*) Dicendum, primo loco poni annum vigesimum Joatham pro 4. Achaz, cujus nullam adhuc fecerat mentionem sacer Historicus. Est igitur sensus: Viginti anni effluxerant ab initio regni Joathan Regis Juda, quum Osee regnare cœpit in Israel. Pro aliorum hujusmodi solutione has habeto regulas ex Lyrano, Authore Systematis Chronologici, & aliis. Primam: de duplici initio regni. Secundam de annis incompletis, aut incœptis pro integris, sive de rotundis pro fractis. Tertiam de interregnis. Quartam de conjurationibus, quibus possessio regni interrumpitur, aut turbatur. Quintam de omissione annorum, quibus impie quid factum: qua tamen non libenter uterer. Sextam denique de corruptione textus, quando id ex alterius loci authoritate evidenter patet, nec alii interpretationi locus est. Juxta primam regulam explicandum est illud: (*2. Paral. 36.*) Octo annorum erat Joachin (qui & Jechonias) quum regnare cœpisset, nimirum quum a Patre suo Joachimo hæres regni solemniter est renuntiatus, cum quo de-

decem annis regnavit, itaque undeviginti erat annorum, quum solus regnare cœpit, ut habetur ex Regum 4. (*Cap. 24.*) Sic Lyranus, (*in loc. Paral. cit.*) & Azorius. (*lib. cit. q. 5.*) Aliter Genebrardus apud ipsum. Canus mendum agnoscit. (*lib. 11. c. 5.*)

11. Præter has Chronologicas difficultates, aliæ restant haud levis momenti, quas brevi calamo percurremus. Prima est de ostensione animæ Samuelis: An scilicet vera fuerit Samuelis anima, an sub figura ejus assumpta nequam spiritus? Tenendum omnino est, veram fuisse Samuelis animam. Dicitur enim de ipso Samuele: (*Eccli. 46.*) Post hoc dormivit, & notum fecit Regi finem vitæ suæ: atque ita intellexisse videntur Justinus, (*in dial. cum Tri.*) Origenes, (*in 1. Reg. 28.*) Ambrosius, (*in 1. Luc.*) Severus Sulpitius, (*1. hist. sac.*) Zeno Veronensis, seu quis est author Sermonis de Resurrectione inter ejus Opera, authorque item Carminis in Marcionem sub nomine Tertulliani.

12. Dices tamen: Augustinus, cujus verba habentur in cap. *Nec mirum* 25. q. 5., atque ex eo D. Thomas (*1. p. q. 89. a. 4.*) dubitant, an fuerit ficta Samuelis species: idque apertissimè tuentur verus Tertullianus, (*lib. de Anim. c. 57.*) Eustathius, (*lib. de Engastri.*) Basilius, (*in cap. 8. Isai.*) Hieronymus, (*in cap. 7. Isai.*) Cyrillus Alexandrinus, (*lib. 6. de ad. in sp.*) Theodoretus, (*q. 63. in 1. Reg.*) Philastrius, (*de hær. c. 26.*) Procopius, (*in 1. Reg. 28.*) Anastasius Synaita, (*quæst. 39.*) Isidorus Hispalensis, (*8. de Orig. c. 9.*) Rupertus, (*in 17. 1. Reg.*) & alii. Respondeo, Augustinum in eo loco, qui habetur etiam in Glosa Ordinaria ex quæst. 3. ad Simplicianum, in eam partem potius inclinare, ut credat, veram fuisse Samuelis animam: quod adhuc disertius tenuit (*in lib. de Cura pro mortuis cap. 15.*) fultus potissimum adducto Ecclesiastici testimonio. Quod si aut ille, aut D. Thomas utrumque dicendi modum ut probabilem reliquerunt, hoc ideo fuit, quia sciebant, non apud omnes receptum eo tempore fuisse librum Ecclesiastici. Unde Augustinus: sed si huic libro, inquit, ex Hebræorum Canone, quia in eo non est, contradicitur &c. Et D. Thomas (*1. p. q. 8. cit.*) Vel illa apparitio fuit procurata per Dæmones, si tamen Ecclesiastici authoritas non recipiatur, propterea quòd inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non invenitur. Salva igitur Ecclesiastici authoritate, ea secunda opinio substineri non potest, nec eam laudati omnes Patres, & Catholici Scriptores tenuissent, si Ecclesiastici liber eo tempore ab omni Ecclesia receptus fuisset. Ad ita loquendum moveor Augustini authoritate antè dicta verba ita scribentis: Sed quam non frustra dixerim pedetentim nos in hac re gesta simulatam Samuelis animam, sive imaginem maligno Pythonissæ ministerio præsen-

Digitized by Google

sentatam existimare debere, mea posterior inquisitio declaravit, quando inveni in libro Ecclesiastici .... ipsum Samuelem sic fuisse laudatum, ut prophetasse diceretur mortuus. Sed si huic libro &c.

13. Jam verò, si fuit vera Samuelis anima, quî potuit magicis artibus evocari? Deliramentum enim est, immò stupor immanis putare, Prophetæ animam revera frigidis scelestissimæ mulierculæ carminibus ex attributis sibi sedibus fuisse detractam, inquit citatus Cyrillus. Respondeo cum D. Thoma ore omnium Patrum, quorum hac in re summa est concordia, animam Samuelis non arte mulieris illius, sed Dei voluntate, & mandato Sauli apparuisse. Nec obstat, quod ante Dæmonum hoc dicitur factum; quia & si Dæmones animam alicujus Sancti evocare non possunt, neque cogere ad aliquid, potest tamen hoc fieri divina virtute, ut dum Dæmoni consulitur, ipse Deus per suum nuntium veritatem enuntiet, sicut per Eliam veritatem respondit nuntiis Regis, qui missi fuerant ad consulendum Deum Accaron. Hæc D. Thomas, (*2. 2. q. 174. a. 5.*) qui etiam ibi explicat, quomodo illa Samuelis vera fuerit prophetia. Opponi verò in hanc Patrum, & D. Thomæ solutionem posset: Quia si Pythonissa suas artes exercente, Deus Samuelem suscitavit, divina operatio Sauli, & spectatoribus reliquis hanc nescientibus, erroris occasio esse potuit, tamquam iis, qui non divinæ virtuti, sed mulieris incantationibus factum illud tribuebant. Respondet Alapide, (*in eum loc.*) Deum prævenisse Sagæ operationem, ne ejus artibus, & præstigiis factum tribui posset. Addit Calmetus, (*dis. sing. de Python.*) ex ipso stupore, & pavore fœminæ satis ostendi, id non sua, sed altiori virtute factum esse. Ait enim: Deos vidi ascendentes de terra, tamquam novum quicquam, & sibi insolitum admirata, quum tamen mortuorum ostentis assueta esset, unde dixerat prius: Quem vis, ut tibi suscitem? Vide Calmeti dissertationem citatam, & Natalis Alexandri *23. in 4. Mundi ætatem.*

14. Secunda est difficultas in verbis illis: (*3. Reg. 8. & 2. Paral. 5.*) In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb. At in Epistola Pauli ad Hebræos, (*cap. 9.*) quæ Canonica est, ut infra dicetur, sic scriptum est: Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua erat urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti. Explicant hæc nonnulli ita, ut Apostolus loquatur de tempore Moysis, non de tempore Salomonis, de quibus in 3. Regum. Alii, ut de suo tempore loquatur, ut Theophilactus, sic ut tempore Pauli ea omnia ibi continerentur, sive ab Jeremia, sive ab alio reposita, quæ tempore Salomonis non fuerant. Alii sic exponunt, fuisse in Arca, id est, prope arcam, sive in scriniis, ut

Ly-

Lyra inquit, (3. *Reg.* 8.) ad latus arcæ. Utramque solutionem adhibet Natalis Alexander. (*dis.* 5. *in* 4. *at.*) Nec longe abest Azor, apud quem illud, *in qua* non referendum ad arcam, sive κιβωτον, sed ad tabernaculum, quod Græcè dicitur σκηνη fæminini generis: quæ Græca genera Latinum Interpretem servare solitum patet ex illo: (*Gen.* 3.): Ipsa conteret caput tuum, quod non ad mulierem, sed ad semen referendum esse ex Græco patet, & aliis pluribus exemplis, quæ apud ipsum videre poteris.

15. Denique nonnulla sunt in Regum libris, quæ Matthæi Evangelio videntur esse contraria. Nam 1. Matthæus (*cap.* 1.) inquit, Joram genuisse Oziam. Hoc autem falsum apparet ex libro 4. Regum, (*cap.* 8.) ex quo habetur, Joram genuisse Ochoziam, hunc Joas, Joas Amasiam, istumque Oziam. 2. Ibidem dicitur, Josiam genuisse Jechoniam; at Jeconias non Josiæ, sed Joachimi filius fuit, ut habetur in 4. Regum. (*cap.* 24.) 3. Dicitur, Josiam genuisse &c. in transmigratione Babilonis, quum longè ante diem suum obiisset. Ad horum primum Hilarius, (*in c.* 1. *Mat.*) & Hieronymus (*ibid.*) respondent, illas tres generationes mysterii causa in Evangelio fuisse omissas, quia Matthæi propositum erat, tres tessara decades in diverso temporum statu ponere, & Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabel. Idcircò usque ad tertiam generationem stirpis ejus memoria tollitur, ne in sanctissimæ nativitatis ordine poneretur. Addit Hilarius, postquam eadem fusius explicuerat: Nullus error esse poterit scientibus, non eam solum esse Domino nostro JESU CHRISTO originem, quæ cœpit ex Maria. Vide hanc solutionem, & mysterium tessaradecadum à D. Thoma explicatum. (3. *p. q.* 31. *a.* 3.) Ad Secundum facilior est responsio, Joachimum filium Josiæ etiam vocatum fuisse Jechoniam, ut Ambrosius, (*in Luc. lib.* 3.) Hieronymus, (*loc. cit.*) & Epiphanius (*hæres.* 6.) observarunt. Epiphanius tamen Jechoniam primum cum Sellum, & secundum cum Sedecia confundit, ut Petavius in suis animadversionibus adnotavit. Ad tertium dicitur, Jechoniam primum, sive Joachimum propè transmigrationem genitum esse: quod ad veritatem illius loquutionis satis erat. Vide Glossam desumptam ex Hieronymo in 36. Paralipomenon, ubi horum nominum Joacim, & Joachim ex Hebræo diversitatem notat. Legendus item D. Thomas loco citato ad tertium, ubi etiam opinionem tangit Augustini de eodem Jechonia mysterii causa repetito. Alias difficultates prætermittimus, quia non hic Scripturæ Interpretem, sed Dogmaticum Theologum agimus, eaque diluere scopus nobis est, ex quibus in Sanctorum librorum authoritatem argumentari quisquam posset.

PROPOSITIO VIII.

Libri duo Paralipomenon Canonici ſunt, Author incertus.

1. PRima pars hujus propoſitionis oſtenditur, ut præcedentes, ex communi omnium veri Dei cultorum in utraque lege conſenſu, & ex nonnullis eorum verbis, quæ in aliis ſacris libris inveniuntur, ut illud v. g. (*2. Paral. c. ult.*) Anno autem Cyri primo &c., quæ leguntur in primo Esdræ, (*cap. 1.*) quem Canonicum item eſſe, alibi demonſtrabitur. Item illud in 1. Petri, (*cap. 1.*) de cujus divina authoritate infra conſtabit: Non eſt perſonarum acceptor Deus, (*ex 2. Paralipomenon cap. 19.*) deſumptum videtur, ſicut etiam pars genealogiæ Chriſti Domini noſtri Matth. 1.

2. Liber hic ex Regum Juda commentariis, priſciſque monumentis ſcriptus videtur poſt Captivitatem Babilonicam, ut probant cum Natali (*dis. 7. in 6. at.*) Calmetus, (*in præfat.*) Gottiuſque, (*tract. 4. c. 4. §. 1.*) quibus etiam veroſimilius videtur, Esdram eorum eſſe authorem, nec tamen id prorſus affirmant. Hebraicè dicitur דברי הימים Divre hajamim, ſive Verba dierum, non quod hunc librum eundem cum illo eſſe putent, qui hoc nomine toties ibidem citatur, ſed fortè quòd illius velut epitome, aut Breviarium ſit. Grecè Παραλειπομένων, ſeu prætermiſſorum appellatur, eſtque librorum Regum veluti appendix, aut ſupplementum quoddam. Apud Hebæos unus eſt liber, cujus molem in duos diviſerunt Latini, immò & Rabbini Recentiores. Primus hiſtoriæ Sanctæ per generationes deductæ ſeriem complectitur uſque ad Davidis mortem. Secundus ab Salomonis exordio uſque ad ſolutam captivitatem, quamobrem merito Hieronymus: (*Ep. ad Paulin.*) Paralipomenon liber, inquit, Inſtrumenti Veteris Epitome tantus, ac talis eſt, ut abſque illo ſiquis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina, juncturaſque verborum, & prætermiſſæ in libris Regum tanguntur hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Evangelii quæſtiones. Vide in eoſdem libros citatam Calmeti præfationem.

3. Graviores, quæ objici poſſunt, difficultates præoccupatæ jam ſunt propoſitione præcedente. Reſtant tamen nonnullæ horum librorum propriæ, de quibus nunc agendum. Arguitur enim 1. Quia in *1. Paralip.* dicitur, Salathiel Babilone genitus, quod cum Matthæo pugnat, ajente: (*c. 1.*) Et poſt transmigrationem Babilonis Jechonias genuit Salathiel 2. *in primo Paralipomenon* dicitur: De Phadaia orti ſunt Zorobabel, & Semei. At apud Matthæum (*ibid.*) Salathiel ge-

nuit

nuit Zorobabel. 3. Ibi inter filios Salathielis non recensetur Abiud, quem Matthæus (*ibid.*) ejus filium fuisse, dicit. 4. Ibi dicitur, (*Paral.* 3.) Salathiel filius Jechoniæ; at Lucas (*c. 3.*) inquit, fuisse filium Neri: ergo libri Paralipomenon Canonici non sunt.

4. Horum primum eſt levissimum. Nam quum Matthæus fuisse, inquit, genitum poſt transmigrationem, significat fuisse genitum, postquam in Assyriam captivi ducti sunt Israelitæ. Ad 2. est multiplex responsio. 1. potuisse Phadajam, & Salathielem filios habere cognomines. 2. Fortè Salathiele sine liberis mortuo, fratrem Phadajam jure levirationis ejus viduam duxisse, & ita natum puerum filium defuncti Salathielis dici, ut ex aliis locis Scripturarum patet. (*1. Esd. 3. Aggæi 1.*) Hæ duæ responsiones verosimiliores sunt, quam illa Natalis ajentis, duos fuisse Zorobabeles, alium de quo in 1. Paralipomenon, alium de quo in 1. cap. Matthæi. Ad 3. dicitur, non omnes Zorobabelis filios ibidem recenseri, sed eos dumtaxat notiores, atque eo tempore clariores inter Hebraicas familias, uti ipse observavit Natalis. Ad 4. denique dic cum Suario, (*t. 2. in 3. p. disp. 2. sect. 3.*) & Natali eodem, (*dis. 9. in 6. æt.*) Salathielem, de quo Lucas, esse omnino diversum ab eo, de quo hic, & Matthæi 1.

5. Agendum autem etiam hic videtur de annis Captivitatis Babilonicæ, cujus & initium, & exitus his in libris habetur. Pro solutione gravissimæ hujus difficultatis supponendum est 1., quatuor (*2. Paral. 36.*) clades ab Chaldæis subiisse Judæos, duas sub Joachimo, tertiam sub Joachino, aut Jechonia, quartam sub Sedecia. Supponendum 2. tanquam indubitatum, captivitatem solutam esse anno primo Cyri, ut constat ex apertis Scripturarum testimoniis *2. Paralip. 36.*, *& 1. Esdr. cap. 1.* tum Isaiæ *44.* Ipse ædificavit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet. Difficultas ergo solum stat in assignando initio septuaginta annorum, quos Jeremias Propheta prædixerat. Duæ sunt celebriores sententiæ: altera, quæ initium sumit ab invasione Chaldæorum tertia, & Joachini, sive Jechoniæ deportatione anno Nabuchodonosoris octavo. Altera, quæ ab undecimo anno Sedeciæ, & Nabuchodonosoris undevigesimo. Primam sequuntur apud Natalem Alexandrum Josephus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus cum Recentioribus plurimis. Ipse tamen Natalis (*Dissert. 3. in 6. Mund. ætat.*) cum Severo Sulpitio, Lyra, & Vatablo ab anno Joachimi quarto, Nabuchodonosoris primo Captivitatis, initium ducendum existimat: desolationis vero ab anno Sedeciæ undecimo, Nabuchodonosoris undevigesimo. Hanc divisionem annorum Captivitatis, & Desolationis primus induxisse videtur Theodoretus, (*in cap. 9. Daniel, & in 1. Zach.*) nec

 dis-

displicuit Azorio, quamvis ipse rem in medio relinquat ; displicuit tamen Cano, non quidem annorum captivitatis, & desolationis distinctio ; sed eorum computandorum ratio. Ab anno enim Cyri primo, usque ad secundum Darii Histaspis plusquam triginta anni non fluxerunt. Nullo ergo modo fieri potest, ut a trasmigratione Jechoniæ ad annum primum Cyri anni septuaginta numerentur, ab desolatione item ad annum Darii secundum alii septuaginta, quum desolatio incœperit post transmigrationis annum undecimum. Hæc ille : quæ in Natalem Alexandrum hujus opinionis fautorem magis urgent. Fatentur enim omnes, cogente Scriptura, Nabuchodonosorem post Urbis devastationem annos 26. imperasse, quum anni triginta, & septem effluxerint a deportatione Jechoniæ ad primum Evilmerodachi. Deportatus autem fuerat Jechonias anno Nabuchodonosoris octavo. Regnavit ergo Nabuchodonosor annis 45. At Natalis annos 43. ipsum regnasse, existimat : ex quibus demptis 19., restabunt 24. His adde Evilmerodachi duos, Nerigl-assaris quatuor, Balthassaris tres, Nabonidis 17., Cyri 9., Cambysis 3., Darii 2., ut ipse Natalis computat : eruntque ab initio desolationis, sive Nabuchodonosoris 19., usque ad annum Darii secundum anni 64. Quomodo ergo anno Darii secundo dicere potuit Zacharias : (*c. 1.*) Iste jam septuagesimus annus est, quibus ille verbis suam confirmat sententiam ?

6. Equidem existimo, annos Captivitatis numerandos ab anno Nabuchodonosoris undevigesimo ad annum Cyri primum. Siquidem Captivitas incœpisse dicenda est ab eo anno, in quo impletum vaticinium Jeremiæ ajentis : (*cap. 25.*) Ecce ego adducam Nabuchodonosor super terram istam, & super omnes habitatores ejus, & super omnes nationes, quæ in circuitu ejus sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudinem sempiternam, sed hæc omnia impleta non fuerant usque ad annum Sedeciæ undecimum, & Nabuchodonosoris undevigesimum : ergo ab eo captivitatis anni computandi sunt. Deinde ab eo anno usque ad primum Cyri anni 70. secundum veriorem Chronologiam computantur : ergo. Minor hæc ostenditur : siquidem Nabuchodonosori post Hierosolymitanum excidium annos imperii sex supra viginti tribuendos esse constat ex Scripturæ testimonio. Similiter plusquam tres dandos Balth-assari constat ex Danielis 8., ubi tertius ejus annus memoratur. Dario Medo, quem Nabonidem eundem esse, plures existimant, annos duodeviginti tribuunt Berosus, Megasthenes, ex quibus Severus Sulpitius. At in rebus Babilonicis Berosi, ac Megasthenis fragmenta magnæ esse authoritatis, omnes fatentur. Habemus igitur annos septem, & quadraginta. Supersunt ergo anni dumtaxat 23., in quibus Evilmerodachus, Reg-assanus, Lab-Assar, Dachusque regna-

Digitized by Google

verint. Quot autem annos quisque regnaverit, ex humana atque obscura pendet historia, & certi nihil, non jam statui, verum nec conjici quidem potest. Evilmerodacho (ut de aliis taceam) Hebræi 20., aut 23. annos assignant, Berosus & Megasthenes apud Josephum 18., Severus Sulpitius 12., Joannes Lucldus, atque Annius 30., Eusebius, & Abydenus apud ipsum duos dumtaxat. Quid in tam immani varietate vel conjectura assequi possumus? Inter Berosum ergo, & Severum Sulpitium, qui uti minus inter se dissidentes, videntur verisimiliora loquuti, demus Evilmerodacho annos . . . . . 14.
Lab-Assar-Dacho cum eodem Beroso annos . . . . 4.
Et amplius aliquid, nam 6. ei tribuit Megasthenes. Reg-Assaro autem tribuendos . . . . 4.
Unanimiter asserunt Berosus, Canon Ptolemaicus, & Josephus, quamvis 40. per errorem notariorum *in Lib. Antiquit. 10. cap. 13.* inveniatur scriptum. Habentur ergo horum trium Regum anni 22., & additis mensium, ac dierum minutiis anni 23., & ab Nabuchodonosoris undevigesimo ad initium regni Cyri anni completi . . . . 70.

7. At inquies 1. Hieronymus, Augustinus, Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Eusebius ab anno undecimo Sedeciæ ad primum Cyri nonnisi annos triginta computabant, quapropter & exitum Captivitatis usque ad Darii secundum annum distulerunt. 2. Mardochæus ex iis captivis erat, quos transtulit Nabuchdon-assar cum Jechonia Rege Juda: ergo soluta captivitate secundum nostram computandi rationem multo major Octogenario erat. Addantur anni Cyri 30, Magorum simul, & Cambisis 9, deinde Darii Hystaspis, qui Esteris maritus esse creditur, anni regni 12, qui in eodem libro memorantur: eritque Mardochæus anno Assueri illius 12. ætatis supra centum, & triginta annorum: quod cum iis, quæ ibidem de ipso narrantur, stare non potest. 3. arguitur ex illo Zachariæ: (*cap. 1.*) Iste jam septuagesimus annus est; sed annus, de quo ibi, erat Darii secundus, ut ibidem præmittitur: ergo usque ad illum annum captivitas non erat soluta. Confirmatur itidem ex illis verbis ejusdem Prophetæ. (*cap. 7.*) Quum plangeretis, & jejunaretis per hos septuaginta annos &c.

8. Hæc sunt præcipua contrariæ sententiæ fundamenta, quæ tamen non adeo urgent. Ad 1. enim dicimus, in re purè Chronologica ex profanis potissimum Scriptoribus deducenda nil mirum, antiquos illos Patres, & Ecclesiasticos Authores ab se invicem dissentire, immo diversis in locis nunc huic, nunc alii sese accomodare sententiæ. Hieronymus profectò, quamvis alibi solutionem Captivitatis ad Darii secundum annum referat, uti in *1. caput Zachariæ, & Ezechielis quartum*, tamen ad *caput Jeremiæ 29.* sic scribit: Nisi anni septuaginta expleti fuerint Cyro Rege Persarum laxante captivos, nequaquam in patriam reverte-

 mi-

mini. Idem asserit, si attentè legatur, prologo in Aggæum, quamvis ejus illic verba pro contraria opinione adduci soleant. Quid Clemens Alexandrinus? (*1. Strom.*) In duodecimo, inquit, anno Sedechiæ Nabuchodonosor septuaginta ante principatum Persarum annis adversus Judæos bellum gessit &c. Quid Eusebius? (*de præpar. Ev. l. 10. c. 14.*) Sub eo, inquit, nimirum Sedecia, capta Jerusalem ab Assyriis.. post annos inde septuaginta Cyrus Persis imperavit, Judæosque a servitute liberavit. Adde Theodoretum, (*in 9. c. Daniel.*) adde Josephum, (*1. cont. Ap.*) Julium Africanum, (*apud Euseb.*) Julium Hilarionem, (*lib. de durat. Mund.*) Cyrillum Alexadrinum, (*8. cont. Jul.*) immò Augustinum, qui sæpè Cyrum Israelis liberatorem vocat, laudatque.

9. Secundum argumentum multa supponit falsa, & arbitrio arguentis assumpta. Primum: Mardochæum fuisse jam natum tempore deportationis Jechoniæ. Deinde Cyrum annos 30. in Assyria imperasse. Denique Estheris maritum fuisse Darium Histaspis, quæ omnia, quia longiorem disquisitionem postulant, in opportuniorem locum relinquimus. (*vide prop. 20.*) Ad tertium dicimus, locum illum omnes æquè premere, quum Cyri tempore solutam Captivitatem Scripturarum testimoniis, & communi omnium Scriptorum consensu planum sit. Respondeo igitur cum Cano, (*11. c. 5. ad 9.*) verba illa aut cum interrogatione legenda, ut Hebræi legunt, & Versio Sanctis Pagnini: aut ita legenda, ut nihil minus conquestione depressa, quam sublata interrogatione significent, nimirum: Usquequò, Domine, non misereberis Jerusalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Scilicet iste jam septuagesimus annus est, toties promissus, tamdiu exoptatus. Vide Canum loco citato, ubi hanc expositionem similibus aliis Scripturarum locis confirmat.

PROPOSITIO IX.

Libri Esdræ primus, & secundus Canonici sunt; tertius, & quartus Apocryphi.

1. PRima pars suadetur, quia duo primi tam in Judæorum, quam in Christianorum Canone communi consensu recepti semper fuerunt. Unde etiam suadetur secunda. Nam hi libri apocryphi dicuntur, qui veluti latenter, nullo communi Canone, neque publica authoritate suffulti, veluti Sacri ingerebantur; sed tales sunt, qui sub Esdræ nomine circumferuntur tertius, & quartus, ut ex infra dicendis constabit: ergo.

2. Primi author Esdras ipse fuit, qui de se ipso loquens, incli-

navit in me, inquit, (*cap. 7.*) misericordiam suam, & ego confortatus &c. Secundus authorem habet Nehemiam, ut ex ejus Exordio constat: Verba Nehemiæ filii Helciæ &c. Porro Esdræ, Nehemiæque sermones apud Hebræos, inquit Hieronymus, (*In Præf. ad Dom. & Rog.*) in unum volumen coarctantur; qui verò tertius Esdræ, & qui quartus inscribitur, aliud formabant volumen. Contra primi, & secundi authoritatem quid opponi possit, non video, nisi fortè illud de juramento, quo se Israelitarum Principes, populusque obligarunt ad uxores alienigenas abjiciendas: quod injustum, & crudele fuisse videtur, præsertim quum jam ex earum plurimis liberos suscepissent. Dicendum vero cum Suario, (*de Relig. t. 2. lib. 2. c. 14.*) sive fuerit per declarationem præcepti, sive per Divinam dispensationem id fuisse licitum. Unde Augustinus (*de ad. conj. lib. 1. c. 18.*) Quas duxerunt Domino prohibente, eodem jubente dimiserunt. Nec matrimonium illud fuisse, dicendum est, inquit Ambrosius, quod extra Dei decretum est factum, sed dum cognoscitur, est emendatum. Quæ verba Ambrosii quamvis habeantur in Glos. Ordin., (*1. ad Cor. 7.*) & in Gratiani Decreto, (*28. q. 8.*) tamen in Ambrosio non reperiri observat idem Suarez, & notatur in Decreto Gregoriano.

3. Explicandæ sunt quæstiones nonnullæ, quæ non modicam in his libris difficultatem legentibus ingerunt. Prima: Quisnam fuerit ille Assuerus, ad quem accusatio facta est adversus Judeos? Respondeo cum Josepho, (*Ant. 11. c. 22.*) Eusebio, (*in Chron.*) & aliis antiquorum, quos ex Recentioribus sequuntur Azorius, (*lib. 6. c. 56.*) & Natalis Alexander, (*hist. 6. æt. c. 1.*) eum fuisse Cambysem Cyri filium. Namque opus dicitur impeditum fuisse cunctis diebus Cyri, & usque ad regnum Darii, post quæ additur: (*Esd. 1. c. 1.*) *In regno autem Assueri*, quasi diceret: Namque in regno Assueri: ergo Assuerus iste medius fuit inter Cyrum & Darium: fuit ergo Cambyses, nam paucis, & turbulentissimis Magorum mensibus hæc contigisse nemo dixerit.

4. Secundo quæritur: Quisnam sit Artaxerses ille, ad quem Besalamus, & reliqui Judæorum adversarii scripserunt? Respondeo cum iisdem, eundem esse Cambysem. Unde in pluribus Codicibus verba supra citata sic enuntiantur: *In regno autem Assueri (ipse est Artaxerxes)*.

5. Tertio: Quis ille Darius, de quo supra, & sæpè alibi apud Esdram? Respondeo, esse Darium Hystaspis filium, ejusque anno 6. absolutum fuisse templi ædificium, ut habetur in 6. Esdræ capite; quod etiam singulari dissertatione, quæ quinta est in sextam ætatem, convincit laudatus Natalis.

6. Quarto: Quisnam ille Artaxerxes, cujus jussu Esdras Hierosoly-

mas rediit? Rabbi Salomon apud Lyram, & communis opinio cum Azorio citato credit, esse Artaxerxem Longimanum. Josephus Xerxem esse putavit Darii Hystaspis filium, Longimani patrem. Quinto: Idem Artaxerxes Longimanus esse creditur, qui anno regni sui vigesimo urbis restaurandæ facultatem Nehemiæ concessit.

7. Jam vero in præjactam propositionem argui sic potest: Liber Protocanonicus ille dicitur, de cujus authoritate nullus unquam Catholicorum dubitavit, sed de secundo Esdræ libro dubitavit Isidorus Hispalensis, (*6. Orig. c. 2.*) immo citra dubium reputavit apocryphum: ergo. Respondeo, Isidorum vocasse librum Esdræ secundum more Hebræorum volumen illud, quod ex tertio, & quarto conflatum est, ut supra ex Hieronymo admonuimus.

8. Arguitur 2. Liber, qui aliquando fuit Canonicus, semper talis est; sed tertius Esdræ liber ante Hieronymum in universa Ecclesia Canonicus habebatur: ergo. Minor suadetur ex Conciliis Carthaginensi, (*III. Can. 47.*) & Laodiceno, (*Can. ult.*) ubi inter libros Canonicos numeratur Esdræ primus; sed apud Græcos Esdræ primus est; qui apud nos tertius, quoniam in rerum gestarum ordine primus est, ut legenti patet: ergo. Accedit testimonium Josephi, (*Antiquit. 11. c. 13.*) Justini, (*dial. cum Triph.*) Cypriani, (*epist. ad Pomp.*) Athanasii, (*Orat. 3. cont. Arr.*) Augustini, (*18. de Civ. c. 36.*) qui ejus tamquam libri Canonici, ac divinæ authoritatis, ubique meminerunt. Respondeo ad minoris probationem, non semper, & apud omnes Græcos tertium Esdræ pro primo numerari; nec illum intelligendum, quum Concilia, & Patres primum Esdræ inter Canonicos numerant, sed eum, quem Florentina, & Tridentina Synodus, omnesque & Hebræorum, & Christianorum Canones primum vocant. Ex citatis autem Patribus nonnulli solum asserunt, aut supponunt, Esdram authorem libri esse; alii librum Ecclesiasticum esse volunt. Augustinus quasi dubitandus loquitur, quum ait: Nisi fortè Esdras in eo Christum prophetasse dicendus est &c. Quod si aliquis Canonicum, sive divinæ prorsus authoritatis librum credidit, non continuo talis erit, nisi Catholicæ Ecclesiæ authoritate credendus, & legendus proponatur.

9. Idem, potiorique jure dicendum est ad ea, quæ pro quarto Esdræ libro in Canonicorum numerum recipiendo, afferuntur. Citantur namque pro hoc etiam apertissima Tertulliani, (*in lib. de Pres. & 4. cont. Marc.*) Clementis Alexandrini, (*1. & 4. Strom.*) Cypriani, (*ep. ad Demet.*) Athanasii, (*in Synop. si ipsius est.*) Ambrosiique (*de Bon. Mor. cap. 10.*) testimonia, immo totius Ecclesiæ, quæ Introitum Missæ in feria tertia post Pentecostem ex 4. Esdræ desumit: *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ &c.*, & in Officio Paschali

Mar-

Digitized by Google

Martyrum : *Lux perpetua lucebit &c.* Accedit Barnabæ Epistola, ubi ex eodem Esdræ quarto testimonium tanquam Sacri authoris inducitur. Quin immo Hieronymus non omnem authoritatem eidem denegasse videtur. Ad hæc omnia similiter respondemus, non inde libri divinam authoritatem satis probari, nisi Ecclesiæ Catholicæ consensus accedat. Hic autem consensus non satis demonstratur ex alicujus versiculi usu in Officio, aut Missa, siquidem nonnunquam Ecclesia piorum Virorum verba, & præclaras quasdam sententias, atque etiam Christianorum Poetarum versus usurpat, ut illud : *Salve Sancta Parens &c, Solve jubente Deo &c. Gaudeamus omnes in Domino &c.*

10. Contra communem autem sententiam, quam de horum librorum authoribus sequuti sumus, nonnulla opponuntur, quæ brevi calamo diluenda sunt. Opponit enim 1. Huetius, (*Dem. Evang. pr. 4.*) Esdram saltem priorum sex capitum authorem non videri, siquidem ibidem author in propria persona loquitur : Et respondimus eis &c. at Esdras non nisi anno secundo Artaxerxis Longimani Hierosolymas petiit: (*1. Esd. 5.*) ergo. 2. in 2. Esdræ libro (*cap. 12.*) fit mentio Jeddoæ, sive Jaddi Pontificis, qui Alexandri Magni, & Darii Codomani temporibus vixit; sed incredibile est, Nehemiam usque ad ea tempora vitam protraxisse : ergo libri secundi author non est Nehemias. 3. ibidem (*2. Esd. c. ult.*) fit mentio Sannaballathi, qui Nehemiæ tempore templi ædificationem interpellavit; sed hic vixit usque ad tempora Alexandri, ad quem ab Dario defecit, ut scribit Josephus : (*Antiq. 11. c. 8.*) ergo. 4. Commentariorum Nehemiæ meminit liber Machabeorum secundus, (*cap. 2.*) sed verba ibi relata non habentur in hoc Esdræ libro, nec vero simile est, ut duos de eodem argumento libros Nehemias scripserit : ergo. His postremis argumentis motus Calmetus hunc librum existimat, ex Nehemiæ Commentariis alterius incerti Scriptoris labore concinnatum fuisse : quod etiam aliis visum fuerat.

11. Non tamen adeo cogunt argumenta. Et primum quidem Huetii diluitur facile, vel si dicamus cum Calmeto, (*prol. in Esdr.*) Esdram venisse primum Hierosolymas, deinde negotii causa rediisse in Assyriam, unde iterum anno Artaxerxis secundo in Palæstinam commigraverit; vel cum Natali (*dis. 7. in 6. æt.*) intelligendo illud : *Respondimus*, quasi non suo, sed gentis nomine dictum: quod Historicis Sacris non omnino insolitum. Ad secundum variè respondent Doctores. Petavius, (*de doct. temp. lib. 12. c. 25.*) atque ex eo Natalis (*loc. cit.*) censent, ea verba, in quibus Jaddi mentio fit, ab aliquo posteriori scriba fuisse textui addita. Huetius, quem Gottius sequitur, (*tract. 4. in Esd.*) non putat absurdum, ut Nehemias usque ad tempora Darii Codomani vitam protraxerit. Si enim, inquit,

quit, anno Artaxerxis 20. Pincernam agebat, fuerit tempore mortis Darii Codomani annorum 132., aut circiter: quod, quamvis rarum, adhuc & nostris temporibus haud semel accidit. At non meminit Huetius, Nehemiam anno primo Cyri inter eos numerari, qui cum Zorobale in Palæstinam redierunt, ut Esdræ 1. dicitur, (*cap. 2.*) atque adeo annos circiter quadraginta, ut minimum ejus ætati addendos esse. Tertio respondet Beda, (*in 3. c. Esd.*) hæc dici de Jaddo, & reliquis, non quod hujus conditor libri ad ea usque tempora vixerit, sed quod infantes, puerosve eos noverat, qui longo post mortem ipsius tempore ad Sacerdotium summum pervenerint. Hæc ille, & habentur in Glossa ad citatum Esdræ locum. Hanc solutionem verbo attigit Azorius, (*lib. 6. c. 56.*) quum dixit, eos, qui postea Summi Sacerdotes fuerunt, ibi per anticipationem adnumeratos. Fuerit ergo Jaddus tempore Alexandri annorum circiter sexaginta: habebitur natus anno 14., aut 15. Darii Memnonis, id est, anno quinquagesimo quarto, aut circiter a reditu Nehemiæ in Palæstinam, atque ætatis ejusdem anno ferè centesimo. Quid inde absurdi? In tertio nulla est difficultas. Nec enim Sanaballath, qui Nehemiæ restitit, idem est, qui ad Alexandrum defecit, ut putavit Josephus. Ad 4. dicitur, in 2. Machabæorum Commentaria appellari Excerpta quædam, atque Adversaria, ex quibus & ipse Nehemias suum postea librum efformavit, & author Machabæorum ea desumpsit, & quæ forte Nehemias suo libro inserenda non putavit. Cui enim scribenti id non passim contingit, ut ex iis, quæ ad scribendum congesserat; plura in adversariis relinquat?

12. Quod autem ad ipsius Esdræ personam attinet, tria hic quæri solent. Primum: An Esdras libros sacros post Captivitatem solutam denuo ex integro dictaverit? Secundum: An Hebraicæ, uti nunc extat, scriptionis, id est, accentuum, & punctorum vocalium fuerit inventor? Tertium: An Masoræ, & Kabalæ?

13. Circa primum communis est, & verior sententia, libros sacros non in integrum unquam periisse, ut grandi illo miraculo opus esset ab Esdra iterum dictari. Ita Azorius, (*lib. 6. c. 52.*) Bellarminius, (*de Verb. Dei lib. 2. cap. 1.*) Natalis, (*dis. 4. in 6. æt.*) Calmetus, (*dis. sing. de hoc argum.*) Bonfrerius, (*in prolog.*) Gottius, (*tract. 4. c. 3.*) aliique bene multi. Probatur: Quia Daniel ait, (*c. 9.*) se intellexisse in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam: ergo libros Prophetarum in Captivitate legebat Daniel. Unde etiam ibidem ab lege Moysis depromit testimonium. Item Esdras ipse (*c. 7.*) Scriba dicitur in Lege velox; sed hoc nomen obtinere non poterat, quia aliis scribentibus ipse Legem dictaverit, ut patet: ergo quia ipse in lege evolvenda, enu-

enucleanda, adnotationibusque illustranda excellebat. Quod etiam indicant Artaxersis ad ipsum verba: (*ibid.*) Missus es, ut visites Judæam, & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua, id est, quam semper habes præ manibus, & in qua es ipse versatissimus. Denique in 2. Esdræ habetur, jussum illum fuisse afferre legem Domini . . . . Attulit ergo Esdra Sacerdos legem, sed nullus erat locus opportunior enarrandi illius miraculi: ergo nullum tale fuisse dicendum est.

14. Secundo idipsum his suadetur rationibus. Erant enim, suntque Hebræi legis suæ usque ad superstitionem studiosi. Non est ergo credibile, in prima deportatione sub Joachimo, quum Ezechiel, Daniel, aliique & sapientia, & pietate insignes viri exulaverunt, libros sacros non adsportasse. 2. In transmigratione sub Sedecia Jeremias ea, qua pollebat apud Nabussardanum gratia, tabernaculum, arcam, & altare abscondit; (*Jer. 4. & Machab. 2.*) sed in tabernaculo sacri libri asservabantur: ergo eos servare Jeremias potuit, ac debuit. Nec parum favet huic conjecturæ quod legitur in 2. Machabæorum, (*cap. 2.*) Jeremiam dedisse transmigraturis legem, ut non obliviscerentur præcepta Domini. Accedit testimonium Josephi asserentis (*lib. 11. c. 1.*) Cyro ostensum fuisse Isaiæ vaticinium, ubi ipsius nomen exprimebatur, ducentis, inquit, ac decem annis ante ejus ætatem conscriptum. Nec obstant testimonia patrum, qui contrarium asserere visi sunt. Plures enim, ut Irenæus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Tertullianus, Hilarius, Hieronymus, ita commode exponi possunt, ut non denuo dictasse libros omnes Esdram; sed eos restaurasse tantum, correxisse, atque emendasse dixerint. Siqui sunt autem, ut Basilius, & Theodoretus, qui priorem illam sententiam disertis verbis docuerint, quamvis alicubi Theodoretus non sine quadam ambiguitate loquatur; si qui sunt, inquam, ita loquuti, ut miraculum illud asserere videantur, id fecisse, dicendi sunt decepti authoritate libri quarti Esdræ, quem Canonicum existimarunt, ubi hæc habetur historia. (*cap. 19.*) Illud certum est, inquit Hieronymus, (*in Prologo Galeato & comment. c. 9. Ezech.*) Esdram post instaurationem templi sub Zorobabele alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum caracteres fuerint.

15. Hinc secundum illud oritur dubium: An sicut Esdras novos caracteres invenisse dicitur, ita ipse accentuum, quibus nunc utimur, & punctorum vocalium fuerit inventor? Pro cujus resolutione supponendum est, Hebræos duas & viginti habuisse litteras, omnes consonantes, quarum nomen, figuram, potestatemque sequens tabella exhibet.

אלף, א,

א, אלף, Aleph, A - - - - - - - - - -	in numeris	1
ב, בית, Beth, B, Bh, V consonans	in numeris	2
ג, גימל, G, Gh, Ghimel - - - - - -	in numeris	3
ד, דלת, D, Dh, Daleth - - - - - -	in numeris	4
ה, הא, He, H spiratio aspera - - -	in numeris	5
ו, ויו, Vau, V consonans - - - - - -	in numeris	6
ז, זין, Zain, Z, aut S lene - - - -	in numeris	7
ח, חית, Chet, Ch spiratio fortis - -	in numeris	8
ט, טית, Tet, T - - - - - - - - - -	in numeris	9
י, יוד, Jod, I consonans - - - - - -	in numeris	10
כ, כף, Caph, Ch, item ך - - - - -	in numeris	20
ל, למד, Lamed, L - - - - - - - - -	in numeris	30
מ, מם, Mem, M, item ם - - - -	in numeris	40
נ, נון, Nun N, item ן - - - - - - -	in numeris	50
ס, סמך Samech, S acutum - - - - -	in numeris	60
ע, עין Hain, H, spiratio asperrima -	in numeris	70
פ, פא Pe, Ph, P, item ף - - - - -	in numeris	80
צ, צדי Tzade, Tz, ץ - - - - - - -	in numeris	90
ק, קוף Coph, C Græcum, K - - - -	in numeris	100
ר, ריש Res, R - - - - - - - - - -	in numeris	200
ש, שין Scin, Sc, Sch - - - - - - -	in numeris	300
ת, תו, Thau, T, Th - - - - - - -	in numeris	400

Caph 2., Mem 2., Nun 2., Pe primum, Tzade 2., non niſi in fine dictionis ſcribuntur. Duæ conſonantes Vau ו Jod י quandoque ponuntur pro vocalibus.

16. Quum igitur Hebraicum ſcribendi genus multis ambiguitatibus eſſet obnoxium, quod eædem conſonantes cum diverſis adjunctis vocalibus diverſa ſignificarent, viſum eſt, puncta quædam conſonanti-

Digitized by Google

tibus adjicere, quæ vocalium vim haberent, suntque ejusmodi: (ּ ָ) quod dicitur Kametz, denotatque A longum. (..) quod dicitur Tsere, E longum. (·) Chirek I longum quum ponitur in parte inferiori litteræ. Quod si ponatur in parte superiori dicitur Cholem, signatque O longum; si in media parte dicitur Surech, signatque U longum. Brevium vocalium signa sunt Pathach, quod signatur (ַ) A breve. Segol quod signatur (ֶ) E breve. Chirek, quod signatur (·) I breve. Kametz Chatuph, quod signatur (ָ:) O breve. Kibbutz, quod signatur (ֻ) U breve. Brevissimarum denique vocalium signa sunt Sceva, aut simplex, quod signatur (:) aut triplex, quod signatur (ֱ) sonatque E aut A - Cateph Pathach, quod signatur (ֲ) & sonat A. Cateph Segol, quod signatur (ֱ) & sonat E. Cateph Kametz, quod signatur (ֳ) & sonat O.

17. De unoquoque horum punctorum nomine, applicatione, usu multa tradunt Grammatici Hebraici, quæ apud ipsos videnda sunt. A nobis, quum de punctorum inventione agendum sit, eorum brevis isthæc notitia prætermitti non debuit.

18. Quidam horum punctorum inventionem, inter Rabbinos, Moysi, plures Esdræ tribuunt; sed Moyse, atque Esdra recentiorem eorum inventionem esse, pluribus argumentis demonstratur. Nam Samaritani punctis omnibus etiam nunc carent; sed olim iidem Samaritanorum, & Judæorum characteres erant: ergo tempore Moysis, immo usque ad Esdræ tempora Hebræi punctis vocalibus caruerunt. Minor præter authoritatem supra citati Hieronymi convincitur ex Syclis, qui Hierosolymis effossi sunt, fueruntque in usu tempore Regum Juda cum hac inscriptione: *Siclus Israel.... Jerusalem Sancta*; sed hos Samaritani non cudebant, nec enim Judæorum circa templi religionem inimicissimi Jerusalem Sanctam vocassent: ergo Judæi Samaritanis characteribus utebantur. Secundo: Nam linguæ Orientales omnes, quæ cum Hebraica affinitatem habent aliquam, ut Chaldaica, Syriaca, Arabica, Phœnicia, sine punctis vocalibus scribuntur. Siquidem Arabicæ multis post Mahometis obitum annis puncta adjecta sunt: unde hodie dum pueri Turcarum, Arabum, & Persarum sine punctis legere in Scholis docentur. 3. Quia in omnibus libris antiquioribus Thalmudicis, & Kabalisticis nulla fit punctorum vocalium mentio, nec in Mischnna, nec in Gemara, ut Rabbini peritiores observarunt.

19. Quarto: Quia Origenis, ac Hieronymi tempestate nulla erant vocalia hæc puncta. Si enim fuissent, alicubi pro ambiguitate tollenda, ad ea recurrissent: quod fecerunt nusquam. Immo Hieronymus in Epistola 126. ad Evagrium testatur, pro varietate regionum, ac voluntate lectorum eadem verba diversis vocalibus, atque accen-
tibus

Digitized by Google

tibus proferri. Et alibi expressius Hebræi, inquit, (*in c. 9. Jerem.*) quum vocales in medio non habeant, pro consequentia & legentis arbitrio legunt. Si enim hæ dumtaxat consonantes scribantur דבר DBR, nescias an legendum sit *dabar* Verbum, an *deber* Mors, seu Pestis, an *daber* loquere: quod in causa fuit, ut Jeremiæ locum aliter Septuaginta, aliter Symmachus, atque Aquila, aliter Hieronymus verterint; at non ita contigisset, si consonantibus adjecta fuissent puncta vocalia: ergo nulla fuerunt usque ad quartum Ecclesiæ sæculum. Idem ex innumeris aliis locis confirmari posset. Quinto denique id convincitur ex variis Bibliorum Hebraicorum, quas Keri, & Ketib vocant, nam hæ solum aut circa voces integras, aut circa litteras consonantes versantur; sed etiam versari possent circa puncta vocalia, quum iisdem consonantibus manentibus diversam significationem habere possent, ut liquet: ergo quia variarum lectionum, sive Keri, & Ketib lectoribus puncta vocalia ignota fuerunt.

20. His ducti argumentis Ludovicus Capellus, (*l. de Punctationis arcano revel.*) & Joannes Morinus, (*l. 2. Exercit. de Hebræi, Græciq. textus sinceritate Tract. 3. de lib. Vet. Test. c. 2. a. 3.*) Natalis Alexander, (*Diss. 4. in 6. ætat. art. 2.*) Lamius, Gotti, & Bellarminius cum aliis existimant, Masorethas Tiberienses punctorum inventores fuisse. Unde Aben-Esra: Sapientes, inquit, (*lib. Eleganti.*) Tiberiadis pro norma, & Canone lectionis habendi sunt, quia ab iis sunt Masorethæ, a quibus rectam punctationem accepimus. Huic consonat Elias Levita, (*lib. de Masora*) qui iisdem Masorethis punctorum inventionem tribuit, & doctissimorum Rabbinorum testimoniis confirmat. Hæc verosimilior sententia est. Quæ enim pro majori punctorum antiquitate afferuntur, futilia sunt, nec facienda tanti, ut in iis diluendis immoremur. Vide, si velis, apud citatum Capellum singulari opere de punctorum arcano revelato, & Joannem Morinum in libro (*2. Exercit. 12.*) de Hebraici, Græcique textus sinceritate.

21. Nunc de Masora breviter dicendum, quam Buxtorfius ita definivit, (*in Comm. Masoræ.*) ut sit doctrina critica circa rectam lectionem, atque scriptionem textus Hebraici sacrorum Bibliorum. Nomen deductum est ab Hebraico verbo מסר, quod *tradere* significat, ut sit Masora quasi traditio, inventaque fuisse videtur, ut in posterum sacri textus pura, & sincera conservaretur lectio. De Masora hæc accipe ex Lamio. Numerarunt primo Masorethæ versus uniuscujusque libri, exempli gratia, Genesis 1532., numerumque ad finem adnotarunt, quum litteris numeralibus, tum ditione aliqua symbolica, ex cujus litteris idem numerus coalesceret; nam Hebræi, sicut Græci, litteris pro numeris utuntur. Adnotarunt deinde in quo-

cum-

cumque libro versum medium, quem in Genesi dicunt esse illum: *Et gladio tuo vives &c.* Cujusque versus litteras recensuerunt initialibus, & finalibus adnotatis. Circa voces distinguunt quæ legi, quæ scribi debeant, additis ad marginem notulis Keri, & Ketib, quorum nominum primum ab קרא *legere*, secundum ab הכתב *scribere* derivatur. Observant situm medium, initialem, & finalem hujusmodi vocum; & in pluribus etiam quoties in sacro textu occurrant. Plenas, & defectivas distinguunt, sive in quibus Jod, י, & Vau ו quiescentes exprimuntur, aut non exprimuntur. Circa litteras observant magnitudinem, situmque, & numerum earum, in quibus, inquit citatus author, varia mysteria Judæi querunt magis circa similes nugas, quam circa verum occupati sensum Scripturarum. Circa vocales, & accentuum notas, & puncta utilior eorum labor est, ex quo secundum veram, & receptam lectionem a Sacris Scriptoribus ad sua tempora conservatam, & facilitati lectionis, & textus claritati, atque incorruptioni consuluerunt. Masoretharum ingentem laborem nonnulli admirantur, & utilissimum credunt: nonnulli irrident, vanamque, & superstitiosam otiosorum hominum occupationem arbitrantur. Inter nonnullas certe utilitates plurimum ibi inutile, vanumque reperiri diffitebitur nemo, qui rem maturè perpenderit.

22. Jam vero Masoræ authorem nec Moysem, nec Esdram fuisse patet 1. quia magna ejus pars circa puncta vocalia, accentusque versatur, sed hæc post annum Christi quingentesimum inventa esse supra est demonstratum: ergo. 2. Varietas lectionum, quæ sub titulo Keri, & Ketib continentur, estque Masoræ pars utilior, nequit Sacris Authoribus tribui. Quis enim unquam proprii Operis, & autographi varias lectiones adnotavit? 3. Ex silentio Clementis Alexandrini, Origenis, Eusebii, ac Hieronymi, Doctissimorum Ecclesiæ Patrum, veterumque Rabbinorum ante Thalmudem editum. 4. Quia plura sunt in Masora sacris Authoribus indigna, inutilia, immo superstitiosa, & ridicula, ut quæ de litterarum magnitudine, figura, & situ indicantur mysteria, quæ de *Mem* clauso, aut aperto, & sexcenta hujusmodi. 5. Si Masoram ab Esdra, aut Moyse accepissent Hebræi, nec ita negligenter habita fuisset ab Antiquis, ut Elias Levita testatur, (*præf. 2. in Masor.*) nec illi quidquam addere, aut demere licitum sibi esse crederent. At contra opus illud ejus naturæ arbitrati sunt, ut semper ei aliquid adjici, ac superaddi facile possit, ut idem Author scribit. (*loc. cit.*) Illud igitur certum videtur, notas Masorethicas nec simul, nec ab uno authore fuisse elaboratas, sed diversis temporibus ab diversis authoribus compilatas. Nec dubitandum, quin ante Tiberienses Grammaticos, immo ante Hieronymi tempora Hebræi suas traditiones habuerint, & in sacrum textum ob-

ser-

Digitized by Google

servationes partim veras, atque utiles, partim inutiles, & superstitiosas, ex quibus nonnullas ipse Hieronymus attingit in libro de traditionibus Hebraicis in Genesim.

23. Tertium erat dubium de Kabala, quæ Latinè *acceptio* dici potest. Hanc Reuklinus ita definivit. (*lib. 1. de arte Kabalis.*) Divinæ revelationis ad salutiferam Dei, & formarum separatarum contemplationem symbolica receptio. Consonat Picus Mirandulanus, qui Kabalam nihil aliud esse, inquit, quam Scripturarum Expositionem Anagogicam. Differt a Masora, quia hæc solum est traditio Grammaticalis, & circa lectionem, & scriptionem tota occupatur; Kabala vero est traditio Anagogica, & Mystica, quæ non circa voces, & litteras, sed circa earum abstrusiorem significationem versatur; hasque geminas Judæi partes esse dicunt Legis Oralis Moysi a Deo revelatæ, & deinde continua successione ad sua usque tempora transmissæ. Kabalæ porro triplex genus distinguunt Scriptores Christiani. Primum quidem pium, atque utile, seu mystica quædam, & arcana sacri textus expositio, non scripto, sed ore a Moyse tradita secundum ipsi a Deo factam revelationem Israelitici populi Sapientibus, indeque ad posteros continua successione transmissa. Mysticam autem expositionem, & sensum hic vocamus, non eum solum, qui Anagogicus dicitur, verum etiam illum omnem, qui sub litteræ cortice, atque umbra latet, sive Allegoricus, sive Moralis, aut Tropologicus ille sit: de quorum propriis differentiis alibi dicetur: quod bene notarunt Bonfrerius, (*in Prælog. c. 1. sect. 2.*) & Natalis Alexander. (*diss. cit. art. 3.*) Hanc, inquam, Kabalæ speciem a Deo Moysem accepisse, dubitandum non est. Nam Mosaycæ historiæ gesta omnia, & omnia Legis præcepta, Cœremonialia præsertim figurativa futurorum fuisse, Paulus disertissime testatur. (*1. Cor. 10.*) Nec fas est credere, ignorasse Moysem, aut Abrahæ sacrificium, aut Agni Paschalis immolationem ad Christi sacrificium esse referenda, atque hujusmodi innumera, eaque vel maxime, quorum vix alia potest ratio, quam mystica, aut prophetica assignari, ut illud: (*Joan. c. 19.*) Os non comminuetis ex eo, & similia in tota Moysis historia. Neque item est credibile, ita Moysi ea mysteria fuisse revelata, ut eorum cum ipso interiret notitia, sed ut eam ad posteros transmitteret, qui capiendi essent capaces. Hac ratione ductus Origenes, (*tom. 6. in Joan.*) Perspicuum est, inquit, Moysem mentis acie Legis veritatem, historiarumque ab se scriptarum diversitatem juxta anagogem vidisse. Similia habet in Epist. ad Romanos super illud: Credita sunt illis eloquia Dei; quod non de littera solum, sed de sensu, atque arcano intellectu Legis interpretatur. Consonat Hilarius inquiens: (*ap. Picum in Exp. Ps. 2.*) Moyses quamvis Ve-

teris

Digitized by Google

teris Testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta Senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat... Hi itaque libros hos transferentes, & spiritualem secundum Moysis traditionem occultarum cognitionum scientiam adepti ambigua lingua Hebraica dicta, & varia quædam ex se nunciantia secundum virtutes rerum certis, & propriis verborum significationibus transtulerunt, doctrinæ scientia multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes.

24. Secundum Kabalæ genus est non illud quidem pium, & laudandum, sed tamen non ex se impium, cui Recentiores Judæi se totos addixerunt, quo ex litteris, earumque figura, situ, magnitudine, & valore arithmetico, aut ex earum permutatione, combinatione, abbreviatione, & similibus, mysteria eruuntur. Dixi, hoc secundum Kabale genus ex se non improbandum, quia & nonnulla ejus suppetunt in Sacris Libris exempla, ut mox videbimus, & si supponatur litteralis sensus fundamentum, aut loci cujusvis pia, & utilis expositio, non vitio verti poterit siquis hoc Kabalæ genere ad ejus aut confirmationem, aut exornationem utatur. Porro hujus Kabalæ modos quinque enumerat Bonfrerius, (*Preloquii in scrit. Sanct. c. 21.*) quos ad tres reducunt Rabbini. Primum vocant *Notaricon*, seu dictionum compendium per initiales litteras, quum scilicet dictio quævis in sua elementa resolvitur, & unicuique eorum dictio ab eo incipiens assignatur. Exempli gratia: In 3. Regum (*cap. 2.*) dicitur, Semei maledixisse Davidi *maledictione pessima*, cujus adjectivi loco in Hebræo habetur נמרצת *Nimretzayath*, aut *Nimretzeth*. Hac ergo dictione in suas litteras resoluta, & assignando unicuique dictionem ab ea incipientem, conficiunt Hebræi, hanc fuisse maledictionem Semei, quam pessimam Scriptura vocavit נאף *Noeph* adulter, מאב *Moab*, Moabita, quia ex Ruth Moabitide oriundus, רצח *Rotzeahh*, *aut Rotzahh homicida*, צרוע *Tzaruahh*, leprosus, quod ab omnibus derelictus fugiebat. תועבה *Thohabahh*, abominatio. Hujus Kabalæ vestigium quoddam est apud Danielem, (*cap. 5.*) ubi scriptis in pariete tribus initialibus פ, ת, מ, ipse has dictiones intellexit, *Mane*, *Thekel*, *Phares*. Nec dubium, quin ם Ezechielis, & α, atque ω Apocalypsis mysterium aliquod contineant.

25. Secunda hujusce Kabalæ species est Tebura, seu permutatio, cujus triplex est modus. Primus per substitutionem litterarum. Solitum enim apud Hebræos litteras ordine inverso substituere, ultimam pro prima, penultimam pro secunda &c. Hujus substitutionis præclarum extat exemplum apud Jeremiam *cap. 25.*, ubi cum dicere vel-

let. *Et Rex Babel bibet post eos*, dixit, *Et Rex Sesach bibet post eos*. Nam quum scribatur בבל per duplex *beth*, & *Lamed*, pro duplici beth substituit Propheta duplex *Schin*, id est, penultimam litteram pro secunda, & pro Lamed, Caph, id est, pro duodecima undecimam, scripsitque ששך, ut in eum locum adnotavit Hieronymus.

26. Secundus modus est per diversam combinationem eorum elementorum, ex quibus dictio conflatur, ut ibi: Præcedet (*Exodi 33.*) te Angelus meus, hebraicè habetur מלכי Malachi, ex cujus elementis aliter combinatis efficitur Michaal, aut Michael, ut inde habeatur Archangelum Michaelem, sicut nunc Ecclesiæ, ita olim Synagogæ Tutelarem fuisse.

27. Tertius modus est, quum ex situ, aut figura alicujus litteræ mysterium aliquod eruitur. Sic ex eo, quod promissa fuerit Abrahæ numerosa progenies ex Sara, simulque immutatum ipsius nomen addito ante finem ה, hæc propositio Kabalistica apud Hebræos emanavit: Nisi Abrahæ unum ה additum fuisset, Sara non peperisset. Ex configuratione litteræ Galatinus nativitatem Christi ex Matre Virgine prænuntiatam esse, voluit. Observat enim apud Isaiam cap. 9. verbum לםרבה per Mem clausum, sive per ם scriptum esse, quod nisi in fine dictionis scribi non solet.

28. Tertia Kabalæ species, quam Gematriam Rabbini appellant; illa est, in qua litterarum valor Arithmeticus consideratur: pro quo notandum id, quod supra etiam monuimus, apud Hebræos, sicut apud Græcos litteras pro numeris usurpari. Sic ex eodem citato Isaiæ loco annum Nativitatis Domini haberi posse, nonnulli existimarunt. Apertissima autem sunt hujus generis exempla in Apocalypsi Joannis, (*c. 13.*) ubi de numero nominis Bestiæ dicitur futurum 666, & de numero nominis Christi 888. Porro hoc secundum in nomine JESU manifestissime apparet. Circa primum autem multa Antichristi nomina eundem numerum exprimentia comminiscuntur Authores, ut Irenæus, & Hyppolitus M. Τείταν, Tichonius, & Arethas Λατεινος, Primarius Αντεμος, & quæ non possint hujusmodi divinando confingi? (*Vide Malvendam. lib. 5. de Antich. c. 8.*) Atque hæc de secundo Kabalæ genere.

29. Tertium illud abominandum, atque impium omnino est, quum scilicet Hebraicis nominibus, characteribus, aut rebus hujusmodi quis ad pellendos morbos, præcavenda vulnera, fugandos Dæmones, aut ad alia hujusmodi abutatur: quod Recentiores Hebræi Kabalæ genus libentissime amplectuntur. Hujus autem Moysem, aut Esdram authorem asserere, seu magnam Synagogam, nulli pio, aut sensato in

Digitized by Google

in mentem venerit. Ne quidem secundi, saltem eo mòdo, quo ab Judæis usurpatur, qui noctuis similes, ut eorum quidam scripsit, in litteralis sensus splendore cæci sunt, in hujusmodi mysteriorum tenebris perspicaces. Hæc Aben-Esrà (*Præfat. in Leg.*). Solum pro antiquitate Kabalæ, ejusque origine a Moyse derivata obstare posset, quod in quarto Esdræ libro (*cap. 14.*) legitur: Revelans revelatus sum super rubum, & loquutus sum Moysi, quando populus meus serviebat in Ægypto, & misi eum de Ægypto, & adduxi eum super montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarravi ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei dicens. Hæc palam facies verba, & hæc abscondes. At hæc verba (si qua fides libro apocrypho adhibenda est) de Kabala in primo sensu accepta intelligenda sunt, nostramque de ea sententiam confirmant. Quod vero ibidem additur de libris 404. ab Esdra scriptis, & de postremorum septuaginta reservanda lectione sapientibus, fabulam redolet, neque est, cur ei in his, quæ contra Ecclesiæ, Patrumque sententiam, tanquam ab Esdra scripta venditat, aurem præbeamus.

PROPOSITIO X.

Liber Job Canonicus est, historia certa, Author incertus.

1. PRima propositionis pars ostenditur ex innumeris sententiis ex libro Job desumptis, quibus Canonici utuntur Authores. Legitur apud Job: (*cap. 3.*) Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo. Unde Jeremias, (*cap. 22.*) de cujus authoritate infra dicetur: Maledicta dies, in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea. Job: (*cap. 15.*) Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, quod totidem verbis apud Isaiam, (*19. Ps. 7.*) & in Psalmis legitur. Job: Clamabo vim patiens, & nemo audiet, vociferabor, & non est qui judicet. Semitam nostram circumsepsit &c. Jeremias: (*19. Thren. 3.*) sed etsi clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam. Conclusit semitam meam lapidibus quadris &c. Job: (*cap. 38.*) Quis præparat Corvo escam suam, quando pulli ejus &c., quod in Psalmo 146: Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis Corvorum invocantibus eum. Job: (*cap. 34.*) Circumdedi illud (mare) terminis meis, & posui vectes, & ostia, & dixi: Huc venies &c. quod in Proverb. cap. 8.: Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Plura alia videri possunt apud Calmetum, Natalemque Alexandrum locis infra citandis. Non prætereundum tamen illud

Digitized by Google

Pauli Apostoli ajentis : (*1. ad Cor. 3.*) Mundi sapientia stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum; at hoc scriptum non est nisi in libro Job : (*cap. 5.*) ergo liber Job divinæ authoritatis est . Nam de Pauli authoritate infra constabit. Convincitur 2. veritas eadem ex Canone Hebræorum, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua communi semper consensu a Patribus, & Conciliis sacer, ac divinus est habitus.

2. Pars propositionis secunda stabilienda est contra Rabbinorum nonnullos, & Lutherum, aliosque posteriorum temporum hæreticos asserentes, librum Job non veram historiam continere, sed allegoricam, & parabolicam, seu fictam, uti poema quoddam ad perfectæ patientiæ exemplar exhibendum. Cui opinioni videtur præluxisse Theodorus Mopsuestenus, de quo infra. Demonstratur autem primo authoritate Scripturarum: Siquidem Ezechielis, & Tobiæ libri, atque Jacobi Epistola divinæ, atque infallibilis authoritatis sunt, ut suis in locis demonstrabitur, sed in his omnibus exhibetur Job tanquam verus Dei amicus, & Servus, sicut David, & Noe, quas fictas personas dicere, erroneum est: ergo. Minor probatur ex illo Ezechielis; (*cap. 14.*) Si pestilentiam immisero super terram illam ... & Noe, & Daniel, & Job fuerint in medio ejus; Vivo ego, dicit Dominus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi justitia sua liberabunt animas suas. In libro autem Tobiæ sic legitur: (*cap. 2.*) Hanc autem tentationem ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job . . . Nam sicut beato Job insultabant &c. Item in Epistola Jacobi: (*cap. 5.*) Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis &c. Accedit Sanctorum Patrum authoritas, quorum longum catalogum texit Natalis Alexander; (*Dis. 13. in 3. Mundi ætat.*) confirmaturque celebri illa clausula in Codicibus Septuaginta Interpretum libro Job adjecta: In terra quidem Ansitide habitans in finibus Idumeæ, & Arabiæ, & erat ei nomen Jobad: Quum autem accepisset uxorem Arabissam, genuit filium, cui nomen Ennon. Erat autem ipse ex patre quidem Zaræ de filiis Esau filius; matris autem Bosorræ, ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cujus regionis etiam denominatus est. Primus Balac filius Beor, & nomen Civitatis ejus Dennaba. Post Balac autem Jobad, qui vocatur Job. Quamvis porro clausula hæc Canonica non sit, magnæ tamen authoritatis est, quum antiquissima sit, & eam septuaginta illi viri præstantissimi ex Syriaco, uti inquiunt, Codice Versioni suæ inserendam existimaverint.

3. Tertia propositionis pars ex ipsa opinionum varietate sat liquet. Origenes enim, (*6. cont. Cels.*) Gregorius, (*1. in Job. c. 1.*)

Sui-

Digitized by Google

Suidas, (*verb. Job.*) atque alii, a quibus non dissentit Isidorus; (*6. de Orig. c. 2.*) Jobum ipsum, aut ex ejus amicis aliquem authorem libri existimarunt. Hebræi plerique Moysi tribuunt; quibus adhærent Methodius, (*apud Phot.*) Julianus Halicarnasseus, (*apud Nicetam.*) Bellarminius, (*de Script. Eccles.*) Huetius. (*demont. Evang. p. 4.*) Hanc sententiam non improbabilem censuisse videtur Isidorus, (*loc. supr. cit.*) eique aliquando favisse videtur Natalis Alexander, ut supra adnotavimus. (*propos. 2.*) Alii Moysem non authorem, sed traductorem libri fuisse arbitrantur, ut Severus Sulpitius, (*in hist. sacr.*) & Pererius, (*in Job*) quibus Bonfrerius consentit. (*in Præloq.*) Opinio, quæ Salomonem habet autorem, satis est antiqua, siquidem videtur, fuisse Gregorii Nazianzeni, (*Orat. Jul. Ex.*) qui verba ex libro Job desumpta, sub nomine Salomonis laudat, nisi dicatur, illud ex memoriæ lapsu accidisse, ut Bellarminius credidit, (*loc. cit.*) atque ex eo Doujatius. (*lib. 1. Pran. c. 2.*) Hanc sententiam Recentiores plurimi sequuti sunt, quos inter Harduinus, (*in Chron. V. T.*) qui & annum scriptionis determinat. Isaiam, aut aliquem ex Idumæa Prophetam illud opus concinnasse, putarunt Hugo Grotius, (*prol. in Job*) & Codurcus. (*prol. in Job*) Calmetus, (*prolog. in Job*) Natalis, (*loc. cit.*) aliique plurimi rem in medio relinquunt: quod & facere nos oportet Gregorii præclarum illud usurpantes: Quis hæc scripserit, supervacuè quæritur, quum author libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem ipsa ad nos ejus facta transmisit.

4. Alia hic quæri solent de Jobi ætate, patria, Religione, morbo, & similibus, quæ veluti ab Theologico instituto aliena prætermittimus. Videsis nonnullas super hoc libro dissertationes Calmeti. Porro liber Job, inquit Hieronymus, (*in prol. galeat.*) prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur. Nimirum quadam metri specie scriptum esse, inquit, a versu tertio tertii Capitis usque ad sextum Capitis trigesimi secundi. Græci totum volumen in triginta duo dividunt capita; Latini in quadraginta duo: quod pro citationum intelligentia, & consensu inter Græcos, Latinosque Patres non inutile fuerit cum Dujatio observasse.

5. Quæ in hujus libri authoritatem opponunt nostri temporis hæretici ex ipsius Job loquutionibus desumpta, quibus & diei suo maledicere, justitiam Dei accusare, de se præsumere, suamque innocentiam extollere, & proprias virtutes laudare videtur; hæc, inquam, omnia levissimi momenti sunt, eaque abunde diluerunt Sacri Expositores, & præcipuè Gregorius in libris Moralium. Infirma pariter sunt, quæ in secundam propositionis partem objiciuntur. Nam primo,

Digitized by Google

mo, inquiunt, libri argumentum, contextum, stylum potius tragædiæ, quam Historiæ speciem præferre, quippe ligata oratione majore sui parte scriptus est, & tragædiæ nodum, solutionem, machinam, atque exitum imitatur. Addebat Theodorus Mopsuestenus, libri illius authorem fabularum Ethnicarum scientiam affectare voluisse; nam & Plejadum, & Arcturi meminit, & uni ex filiabus Job Cornu Amaltheæ nomen impositum fuisse, inquit. Deinde id præstitisse videtur, quod Tragædiarum Scriptores, qui petitum ex aliqua historia argumentum pluribus de suo adjectis corrumpunt potius, quam ornant. Denique suam sententiam confirmant ex Josephi silentio.

6. Hæc tamen levissima sunt. Et primo quidem Historiam, sive quodcumque aliud argumentum carmine exponi posse, quis inficietur? Maximè quod in ipso Job libro ea, quæ historiam propriè continent, ut tria prima, & ultimum caput, soluta oratione scripta sunt: ligata vero solum ipsius Job verba, amicorum interloquutiones, quæque iis Job reposuit, eo verborum, ac sententiarum delectu, non quo prolata sunt, sed quo proferri pro tempore potuerunt, uti Calmetus, Natalisque observarunt. In qua autem sive publici, sive privati hominis vita, & fortunarum vicissitudine, non nodum aliquem, & solutionem sive exitum observare liceat? Non enim veritas Poesim, sed Poesis veritatem, atque naturam rerum imitatur. Theodorum Mopsuestenum non curamus, quem ob hanc, & huic similes sententias merito quinta Synodus damnavit. Nec ei favet nomen illud Jobi filiæ impositum. Vox enim Hebraica non cornu Amaltheæ, ut verterunt Septuaginta Seniores, sed cornu stibii, aut vas pigmenti sonat, ut in Latina Vulgata habetur. Quod si Arcturi, & Plejadum nomina ibidem inveniuntur, non ideo est, quia libri author Græcorum fabulas noverit, sed quia Græci, & Latini Interpretes per hæc Græca, & posterius inventa nomina, Syriaca, & antiquissima carum constellationum vocabula ad nostrum captum accommodarunt. Si vero id solum dixisset Theodorus, saporem aliquem tragicæ compositionis ab Sacro Scriptore illis dialogis adspersum adscititiis quibusdam ornamentis adjectis, ut singulos loquentes adducat ætati suæ, & moribus consona, nihil ille dixisset, nisi quod maximè probaretur, ut de aliis dixit Calmetus. Neque Josephi silentium obstat, nam Josephus historiam suam ex solis Hebraici authoribus decerpsit.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XI.

Psalmorum Liber Canonicus est, Authores certi David, atque Asaph; alii, siqui sunt, incerti.

1. PRima hujus propositionis pars probatione non indiget. Innumera enim sunt testimonia ex libris jam ostensis Canonicis Regum, Paralipomenon, aliorumque, qui tales infra ostendentur, quæ pro divina Psalmorum authoritate adduci possent, præcipuè ex Evangeliis, Actis, & Epistolis Apostolorum: Unde communi consensu Judæorum, Christianorumque in Scripturarum Sanctarum Canone semper est habitus.

2. In secunda propositionis parte duo asserimus, nimirum David, & Asaph pro certis authoribus habendos. Et de Davide quidem nemo ibit inficias, quum potius ea sit plurimorum sententia; illum unum omnium psalmorum authorem fuisse: quod Theodoretus, (*præf. in Psal.*) Chrysostomus, (*hom. in Ps. 50.*) Augustinus, (*17. de Civ. 14.*) Euthymius, (*in 3. Reg. 13.*) Beda, Cassiodorusque tenuisse videntur. Contra, non omnes psalmos Davidi tribuendos expressis verbis docuit Hieronymus: (*Epist. 39. ad Cypr.*) Sciamus, inquit, errare eos, qui omnes psalmos Davidis esse arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt. Neque enim, inquit Hilarius, (*præf. in Psal.*) secundum plurimorum simplicitatem psalmi omnes Davidis censendi sunt . . . . sunt autem plures psalmorum Scriptores &c. Synopsis Athanasianæ Author: tametsi Psalmorum liber solius habeat Davidis inscriptionem, multorum quoque tamen aliorum in illo sunt psalmi, ut Asaph &c. Ita inter alios ex Theologis Bellarminius, (*l. 1. de Ver. Dei*) Natalis, (*in diss. de auth. Psal.*) Gotti, (*de Verit. Rel. Chr. tr. de lib. sacr.*) Doujat., (*in præn. Can. lib. 1.*) Bonfrerius, (*in præloq.*) Lamyus, (*in app. sacr.*) Calmetus: (*in Ps.*) estque hic opinandi modus nostris hisce temporibus receptissimus. Hac ergo supposita sententia statuimus, Asaph aliquorum psalmorum authorem esse: in quo Hilarius, Hieronymus, omnesque illi convenient, qui psalmos iis authoribus tribuendos putant, quorum nominibus inscribuntur. Verum argumentum, ex nudo titulo desumptum non satis firmum esse, jam alii adnotaverunt. Plures item psalmi titulo carent, ut secundus, qui tamen Davidi tribuitur in Actis Apostolorum. (*cap. 4.*) Plures titulum habent, non authoris, sed vel materiæ, circa quam versantur, vel Musici, a quo cantari, vel instrumenti, in quo cantari debebant, ut passim notant Interpretes. Hoc igitur prætermisso argumento, nostra assertio stabilitur

Digitized by Google

litur primo ex illo Paralipomenon: (*cap. 29.*) Præcepitque Ezechias, & Principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph videntis: ergo Asaph *Videns* erat, sive propheta, & ejus, sicut Davidis, erant sermones, seu psalmi notissimi. Nec video, quomodo huic loco adaptari possit aliquorum responsio dicentium, Asaph Cantorem solum fuisse, & psalmis ab Davide compositis modos adhibere solitum, ut non immerito dixerit Bonfrerius, argumentum hoc tam esse firmum, ut nulla ei possit idonea responsio inveniri. Confirmatur authoritate Eusebii narrantis illud, quod in 13. Matthæi legitur: Ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam, se vidisse in nonnullis Codicibus ita scriptum: quod dictum est per Isaiam prophetam; quod ille exscriptoris ignorantiæ tribuendum putat, legendumque: per Asaph Prophetam, quia testimonium illud, inquit, desumptum est ex psalmo septuagesimo septimo, cujus author Asaph. Similia habet Hieronymus in illum Matthæi locum, & in psalmum 77., ubi ait, omnes veteres Codices habere in Matthæo: ut adimpleretur quod dictum est in Asaph Propheta. Consonat supra citatus Author Synopsis.

3. Præter hos porro duos an sint, & qui alii fuerint psalmorum authores, incertum esse diximus in tertia propositionis parte: quod ex ipsa opinionum varietate satis apertè convincitur. Hieronymus (*Epist. 134. ad Sophro.*) hos authores assignat: David, Asaph, Idithum, filios Core, Eman Ezrahitam, Moysem, Salomonem, & reliquos, inquit, quos Esdras primo volumine comprehendit. Hilarius (*Præfat. in Ps.*) eosdem commemorat præter Eman Ezrahitam. Author Synopsis eosdem præter Moysem, & Salomonem, quibus ipse substituit Zachariam, & Aggæum. Rabbini apud Calmetum hos memorant: Adamum, Melchisedechum, Abrahamum, Moysem, filios Core, David, Salomonem, Asaph, Idithum, atque Etham. Eusebius: David, filios Core, Asaph, Salomonem, Moysem, Ethan. Bonfrerius: Moysem, David, Asaph, Eman, & Ethan Ezrahitas. Eosdem Sixtus Senensis additis filiis Core, & Idithum. Calmetus supra recensitis omnibus addit quatuor Majores Prophetas: Quum ergo in David, & Asaph omnes conveniant; in reliquis tanta sit varietas, eos nos geminos dumtaxat pro certis psalmorum authoribus agnoscimus, de aliis nihil certi habemus. Quid? quod Moysi Bonfrerius ex Eusebio psalmum unum tribuit, id est, octuagesimum nonum, Hieronymus, Bellarminus, Sixtus Senensis (*in Bibliot. lib. 1.*) undecim Moysi tribuunt, id est, ab 89. inclusive usque ad nonagesimum nonum: quod tamen stare non potest. Nam psalmum nonagesimum quartum Davidis esse, testis est Paulus scribens ad Hebræos. (*cap. 14.*) Et in 96. mentio fit Samuelis inter eos, qui invo-

Digitized by Google

vocant nomen Domini. Samuel autem multis sæculis Moyse posterior fuit. Dices, id a Moyse prophetice dictum fuisse. Verum existimet æquus lector (dicam cum Huetio), (*Demonstr. Evangeli. c. 13. prop. 4.*) utra præferenda sententia sit, vel quæ rationibus pugnat, vel quæ excogitatis miraculis se tueri cogatur.

4. Psalmorum liber hebraicè ספר תלים Sepher Thehillim, sive liber hymnorum dicitur. Porro Esdras, inquit Hilarius, (*In Prologo Psal.*) ut antiquæ ferunt traditiones. Psalmos incompositos, & pro authorum, & temporum diversitate dispersos in volumen unum collegit. Hic autem unus Psalmorum liber apud Hebræos ex antiqua traditione, cujus meminerunt Eusebius, Hieronymus, Ambrosius, & Cassiodorus, in quinque subdividitur partes, non quod quinque psalmorum libros esse velint, ut videtur intellexisse Hieronymus, (*Epis. 134. ad Sophron.*) atque ex eo Natalis, (*diser. 24. in 4. Mundi ætat.*) qui eam divisionem impugnat; sed quod liber unus pro legentium commoditate in quinque sectiones, aut cantus distribuatur ad eum fere modum, inquit Doujatius, (*Prænot. Canonic. l. 1. cap. 12. n. 4.*) quo liber Decretalium sextus in quinque minores libros divisus est. Prima pars continet psalmos 40., secunda 31., tertia 17., quarta totidem, reliquos quinta. Unaquæque autem sectio, sive Cantus his vocibus terminatur: Amen, amen, sive, ut Vulgatus Interpres vertit, *fiat*, *fiat*. Centum ergo, & quinquaginta psalmos tam Hebræorum Canon, quam Ecclesia recipit, nisi quod Hebræi psalmum nonum *Confitebor* in duos dividunt, & secundum ab illis verbis incipiunt: *Ut quid Domine recessisti longe* &c., & deinde sexagesimum nonum, & septuagesimum in unum conjungunt. Diximus autem psalmos centum, & quinquaginta, ut receptam in Ecclesia divisionem, & loquendi modum sequeremur. Siquis vero psalmos dumtaxat centum quadraginta octo numeraret, non cum eo certandum esset; nam decimus tertius, & quinquagesimus secundus idem fere sunt, & sexagesimus nonus pars trigesimi noni est.

5. Illud certissime tenendum, præter hos centum, & quinquaginta nullum alium ab Ecclesia fuisse unquam admissum, nec eo vocabulo nominatum. Quapropter oleum, atque operam perdidit Ludovicus Cerda Societatis Jesu, qui Psalterium Salomonis, id est, psalmos duodeviginti in Bibliotheca Argentoratensi repertos præterito sæculo, sub hoc nomine typis vulgavit. Apocryphi item habendi sunt duodecim illi, qui in Syriaco leguntur. Itemque ille, qui *Idiographus* inscribitur, quamvis in pluribus exemplaribus Græcis, & Latinis, & in Syriaco, & Arabico reperiatur, illiusque mentionem

cum

Digitized by Google

cum laude fecerint Author Synopsis, & Joannes Chrysostomus. (*Homil. 17. ad Pop. Antioch.*).

6. Dubiola hic duo dissolvenda obiter videntur. Primum de titulis psalmorum, an Canonici sint? Affirmat Azor, (*Inst. moral. lib. 8. c. 7.*) negant plerique cum Natali; (*dis. 24. cit.*) & Calmeto, quorum sententia certior videtur. Constat etenim; Psalmi nonagesimi titulum Theodoreti, Hieronymi, Augustini, atque Euthymii ætate non fuisse; at nunc habetur. Augustinus Psalmorum 89., & 95. titulos explodit. Theodoretus psalmorum 64., & 136. titulos velut adscititios improbat. Ipsa igitur hac de re dubitatio, & opinionum varietas pro Canonicis ab Ecclesia receptos non esse, satis probat. Dices, Tridentinum (*Ses. 4.*) jubere recipi libros integros cum omnibus suis partibus. Respondeo, titulos non esse psalmorum partes, ut ipse fatetur Azor. (*loc. cit.*) Nec Tridentinum de omnibus omnino partibus loquitur, sed de iis, quæ in Ecclesia Catholica legi consueverunt. Nusquam autem Ecclesia Psalmos cum titulis legit.

7. Secundo dubitari solet: An tres illi versus: Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum; dubitatur, inquam, An tres hi versus psalmi decimitertii partes habendi sint? Ratio dubitandi est, quia Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos (*cap. 3.*) eos inseruit. Tamen nec in Hebræis Codicibus, neque apud Septuaginta Interpretes habentur: quæ ratio esse potuit, cur ab antiquissimis illis Psalmorum Expositoribus Arnobio, Chrysostomo, Apollinari, Theodoreto, Euthymio prætermissi sint. Accedit testimonium Origenis, Hieronymi, Theophylacti, & Bedæ, ajentium, eos versus Apostolum ex diversis Scripturarum locis collegisse, & in unum Psalmi contextum, ac seriem conjecisse. Eadem est sententia Cassiodori, & habetur in Glossa, ubi tamen mendum inesse existimo, & ubi dicitur, eos versus fuisse ab Apostolo ex diversis locis compactos, & a Septuaginta Interpretibus additos, legendum esse, & Septuaginta Interpretibus additos. Nam versio τῶν 70. eos non habet, & in eodem loco Epistolæ ad Romanos notatur ad marginem, eos tres versus in hebræo non haberi, sed neque apud Septuaginta. Confirmatur: quia cum Apostolus Paulus numerum Psalmi non citaverit, & eadem sint verba in psalmo 13., & 52.; Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, nulla poterit ratio assignari cur sequentes versus a Paulo commemorati potius decimo tertio.

tio, quam quinquageſimo ſecundo pſalmo aſſignandi ſint. Quapropter citatus Caſſiodorus: Infra, inquit, Pſalmus iſte repetitus eos verſus non habet. Reſpondeo tamen cum Azor, (*Inſt. mor. 8. c. 1.*) eos tres verſus pſalmi decimi tertii partem dicendos eſſe, & forcaſſe Pauli tempore in aliquibus Hebræis Codicibus extitiſſe, non vero in omnibus: quod in cauſa fuit, ut Septuaginta Interpretes, & antiquiſſimi Expoſitores eos omiſerint. Quod vero pſalmo 13. potius, quam 52. aſſignati fuerint, id ex aliqua in Pauli Epiſtola citatione: aut marginali nota innoteſcere potuit, ſiquidem ante Hieronymi, & Auguſtini tempora in Vulgata Editione Latina legebantur, præſertim quum nonnulli alii pſalmorum verſus in Hebraicis Codicibus deſiderentur; qui apud Septuaginta, & in Vulgata noſtra leguntur, ut ibidem obſervat Azor, & nos alio in loco, Deo dante, demonſtrabimus.

PROPOSITIO XII.

Proverbiorum Liber Canonicus eſt: Author Salomon.

1. PRima pars ſuadetur; nam Epiſtolæ Petri, & Jacobi Canonicæ ſunt, ut ſuis locis conſtabit; ſed in his laudantur tamquam Scriptura divina teſtimonia ex libro Proverbiorum (*c. 26.*) deſumpta, ut illud (*2. Pet. c. 2.*) Canis reverſus ad vomitum; & illud (*1. Petr. c. 5.*) Humilibus autem dat gratiam: (*Jacob. c. 4. v. 3.*) ergo liber Proverbiorum Canonicus eſt. Confirmatur id ipſum ex communi conſenſu tam Judæorum, quam Chriſtianorum.

2. Secunda pars liquet ex ipſamet Libri fronte: (*cap. 1.*) Parabolæ Salomonis filii David, Regis Iſrael. Et item: (*cap. 10.*) Parabolæ Salomonis. Et item: (*cap. 25.*) Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt Viri Ezechiæ Regis Juda. Siquis autem contendat, authorem libri non eum eſſe, cujus ſunt Parabolæ, ſed eum, cujus opera congeſtæ, & compilatæ ſunt, non cum hoc certabimus, dummodo id nobis detur, non quod Grotius voluit, (*in c. 1. Prov. & 3. Reg. 4.*) Salomonem aliorum Sapientum, quotquot ferebantur, ſententias in unum corpus collegiſſe, ſed alios Salomonis ſententias, & Proverbia in unum hunc librum congeſſiſſe, ſcilicet partim viros Ezechiæ Regis Judæ, ut in cit. cap. 25. habetur, partim Eſdram, aut alium quemcumque, qui libros ſacros recenſendos, atque in ordinem redigendos ſuſceperit, ut Hyppolitus Martyr, & Euſebius teſtantur. Quamquam autem Proverbiorum author communiter habeatur Salomon, quod maxima libri pars præclaras ejus ſententias complectatur, tamen an ipſe ſit au-

thor

Digitized by Google

thor duorum postremorum capitum, in dubio est. Allud enim incipit: (*cap. 30.*) Verba Congregantis, filii Vomentis; visio quam loquutus est vir, cum quo est Deus &c. Aliud autem: (*cap. 31.*) Verbum Samuelis Regis. Visio, qua erudivit eum mater sua. Juxta Hebraici sermonis proprietatem sic Capitis trigesimi initium legendum observaverunt Viri Eruditi. Verba Ahgur filii Jake. Prophetiam dixit Vir ad Itiel, & Uchal. Ahgur, sive Aghur, hujus capitis authorem faciunt nonnulli, quos sequitur Menochius, qui tamen ultimi capitis authorem Salomonem agnoscit. Natalis (*dissert. IV. in 5. Mund. ætat.*) de utriusque authore dubitat. Usus certè Ecclesiasticus, & antiqui Patres utrumque caput Salomonis nomine laudant, leguntque.

PROPOSITIO XIII.

Liber Ecclesiastis Canonicus est: Author Salomon.

1. PRimum patet ex Canone tam Judæorum, quam Catholicæ Ecclesiæ. Secundum autem ex eodemmet libro, cujus initium est: Verba Ecclesiastæ, filii David, Regis Israel. Deinde author divitiarum suarum, atque ædificiorum meminit cap. 3., & Proverbiorum, seu parabolarum a se scriptarum in 4. capite: quæ omnia nisi Salomoni adaptari non possunt; estque hæc receptissima Patrum, ac Doctorum sententia.

2. Liber hic hebraicè קהלת *Koheleth* dicitur. Quæ in eo difficultatem ingerunt nonnullam, hæc sunt: (*c. 2. v. 19.*) Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio . . . Quis novit, si spiritus hominis ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et item: (*cap. 9.*) Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem. Item: (*cap. 5.*) Vidi sub Sole, nec velocium esse cursum, neque fortium bellum ... sed tempus, casumque in omnibus. Item: Hoc visum est mihi bonum, ut comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius. Quibus in verbis animæ immortalitatem, & providentiam negare videtur, atque Epicuræorum ritu in rerum caducarum fruitione ultimum finem constituere.

3. Ad primum tamen horum respondet D. Thomas, (*1. p. q. 75. art. 1.*) id dictum esse ex persona insipientium. Unde pro contraria parte postea dicitur: (*cap. 12.*) donec revertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum. Quam solutionem D. Thomas a Gregorio accepit, cujus hæc sunt tam pro hujus, quam

quam pro aliorum similium intellectu verba præclarissima: (*4. Dial. c. 4.*) Alia sunt, quæ in libro hoc per inquisitionem moventur, atque alia, quæ per rationem satisfaciunt. Alia, quæ ex tentati profert animo: alia vero, in quibus ea, quæ rationis sunt, disserit, ut animum a delectatione compescat. Adsonat Hieronymus inquiens: (*in Eccles.*) Hæc aliquis loquatur Epicuræus, aut cæteræ pecudes Philosophorum. Aliud ex cap. 9. ita exponit D. Thomas. (*1. 2. q. 114. a. 10.*) Dicendum, quod omnia æquè eveniunt bonis, & malis quantum ad ipsam substantiam rerum temporalium, sed non quantum ad finem. Quod vero dicitur, tempus, casumque esse in omnibus, ita idem explicat Angelicus: (*1. p. q. 103. a. 5.*) In omnibus, quæ generantur, & corrumpuntur, casus invenitur, non ita quod omnia, quæ in eis fiunt, sint casualia; sed quod in quolibet eorum aliquid casuale inveniri potest (scilicet præter intentionem causarum proximarum). Et hoc ipsum, quod in eis aliquid casuale invenitur, demonstrat, ea alicujus gubernationi esse subjecta. Nisi enim hujusmodi corruptibilia ab aliquo superiori gubernarentur, nihil intenderent, maximè ea, quæ cognitione carent, & sic non eveniret in eis aliquid præter intentionem, quod facit rationem casus &c. Postremus etiam locus pium sensum habet, si intelligatur vel cum Hieronymo ad comparationem ejus, qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, & cum grandi vitæ tædio peritura comportat: vel etiam si absolutè intelligatur de eo, qui cum gratiarum actione donis Dei temporalibus in cordis simplicitate fruatur.

PROPOSITIO XIV.

Canticum Canticorum divinæ authoritatis est: Author Salomon.

1. Prima pars eodem, atque antecedens, argumento convincitur, communi scilicet Judæorum, & Christianorum consensu, qui etiam in eo conveniunt, ut Salomonem authorem agnoscant, quamvis non defuerint Rabbini, qui illud Isaiæ tribuerint, nullo tamen fundamento. Hebraicè dicitur שיר השירים Sir hasirim Canticum Canticorum, sive omnium Canticorum excellentissimum. Neque audiendus Grotius, (*in Annot. ad c. 1. huj. lib.*) cui liber hic nil est aliud nisi *ο αριςις* garritus scilicet conjugum, & lenis amantium lascivientium susurrus, ubi nuptiarum arcana pudenda sub honestis verborum involucris latent. Calmetus, quum statuisset, carmen hoc epithalamium esse, ad litteramque intelligendum de Salomonis Nuptiis cum Ægyptia aliqua, aut Phœnicia fœmina, totum illud in septem, aut octo scenas partitur per dies totidem, in quibus cærimonias,

Digitized by Google

nias, ritusque apud Hebræos in prima Nuptiarum hebdomada usitatos videre sibi visus est. Valeant tamen ista, & Hieronymum sequamur, (*Epist. ad Paulin.*) apud quem Salomon Ecclesiam jungit, & Christum, sanctarumque Nuptiarum dulce canit epithalamium. Sequamur Augustinum, (*De Civ. 17. c. 20.*) apud quem Canticum Canticorum spiritualis quædam est sanctarum voluptas animarum in conjugio Christi, & Ecclesiæ. Sequamur Bernardum, (*Serm. 1. in Cant.*) apud quem Salomon divinitus inspiratus Christi, & Ecclesiæ laudes, & sacri amoris gratiam, & æterni connubii cecinit sacramenta; sequamur Origenem, (*hom. 1. in Cant.*) Gregorium Nissenum, (*hom. 1. in Cant.*) Isidorum, (*6. Orig. c. 3.*) Bedam, (*lib. 2. in Cant. c. 1.*) Cassiodorum, (*in Cantic.*) & a Veteri ad novam sponsam accedentes, ut Theodoretus (*præf. in Cant.*) sapienter scripsit, hac ratione Canticum Canticorum interpretemur, rejectisque falsis, ac perniciosis opinionibus, sanctos imitemur Patres, atque unam Sponsam (Ecclesiam) cum uno Sponso (Christo) colloquentem agnoscamus.

PROPOSITIO XV.

Prophetia Isaiæ divinæ authoritatis est.

1. PRobatur primo: Quatuor Evangeliorum libri divinæ authoritatis sunt, ut infra demonstrabitur; sed in his plura sunt ex Isaia desumpta testimonia, ut illud Marci: Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto &c., & hujusmodi alia apud Matthæum, Lucam, & Joannem: ergo Isaiæ prophetia divinæ authoritatis est. Secundo: Nequit non esse Deo inspirante conscriptum, quod multo antequam fieret, prænuntiatum est, nam testimonium divinitatis est veritas divinationis; sed tam de rebus Hebræorum, quam de Christo JESU, aut venturo Messia multa prædixit Isaias, quæ longum post tempus completa sunt, ut infra constabit: ergo Deo revelante loquutus est. Tertio: idem convincitur ex Hebræorum, & Ecclesiæ in eo recipiendo consensu. Porro in hujus, atque aliorum propheticorum librorum authoribus asserendis, nobis immorandum non erit, quum in ipsa semper eorum fronte legatur: Visio Isaiæ, Visio Jeremiæ &c. Opponit tamen Recentior quidam author Tractatus Theologico-Politici. 1., Isaiam Regis Oziæ res gestas scripsisse, quæ tamen hic non leguntur. Secundo: Isaias etiam sub Manasse Rege vaticinatus est, cujus jussu sectus interiit; sed ea vaticinia in eo, quem habemus, Isaiæ libro non extant: ergo hæc, quam habemus, non est vera, & germana Isaiæ prophetia. Tertio: vaticinandi munus demandatum est Isa-

Digitized by Google

Isaiæ post mortem Oziæ Regis. Dicitur enim: (*cap. 6.*) in anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem &c. Et dixi: Ecce ego, mitte me, & dixit Dominus ad me: Vade &c., at in capite primo dicitur, eum prophetasse in diebus Oziæ Regis: quæ inter se non cohærent. Hæc tamen non urgent. Primum enim, & secundum solum probant, aliqua Isaiam scripsisse, quæ ad nos non pervenerint. Ad tertium vero negatur assumptum, quod ex capitis sexti initio non satis evincitur. Fieri enim potuit, ut Isaias viderit Dominum sedentem &c. in anno, quo mortuus est Rex Ozias, & viderit tamen, antequam Ozias moreretur. Nam si Titius v. g. moriatur mense Augusto hujus anni 1779., & ego rem mense Martio gestam enarrandam suscipiam, rectè, ac verissimè dixero, illud contigisse in anno, quo mortuus est Titius, & tamen vivente illo. Secundo dici potest, initium Capitis sexti intelligendum esse de publica, & solemni Prophetæ missione, qua Reges ipsos adire, & increpare jussus est: quod Oziæ tempore adeo apertè non fecerat. Tertio, intelligendum de mandato divulgandi eam particularem visionem, ut vult Natalis. (*dis. 10. in 4. ætat.*) Prima solutio verosimilior, atque expeditior videtur.

PROPOSITIO XVI.

Jeremiæ Liber Canonicus est.

1. PRopositio hæc eodem, ac præcedens, modo stabilitur, siquidem & apud Matthæum, (*cap. 2.*) & Paulum (*ad Heb. 8.*) Jeremiæ laudantur testimonia, atque ex iis, quæ prænuntiavit, plurima in ipso Israelis populo, finitimisque Nationibus, plura in Christo, & Ecclesia completa esse, alibi fusius demonstrabitur: tandemque in eo Hebræorum, & Ecclesiæ consentit authoritas.

2. Duo autem sunt quæ in Jeremia nonnullam difficultatem habere videntur. Primum quidem de septuaginta annis Captivitatis: quo de argumento satis, superque supra (*prop. 8.*) dictum a nobis est. Secundum est de Jechonia, de quo sic apud Jeremiam legitur: (*cap. 22.*) Scribe virum istum sterilem . . . Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Israel; sed hoc est falsum, quia Jechonias filium habuit Salathielem, & nepotem Zorobabelem, qui fuit dux in Israel: (*1. Paral. 3.*) ergo. Sub alia forma hoc argumentum sibi opponit D. Thomas: (*3. p. q. 31. ar. 2.*) Christus est ex semine David per Jechoniam, ut ex Matthæo liquet; (*cap. 1.*) sed Christus sedit super solium David, ut dicitur Lucæ 3.: ergo falsum, est, ex semine Jechoniæ ne-

neminem sessurum super solium David. Dicendum tamen, virum sterilem vocatum Jechoniam, quia nullus ex sua stirpe in regia potestate successit, sed (*Jer. 22.*) abjectus est ipse, & semen ejus, & projectus in terram, quam ignorabat. Ad aliud de Christo respondet D. Thomas, quod per eam authoritatem propheticam, sicut Ambrosius dicit super Lucam lib. 3., non negatur, ex semine Jechoniæ posteros nascituros, & ideo de semine ejus Christus est. Et quod regnavit Christus, non est contra prophetiam; non enim sæculari honore regnavit. Ipse enim dixit: Regnum meum non est de hoc mundo.

PROPOSITIO XVII.

Liber Ezechielis est Canonicus.

1. Probatur, sicut præcedentes. Namque ejus authoritati testimonium perhibet author Ecclesiastici, de quo infra, ita de eo scribens: (*c. 49.*) Ezechiel vidit gloriæ conspectum, quam ostendit illi in curru Cherubim. Quæ autem prædixit, partim in Veteri, partim in Nova Lege completa cernuntur; eumque tam Judæorum Synagoga, quam Christi Ecclesia inter Deo afflatos Scriptores semper recensuit.

2. Opponi tamen potest primo: Ezechielis doctrinam cum Moyse, & Jeremia cohærentem non videri: quos tamen Sacros, & Canonicos esse Scriptores, supra est demonstratum. Dicitur enim apud Moysem: (*Exod. 20.*) Ego Dominus Zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios usque ad tertiam, & quartam generationem. Et apud Jeremiam: (*cap. 34.*) Qui reddis iniquitatem Patrum in sinum filiorum post eos. At Ezechieli dixit Dominus: (*cap. 18.*) Quid est quod parabolam vertitis in proverbium dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Vivo ego, dicit Dominus. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur .... Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Secundo: (*cap. 20.*) Per Ezechielem dicitur, Deum dedisse populo Israel præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent: non ergo mandatum sanctum, & justum, & bonum, ut Paulus ait: (*Ad Rom. 7.*) tertio: dicitur apud Ezechielem: (*cap. 14.*) Ego Dominus decepi Prophetam illum: quod est, Deum authorem facere mendacii: non ergo Ezechielis liber divinæ authoritatis est.

3. Hæc tamen facili negotio diluuntur. Primum locum cum Moyse, & Jeremia ita componit D. Thomas: (*1. 2. q. 81. art. 2.*) Dicendum, quod pœna spirituali, sicut Augustinus dicit in Epistola ab.

Digitized by Google

ad Avitum (aliter Auxilium) nunquam puniuntur filii pro parentibus, nisi communicent in culpa vel per originem, vel per imitationem; sed pœna corporali interdum judicio divino, vel etiam humano, filii pro parentibus puniuntur, in quantum filius est aliquid patris secundum corpus. Locum alterum idem exponit D. Thomas dicens: (*1. 2. q. 98. art. 1.*) Quod ibi sermo est de præceptis ceræmonialibus, quæ dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines a peccato mundarentur, quum tamen per hujusmodi se peccatores ostenderent, & ideo signanter dicitur, & judicia, in quibus non vivent, id est, per quæ vitam gratiæ obtinere non possunt; & postea subditur: Et pollui eos (id est, pollutos ostendi) in muneribus suis. Aliter hunc locum explicuit Hieronymus, & habetur in Glossa. (*ad cit. loc.*) Ad tertium dicitur, Deum decipere, non deceptionem ipsam faciendo, sed eam permittendo, ut late explicuit Canus, (*lib. 2. c. 4.*) & communiter Theologi. Alia in hujus libri authorem opponit Spinosa, sive supra citatus Author Tractatus Theologico-Politici, adeo tamen levia, ut in iis solvendis immorandum non sit. Josephus (*10. Antiq. c. 6.*) Ezechielem duos libros scripsisse, testatur. Sive is, quem habemus, in duos olim divisus fuerit, sive ille alius ad nos non pervenerit: quod vero propius est. Narrat enim, Ezechielem futurum prædixisse, ut Sedecias Babilonem non videret, quamvis illuc deportandum Regem illum prædixerit capite ejus, quem habemus, libri decimo septimo: quod utrumque completum est, quoniam Sedecias licet Babilonem deportatus, erutis tamen antea oculis, ipsam videre non potuit. Id tamen modo apud Ezechielem non legitur. Quamobrem librum illum secundum, siquis fuit, periisse credendum est.

PROPOSITIO XVIII.

Liber Danielis Canonicus est.

1. SUb hoc nomine solum Danielis prophetiam hic intelligimus. Nam de controversis ejus fragmentis, nimirum Azariæ oratione, & trium puerorum Cantico, quæ habentur capite tertio: de historia Susannæ, quæ capite decimo tertio: de Beli idolo everso, & Dracone occiso, quæ capite decimo quarto narrantur, de his, inquam, infra singillatim agendum erit. Et quidem eodem, ac præcedentes, ratiocinio firmatur propositio. Siquidem Christus Dominus apud Matthæum: (*c. 24.*) Quum videritis, inquit, abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta &c. Daniel porro de Christo non solum prædixit, esse venturum, inquit Hieronymus,

Digitized by Google

(*in Daniel.*) quod est ei commune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus esset, docuit, & Reges per ordinem prædixit . . . . tantaque dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura prædixisse, sed narrasse præterita. Momenta, quibus Rabbini nonnulli Danielem ab numero Prophetarum excludunt, levia sunt admodum, eaque abundè confutavit Theodoretus. (*præf. in Dan.*) Oppones vero Athanasium, sive Authorem Synopsis Danielem inter Apocrypha recensentem. Secundo Isidorum ajentem: (*6. Origin. c. 2.*) Ezechiel, & Daniel a viris quibusdam sapientibus scripti esse perhibentur. Dico tamen ad primum, intelligi debere non de hoc Danielis libro, sed de aliis vaticiniis, quæ Danielis nomine circumferebantur, de quibus etiam in Gratiani Decreto. (*26. q. 7.*) Isidorus vero, aut ex Rabbinorum sententia loquitur, aut non de prima scriptione, sed de ejus ex Chaldaica in Hebraicam linguam versione intelligendus est.

2. Quæri hic posset primo: Quisnam fuerit Darius ille Medus, qui apud Danielem (*cap. 5. 6. & alibi*) regnasse, dicitur, Balthassare occiso? Communis est opinio cum Josepho, (*10. Antiq. c. 13.*) Darium illum fuisse Cyri avunculum, qui una cum Cyro Babilonem expugnaverit, Medum genere, cuique Cyrus honoris gratia (senex enim erat annorum supra sexaginta) primas in Regno detulit, ut verissimum sit, quod ab Daniele fuerat prædictum: (*c. 5.*) Divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis, Dario, nempe Medo, & Cyro Persæ. Ita Azorius. (*lib. 6. c. 36. q. 3.*) Sunt, qui cum Natali Darium Medum eundem esse velint cum Nabonide, de quo prophani Scriptores loquuntur. Secundo dubitari posset: Quì conveniat Danielis narratio de convivio Balthassaris cum prophana historia de obsidione Babilonis ab Cyro? Dicitur vero, etiam in obsessa urbe potuisse Balthassarem convivium celebrare, ut passim & videmus, & legimus, præsertim quum se in urbe munitissima, & populosissima tutum existimaret. Et quidem eo die Babilonios festum egisse, & publicis ludis, saltationibus, atque epulis indulsisse, totamque noctem in maximo luxu, atque intemperantia transegisse, Herodotus etiam, (*l. 1.*) & Xenophon (*Cyrop. l. 1.*) scripserunt. Tertio: expendenda hic videbatur gravis illa difficultas de computatione Septuaginta Hebdomadum; sed hoc ad Expositorem magis, quam ad Dogmaticum Theologum spectat, & nos alibi opportuniori loco eam discutiendam suscepimus.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XIX.

Duodecim Prophetarum Libri Canonici sunt.

1. SUadetur primo ex Hebræorum, & Christianorum consensione. Secundo ex eorum, quæ prædixerunt, complemento. Tertio ex ipsorum testimoniis ab Sacris Authoribus usurpatis. Oseæ namque meminit Matthæus inquiens: (*cap. 2.*) Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: ex Ægypto vocavi filium meum. Item Paulus: (*ad Rom. 9.*) Sicut in Osee dicit: Vocabo &c.

2. Joelis locum ex capite undecimo: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, commemorat, exponitque Petrus in Actis Apostolorum. (*cap. 2.*) Amos Prophetæ meminit Scriptor libri Tobiæ, (*cap. 2.*) & item in iisdem Actis Jacobus Apostolus. (*cap. 15.*) Jonas laudatur in quarto Regum libro: (*cap. 14.*) Juxta sermonem Domini, quem loquutus est per servum suum Jonam: & item Christus Dominus apud Matthæum: (*cap. 12.*) Non dabitur ei nisi signum Jonæ Prophetæ. De Michæa sumptum est illud apud eundem Matthæum: (*cap. 2.*) Sic enim scriptum est: Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es &c. Aggæi meminit Esdras, (*lib. 1. c. 5.*) atque ex eo testimonium desumpsit Paulus: (*ad Hebr. 13.*) Nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel, & ego commovebo &c. Zachariam Christus Dominus Prophetam vocavit apud Matthæum, (*cap. 23.*) atque ex eo testimonium, quamvis sub Jeremiæ nomine Matthæus ipse desumpsit. (*cap. 27.*) Illud denique: Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te, ex Malachia desumpsit etiam Matthæus. (*cap. 11.*)

3. Porro de Prophetarum tam Majorum, quam Minorum ætate, patria, gestis, obitu plura habes apud Calmetum, Natalem, & alios, quæ ab instituto nostro aliena existimavimus. Quæ autem in citatis locis, quibus asteriscum præfiximus, difficultates notatu dignæ sunt, eas in opportuniorem locum explicandas rejecimus, quum scilicet de librorum Novi testamenti authoritate nobis agendum erit.

PROPOSITIO XX.

Libri Veteris Testamenti Deutero-Canonici hi sunt : Esther , Baruch , Danielis pars , Tobias , Judith , Sapientia , Ecclesiasticus , & Machabæorum duo .

1. LIbros Deutero-Canonicos eos cum Bellarminio dicimus , quorum non semper æque certa, atque explorata authoritas fuit ; sed citati libri omnes in Scripturarum Sanctarum Canonem Catholicæ Ecclesiæ authoritate jam recepti sunt , quamvis fuerit alias de iisdem dubitatum : sunt igitur inter secundi ordinis libros Canonicos recensendi. Minor sequentibus propositionibus demonstrabitur.

PROPOSITIO XXI.

Liber Esther cum omnibus suis partibus Canonicus est .

1. HAnc propositionem ideo sic efferimus , quia sunt nonnulli , qui quamvis librum hunc divinæ authoritatis esse nobiscum sentiant , ejus tamen postrema septem capita veluti apocrypha , & adscititia respuant . Probatur autem primo ex Canone Hebræorum , qui eum , uti nos nunc legimus , sacrum semper habuerunt : quod patet ex Septuaginta Interpretum Versione . Ili enim eos solum libros transtulerunt in Græcam linguam , quos in Canone Hebræorum invenerant . Item ex Josepho , (*lib. 10. c. 12.*) qui sæpe testatus est, se omnia, quæ scripserit in libris Antiquitatum Judaicarum, nonnisi ex Sacris Hebræorum libris eruisse ; at ipse totam hujus libri historiam suis scriptis inseruit : ergo ea in Sacris Hebræorum libris extabat. Confirmatur : Quoniam festum Phurim , seu Sortium per multa sæcula ab Judæis observatum esse , constat ex Secundo Machabæorum , (*cap. 15.*) ejusque mentionem fecit etiam Justinianus in lege *Judeos Cod. de Judæis* ; at ejus festi institutio aliunde non habetur, quam ex libro Estheris : ergo hunc tanquam sacrum habuerunt Hebræi . Atque ita habuerunt , ut omnes reliquos sui Canonis libros adventu Messiæ abolendos fore crediderint , præter libros Moysis , & Estheris , ut scribit Maimonides Rabbinorum doctissimus . Idem quoque convincitur ex traditione , & consensu Patrum . Origenes enim, (*in psal. 1.*) Eusebius , (*hist. l. 3. c. 25.*) Cyrillus Hierosolymitanus , (*Cathec. 4.*) Epiphanius, (*de Pond. c. 28.*) Damascenus , (*de fid. l. 4. c. 18.*) Hilarius, (*in Psal. 1.*) Hieronymus, (*in Prol. gal.*) Innocentius Primus , (*Ep. ad Exuper.*) Ruffinus , (*in Symb.*)

Au-

Digitized by Google

Augustinus, (*2. de doct. Chr. c. 8.*) Gelasius, (*in Synod. Rom.*) Eugenius Toletanus, (*in Carm. de libr. Sacr.*) & Concilia Laodicenum, (*Can. ult.*) Carthaginense, (*act. 3. can. 47.*) Tridentinum, (*Ses. 4.*) Estheris librum inter Canonicos recensent.

2. At enim Melython Sardensis apud Eusebium, Author Synopsis inter Opera Athanasii, atque Gregorius Nazianzenus in librorum Canonicorum indice illum prætermiserunt? Quid inde? Oberuntne reliquorum Patrum, & Ecclesiæ communi consensui? Quid? quod Melython ipse fatetur, suum sacrorum librorum indicem ab recepto Asiaticarum Ecclesiarum Canone nonnihil discrepare, uti observavit Tourneminius. (*append. 1. art. 1. in prel. Bonfrer.*) Synopsim non Athanasii, sed incerti authoris opus esse, quamvis antiqui, & alias venerandi Recentiores Critici jamdudum adnotarunt, quorum sententiam sequuti sumus in tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis. Unus ergo restat Nazianzenus, cujus authoritati, quamvis in rebus Theologicis magnæ, authoritatem reliquorum omnium Patrum, & Ecclesiæ totius opponimus, præsertim quia potuit in librorum enumeratione virum sanctum memoria defecisse.

3. Jamvero cum Patres Estheris libro divinam authoritatem tribuebant, de eo profecto loquebantur, quo eo tempore utebatur Ecclesia; sed in Vulgata Editione, qua primis illis sæculis utebatur Ecclesia, ea septem postrema capita legebantur, ut testis est Græcus textus, qui Septuaginta Interpretum nomine circumfertur: testis Athanasius, sive Author Synopsis: testis ipse Hieronymus, qui ea capita ex Vulgata Editione, non ex Hebræis Codicibus, se transtulisse, inquit: testis Origenes, qui apud Theodotionem, & Septuaginta Seniores ea inveniri, asserit: ergo septem illa capita ejusdem, ac reliqua authoritatis sunt.

4. Et quidem ante Tridentinum senserint ita sanè Lyra, Carthusianus, Cajetanus, aliique Catholici Doctores; at post Tridentini definitionem nescio, quî horum capitum authoritatem negare potuerint Sixtus Senensis, (*lib. 1. & 8.*) pius alioqui, & doctus Scriptor. Ut enim argumentatur Azor, (*lib. 8. c. 1.*) quid Sixtus faceret, si quisquam Deuteronomii, vel Josue ultimum caput truncaret, quod non libri Canonici genuinam partem, sed additamentum quoddam esse diceret? Quid? quod ut bene notat Bellarminius: (*De Verb. Dei l. 1. c. 7.*) Certo quodam libro approbato, omnes ejus genuinas, ac veras partes approbatas esse, nemo ambigit. Quorsum igitur illa verba Concilii: *cum omnibus suis partibus*? nisi ut intelligatur, etiam partes, de quibus aliquando controversia fuerat, ad Sacrorum librorum Canonem pertinere? Denique: Concilium recipi, ut Canonicos, jubet libros ibi annumeratos cum omnibus suis partibus, prout in

Digitized by Google

Ecclesia Catholica legi consueverunt; sed in Ecclesia legi consueverunt etiam postrema libri Estheris capita: nam *ex cap. 13.* legitur Missa in fer. 4. post Dominic. 2. Quadragesimæ, & Missa contra Paganos, & *ex cap. 14.* in Dominica 22. post Pentecostem: ergo ea capita Canonica sunt ex mente Tridentini.

5. Accedit & Sanctorum Patrum authoritas. Nam ex cap. 14. Estheris testimonium laudant Chrysostomus, (*hom. 3. ad Ant.*) Augustinus, (*epist. 262.*) Origenes, (*epist. ad Jul. Afr.*) Hieronymus, (*in Ep. ad Gal. c. 1.*) Rupertus, (*de Vict. Verbi lib. 18. c. 12.*) & Basilius. (*2. cont. Euno.*) Quod si Basilius (ut hoc obiter dicam) Estheris librum Canonicum habuit; qui fieri potest, ut Gregorius Nazianzenus illum eundem librum ut apocryphum ab Canone Sacrorum librorum expunxerit? Vim hujus argumentationis non contemnet, qui utriusque Patris scripta pervolverit, noveritque, Gregorium, & Basilium, uti ingenio, doctrina, atque ætate æquales, ita & amicitia, & studiorum communione, ac methodo fuisse conjunctissimos. Ex citatis autem antiquissimus Origenes, quum præmisisset, hæc capita in Hebræis Codicibus non haberi, talia subdit: Vide ergo, ne imprudentes, & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in Ecclesiis, & legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem Sacros, qui apud eos feruntur, libros, atque assententur Hebræis, quasi qui nobis puros tribuant, & qui nihil habeant figmenti. An non Providentia in Sanctis Scripturis dedit omnibus Ecclesiis ædificationem? Hæc Origenes, quem tamen ea in Epistola hæc additamenta explodere Sixtus Senensis scripsit. Nec dissimulabimus, Hieronymum (*prol. in Est.*) in ea fuisse opinione, ut crederet, in Editione Vulgata ea addita fuisse, quæ ex tempore dici poterant, & audiri, ad eum fere modum, inquit, quo in scholaribus disciplinis sumpto themate, excogitari solet, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit. At in iis verbis non ideo omnem illis capitibus authoritatem derogat, solumque asserit, & in Hebraicis Codicibus non inveniri, & in Græcis, Latinisque stylo paulo accurato, atque elegantiori ea fuisse dicta. Quod vero ea quoque additamenta divinæ authoritatis esse crediderit, patet ex citato loco in Epist. ad Galatas, ubi *ex cap. 14.* assumit testimonium. Quamvis autem in Hebraicis Codicibus nunc non extent, extitere tempore Septuaginta Seniorum, & Josephi, ut supra citatis eorum locis adnotavimus.

6. Pro nonnullarum quæstionum solutione scire oportet, capita hujus libri non juxta rerum gestarum seriem, atque ordinem esse disposita. Incipit enim historia capite undecimo. Sequitur duodecimum, ubi insidiæ per anticipationem narrantur, quæ suo loco haben-

Digitized by Google

bentur capite secundo. Deinde procedunt primum, secundum, tertium, quartum, post quod attexenda oratio Mardochæi, quæ habetur capite decimo tertio, & Reginæ Estheris, quæ habetur cap. 14. Exemplar porro Epistolæ, quæ habetur cap. 13., proprium habet locum in capite tertio. In cap. 15. elegantiori stylo narrantur, quæ habentur pressius in primis versibus capitis quinti. Decimum sextum caput medio capiti octavo interserendum est, legendaque deinceps pars octavi reliqua, nonumque, ac decimum eo, quo extant, ordine. Patitur autem Ecclesia ea capita sic indigesta ad calcem libri permanere, ubi ea collocavit Hieronymus, ut internoscatur, quid hujus libri sit, quid non sit in Hebraicis exemplaribus, uti admonuit recte Bellarminius. (*De Verb. Dei l. 1. c. 7.*)

7. Oppones tamen, ea capita cum reliqua libri parte pugnare. Prius namque dicitur, Aman fuisse de stirpe Agag, qui fuit Rex Amalecitarum, ut habetur in primo Regum: erat ergo origine Amalecita. At *cap. 13.* dicitur fuisse Bugæus, & alibi: animo, & gente Macedo. Respondetur primo, Agag, de cujus stirpe dicitur fuisse Aman, non eundem esse, qui in Amalec regnavit, sed alium cognominem. Secundo: quid prohibet, Amanum stirpe Amalecitam fuisse gente, aut patria Macedonem? Maxime cum Lacedæmones, & Macedones ab eadem gente Lelegum originem ducant, ut antiqui omnes fatentur. At Spartiatas, seu Lacedæmones fratres esse, sive ex eadem Abrahami stirpe genitos, constat ex libris Machabæorum: ergo ex eadem Abrahami stirpe originem ducunt Macedones. Judæi quidem per Jacob, Macedones autem, & Spartiatæ per Esau, cujus filius Eliphas, nepos Amalec, sive Amlec, cujus nomen ex *Am*, & *Lelec*, unde Leleges, cujus nominis significatio est eadem, nimirum *populus herbosam terram habitans*, uti observavit Clericus. Verum ethymologiis istis parum fidendum esse, nemo est qui nesciat. Vide, si placet, Tourneminii dissertationem in Append. 2. ad aliam Possini inter Opera Menochii.

8. Tertio respondet Natalis Alexander, (*Hist. Vet. Test. disser. 7. in 6. ætat. art. 5.*) Amanum vocari Macedonem non a sacro libri Auctore, sed ab traductore Lysimacho ad conflandam majorem in Amanum invidiam. Verum hæc responsio non placet. Quarto respondet Possinus, id fecisse Lysimachum ex more sui sæculi, ut non solum Persas vocaret simpliciter eos, qui Estheris tempore Medi erant, sed etiam Macedones eos, undecumque essent, qui Medorum, atque Persarum dominationi erant infensi: quod similibus aliis Scripturarum testimoniis firmat, ut de nomine Persidis, quod Assyriæ tribuitur in libris Machabæorum: (*2. cap. 1.*) Quum in Persidem ducerentur Patres nostri: de nomine Italiæ, quod in Numerorum libro legitur,

(*cap. 24.*) & de nomine Alexandriæ, quod multo ante Alexandrum habetur apud Jeremiam, (*cap. 46.*) Ezechielem, (*cap. 30.*) & Nahum (*cap. 3.*) Prophetas. Quod vero Bugæus dicatur Amanus, nihil obest dictis; undecumque ea sumatur denominatio: quod obscurissimum esse, non ambigimus. Natalis putat, subesse mendum, legendumque αγαγαιος, aut ωγαιος, ut haberi dicit scriptum in libris Complutensibus. Quid si Αιγαιος? Agas enim antiquissimam Macedoniæ urbem esse lippis, & tonsoribus notum est.

9. Oppones secundo: Historia Estheris non contigit ante captivitatem Babilonicam, quia Mardochæus dicitur (*Esth. 11.*) fuisse de numero Captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor cum Jechonia Rege. Non item contigit post Captivitatem, quia ea soluta, Mardochæus rediit Hierosolymas, ut dicitur in utroque Esdræ libro; (*1. cap. 2. lib. 2. c. 7.*) sed nec contigit tempore Captivitatis: ergo fabula censenda est. Minor probatur: si tempore Captivitatis id contigisset, Assuerus ille Estheris maritus, esset vel aliquis Regum Chaldæorum; quod textui repugnat; vel Astyages, sive Assuerus; qui Darii Medi pater dicitur Danielis *cap. 9.* vel Ciaxares, aut Darius ipse Medus; sed nemo istorum esse potuit: ergo. Minorem firmat Bellarminius multis; (*lib. 1. c. 7.*) 1. Estheris maritus dicitur Artaxerxes; sed hoc nomen non Regibus Medis, sed Persis, quorum propria est vox, tribui solet: ergo Estheris maritus non Medus aliquis, sed Persa fuit. 2. Estheris maritus regnavit ab India usque ad Æthiopiam super 127. Provincias, ut dicitur ibidem; (*cap. 1.*) at Medi nunquam tam ample regnarunt: ergo. 3. Maritus Estheris se Persam, & Persarum Regem vocat; (*Esth. 16.*) at Assuerus, de quo Daniel, erat de genere Medorum, sicut Ciaxares: ergo. 4. Nusquam legimus, Medos coluisse Deum Judæorum: quod de Cyro, & posteris ejus legitur; at maritus Estheris regnum suum Deo Judæorum acceptum refert: (*cap. 16.*) ergo. 5. Maritus Estheris regnavit Susis; (*Esth. c. 1.*) at Susa non Medorum, sed Persarum Regia erat, immo eam urbem a Dario Histaspis filio conditam esse, scribit Plinius: (*lib. 6. c. 27.*) ergo. 6. Aman dicitur, voluisse regnum Persarum transferre ad Macedones: ergo jam eo tempore Macedonum nomen, & regnum erat Persis timendum; sed Macedonum nomen clarescere non cœpit, nisi regnante Philippo Alexandri patre, qui ea tempestate needum natus erat, ut patet: ergo.

10. Argumentum hoc difficultatem tangit satis implexam. Quis nimirum Assuerus ille fuerit Estheris maritus? Octo sunt hac de re sententiæ. Prima, Astyagem Darii Medi patrem, & Cyri avum maternum Estheris conjugem fuisse, arbitratur. Ita Gerardus Mercator, (*in Chronol.*) nec displicuit ea opinio Cano, (*lib. 11. c. 5.*) Secunda,

da, Darium Medum. Ita Cedrenus, (*in Syn. histor.*) Possinus, (*diſsert. singul.*) Tourneminius. (*app. 1. ad eamd. inter Op. Men.*) Tertia, Cambysem, aut alium, nescio quem medium inter Cambysem, & Darium Histaspis. Ita Hebræi communius, quos sequitur Lyra. (*in cap. 1. Esth.*) Quarta, Darium Histaspis. Ita Calmetus, (*prol. in Esth.*) Natalis, (*dis. 7. in 6. ætat.*) & Recentiores communius. Quinta, Xersem. Ita Scaligerus. (*apud Natal. ibi.*) Sexta, Artaxersem Longimanum. Ita Azor, (*lib. 6. c. 56.*) Bellarminius, (*lib. 1. c. 7.*) Cajetanus, (*in Esth.*) Petavius, (*doct. temp. lib. 12. c. 28.*) Salianus, (*ad ann. 3590.*) & ex antiquis Nicephorus, (*in Chron.*) Severusque Sulpitius. (*lib. 2. hist. sacr.*) Septima, Artaxerxem Memnonem. Octava, Darium Ochum. Illam alios inter Pererius, (*lib. 13. in Daniel.*) hanc Serarius (*in c. 1. Esth.*) tuetur.

11. Et Astyagem quidem esse non posse, argumento chronologico ostendit Possinus, (*loc. cit.*) quod tamen non urget nisi eos, qui Petavii Chronologiam sequantur. Tamen ex aliis capitibus in Bellarminii objectione tactis satis efficaciter impugnatur hæc assertio. Cambyses vix, & ne vix quidem novem annis regnavit; at Assueri Estheris mariti duodecimus numeratur annus. (*Esth. 3.*) 2. Cambyses Judæis infensus fuit, & templum reædificari vetuit; quod Estheris maritus non fecisset. Artaxersem Memnonem, & Darium Ochum hac una argumentatione expungimus. Testatur siquidem Josephus, (*lib. 1. cont. Ap.*) nullum eorum librorum, qui post Artaxerxem Longimanum scripti sunt, haberi in Canone Hebræorum, idque etiam confirmat Eusebius; (*in Chron.*) sed liber Esther erat in Canone Hebræorum, ut ex eodem Josepho colligitur, & supra vidimus: ergo post tempora Artaxersis Longimani scriptus non est. Quarta, quinta, & sexta sententia celebriores sunt, quas inter quænam tenenda sit, dubitant Bonfrerius, & Cardinalis Gotti; omnes tamen eodem supra tacto argumento impugnantur, nimirum historiam Estheris post solutam Captivitatem contingere non potuisse: quod duplici hoc ratiocinio convincitur.

12. Primo Mardochæus soluta captivitate cum Zorobabele, atque aliis principibus viris, Jerosolymas rediit, ut habetur apud Esdram, (*loc. in arg. cit.*) & ne dubitatio ulla superesset, duplici ibidem terminatione nomen ejus scribitur, sicut scriptum invenitur in libro Estheris. Nam Esdræ 1. vocatur *Mardochæ*, sicut Estheris 2., & in Esdræ 2. vocatur *Mardochæus*, sicut Estheris *XI*. Difficultatem hanc unus, quem viderim, sibi opponit Calmetus, respondetque primo, ambiguum esse, num idem sit Mardochæus, de quo in libris Esdræ, atque Estheris. Item potuisse Mardochæum rediisse Jerosolymas, sive ante, sive post obtentam dignitatem, ac demum negotii causa Su-

Digitized by Google

Susas repetiisse, ubi fato functum, inquit, credimus. Verum utraque. responsio arbitraria est, ut patet. Secundo: Esther ipsa Dominum deprecata: Peccavimus, inquit, (*cap. 14.*) in conspectu tuo, & ideo tradidisti nos in manu inimicorum nostrorum . . . Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute &c., sed post captivitatem sub nullo alio Rege Judæi usque ad ultima tempora durissimam subierunt servitutem: ergo Estheris historia ante solutam captivitatem contigit. Confirmatur adhuc fortissimè: historia hæc eo tempore contigit, quo populus Judæorum per omnes regni Assueri provincias dispersus erat; sic enim Assuero dixit Aman: (*cap. 3.*) Est populus per omnes regni tui provincias dispersus &c.; sed hæc Judæorum dispersio per Assyriæ, Mediæ, & Persidis provincias nulla fuit nisi tempore Captivitatis Babilonicæ, nisi simul cum Mardochæo velit Calmetus rursus Judæorum populum in Mediam, & Persidem transmigrasse: ergo.

13. His accedit argumentum aliud, meo quidem judicio validissimum, quo convincitur, Darium Medum, Cyaxarem dictum, Estheris maritum fuisse, quod tale est: Estheris maritus ille Rex fuit, sub quo conjuncta erant jura, & potestates Medorum, atque Persarum, ut patet ex toto libro Estheris. Nam Assuerus convivium instituit fortissimis Persarum, & Medorum inclytis. Erant autem primi, & proximi septem duces Medorum, atque Persarum, (*Esth. 1.*) quorum judicio fertur decretum damnationis Vasthi juxta legem Medorum, atque Persarum, & nova dignitas collata Mardochæo scribitur (*Esth. 10.*) in libris Medorum, atque Persarum; sed hæc jura conjuncta non fuerunt, nisi quando divisum est regnum Balth-assaris juxta Danielis oraculum, (*Daniel. 5.*) & datum est Medis, & Persis, interfectoque Balth-assare, Darius Medus successit in regnum: ergo maritus Estheris fuit Darius Medus. Confirmatur: Quia hæc loquutio Scripturarum est eadem in libro Estheris, atque in libro Danielis: (*Daniel. 6.*) Scribe decretum, ut non immutetur, quod statutum est a Medis, & Persis . . . Verus sermo est juxta decretum Medorum, atque Persarum . . . Scito, Rex, quia lex Medorum, atque Persarum est &c. ergo Assuerus, de quo in libro Estheris; idem est atque ille, de quo in libro Danielis; sed apud Danielem Darius Medus est: ergo ipse est maritus Estheris. Confirmatur rursus: quia in tot locis Danielis, & Estheris præter primum, semper primum nominantur Medi: quod nunquam, aut non nisi raro fieret Rege Persa imperante: ergo aliquis imperabat Medus; sed nullus fuit alius inter Balth-assarem & Cyrum præter Darium: ergo Darius Medus est, de quo in libro Estheris, & Danielis agitur. Nam & Isaias, & Jeremias expugnationem Babylonis Medis potius, quam Persis.

sis.

Digitized by Google

sis tribuendam censuerunt . Unde primus sic inquit : (*cap.* 21.) Ascende Elam, obside Mede. Et item : (*cap.* 13.) Ecce ego suscitabo super eos Medos. Et Jeremias : (*c.* 51.) Suscitavit Dominus spiritum Regum Medorum, & contra Babylonem mens ejus est.

14. Adjungamus & illud, Assuerum regnasse super centum viginti septem provincias, super quarum omnium Satrapas constituerat Amanum. (*Esth.* 3.) At Darius Medus totidem provinciis imperasse dicitur apud Danielem : (*cap.* 6.) Placuit Dario, & constituit Satrapas centum viginti &c. & similiter ac de Amano, cogitabat Danielem toti suo regno præficere. Denique de Assuero dicitur : (*Esth.* 2.) Quærantur Regi puellæ virgines, & speciosæ &c., quod ita Regis animum affectum aulici cognoscerent. Cui mirum in modum consonat, quod apud Xenophontem legimus, (*Cyrop. l.* 4.) nimirum Assyriis devictis, quum Cyrus suis edixisset, ut e præda deligerent Ciaxari munera, quæ ei gratissima fore arbitrarentur, *οἱ γελασαντες εἶπον ὅτι γυναῖκας ὠν καλας ἐξαιρετεον εἰη* illi ridentes dicebant : igitur speciosas fœminas quærere, nos oportet. Jam vero Darium Medum eundem esse ac Ciaxarem Xenophontis, aperte tradit Josephus inquiens : (9. *Antiq. c.* 12.) Darius autem, quum occuparet Babyloniorum imperium adjutus a Cyro cognato suo, annum agebat sexagesimum secundum; qui fuit Astyagis filius, apud Græcos alio vocatur nomine. Quodvero hoc nomen esset, declarat Hieronymus in Danielem dicens : (*cap.* 8.) Cornu autem unum . . . ipsum Cyrum significat, qui post Astyagem avum maternum cum avunculo Dario, quem Græci *Κυαξάρην* vocant, Medis imperavit, ac Persis.

15. Ex dictis patet solutio ad objectiones Bellarminii. Ad primam enim dico, quum Darius Medis simul, Chaldæis, & Persis imperaret, ab unaquaque gente diversimode fuisse appellatum. Ita Cyaxarem Medi, Artaxersem, aut Darium Persæ, Assarum, sive Assuerum Chaldæi appellarunt. Quanquam Assari, seu Assueri nomen apud Chaldæos non proprium, sed appellativum nomen quoddam fuerit, sicut illud Cæsaris, quo omnes utebantur Imperatores Romani. Ad 2. distinguo minorem : nunquam tam ample regnarunt, antequam Chaldæorum, & Persarum regna obtinerent, concedo; postquam ea omnia in unum regnum coaluerunt, nego, ut ipsemet Bellarminius fatetur. Ad 3. negamus, maritum Estheris se unquam vocasse Persam : id tantum dixit, Amanum, cum esset animo, & gente Macedo, atque alienus a Persarum sanguine, regnum Persarum ad Macedones transferre tentasse. Quare autem regnum suum Persarum regnum appellaverit, ex profana historia repetendum est. Sciendum est igitur, Cyaxarem simul cum Cyro, aut Cyrum potius auspiciis Cyaxaris avunculi sui militantem Babylonem expugnavisse, ipso Cyaxare,

Digitized by Google

xare absente. Atque adeo non sui, sed Cyaxaris avunculi nomine; novi regni possessionem iniisse. Unde passim profitetur Cyrus apud Xenophontem, se Armeniam, Hircaniam, Lydiam, aliasque, quas subegerat, Provincias, non suo, sed Cyaxaris nomine possidere. Quod ut monstraret apertius, in expugnatione Babylonis non in propria Persarum veste, sed in ea, qua Reges Medorum utebantur, conspici voluit, ac Principibus, Ducibusque Persarum, qui se honoris gratia comitabantur *δεδωκεν τας μεδικάς ϛολας, καὶ τωτε Περσαι πρωτον τὴν μεδικὴν ϛολὴν ενεδυσαν* inquit Xenophon, distribuit stolas Medicas, tuncque primum Persæ stolis, seu Medicis vestibus usi sunt. Postquam autem Cyro visum est, sat rectè Babylone cuncta esse, profectionem in Persidem adornavit. Quo in itinere, quum ad Mediam pervenisset, divertit ad Cyaxarem, *καὶ εἶπε τω Κιαξάρει, ὅτι οικος ἀυτῳ εξῃρημενος εν Βαβυλωνι, ὅπος καὶ ὅταν ἰκεισε ὡς εἰς οἰκεια κταγεσθε*, eique dixit, paratam sibi Babylone domum esse, ut quando lubuisset, illuc tanquam in propria secederet. Quod ergo vincente Cyro Rege Persarum, & Dario Rege Medorum, inquit Hieronymus, (*in cap. 5. Daniel.*) solum Darius successisse in regno scribitur, ordo ætatis, & propinquitatis, & regni est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat, & Cyri avunculus, & majus regnum Medorum, quam Persarum legimus: ergo avunculus, qui prior erat jure naturæ successor debuit denigrari. Et in loco supra citato inquit, Cyrum cum Dario avunculo Medis, & Persis imperasse: ex qua societate factum est, ut & Cyrus regnum suum Cyaxari, & Cyaxares Cyro (cui & filiam suam, & universam Mediam in dotem promiserat apud Xenophontem) suum quoque veluti communibus suffragiis regendum tradidissent, Dariusque honoris in Cyrum generum, ac benevolentiæ causa potius se ad Persarum, quam de Medorum regno avito jactaret, & solicitum exhiberet. Et de tertio quidem argumento satis multa dicta sunt.

16. Quarto opponebat Bellarminius, nusquam legi, Deum Judæorum a Medis cultum fuisse, sicut ab Cyro, & Artaxerxe. At memoria lapsus est vir doctissimus. Et cujusnam, quæso, illud edictum est. (*Daniel. c. 6.*) *Darius universis populis, & tribubus, & linguis in universa terra. Pax vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, ut in omni regno meo tremiscant, & paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivens, & æternus, & regnum ejus non dissipabitur, & potestas ejus usque in æternum.* Immo vero nullus unquam Regum Persarum adeo expresse, ac diserte decretum de Deo Hebræorum colendo constituisse mihi videtur, sicut Darius Medus. Ad 5. dicendum, Susas fuisse sedem Regem Persarum post Cyrum, in cujus postetatem venerat cum Media universa. Susiana autem regio

trans

trans Tygrim, & urbs in Persidis, & Babylonis confinio sita est, inquit Ptolomæus, quam propterea Strabo fere partem Persidis esse ait, & Stephanus ipsam Persidi assignat. Quod vero ait Plinius: (*lib. 6. c. 27.*) Infra est Susiana, in qua vetus Regia Persarum Susa a Dario Histaspis filio condita, vel non de urbe ipsa, sed de Regia intelligendum est, ut Natalis, (*loc. cit.*) & alii interpretantur: vel si de urbe ipsa loquatur, egregie falsus est. Susæ enim, inquit Strabo, a Tithono Memnonis patre conditæ dicuntur. Hanc vero (subdit in responsionis nostræ confirmationem author idem) Cyrus, & Persæ Media obtenta elegerunt, in qua Regiam collocarent, simul & regionis affinitatem probantes, & urbis dignitatem. Ad 6. supra jam responsum est ex Possino, id per catachresim dictum a Lysimacho libri exscriptore. Vel dicatur, Amanum gentem suam per ea tempora obscuram, translato ad ipsam nobilissimo imperio, illustrem reddere tensasse: quam responsionem ipse tangit, nec improbat Bellarminius.

17. De hujus libri authore lis est inter Scripturæ Interpretes. Plerique Mardocheum ipsum res a se gestas scripsisse, putant. Certè, quicumque author libri, uti nunc extat, fuerit, is ex Mardochæi quum Epistolis, tum adversariis librum coagmentavit. Dicitur enim: (*Esther. 9.*) Scripsit Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Judeos. Quod non de sola epistola Phurim intelligendum esse patet; nam de Epistola illa postmodum subditur in eodem capite: Scripserunt itaque Esther, & Mardochæus secundam epistolam, ut omni studio dies ista (Phurim, sive Sortium) solemnis sanciretur. Prima ergo epistola, quæ longior fuit, quippe & liber dicitur, rei totius gestæ occasionem, seriem, atque exitum continebat.

PROPOSITIO XXII.

Liber Tobiæ sacer est.

1. QUamvis enim nec in Hebræorum habeatur Canone, nec inter Sacros libros recenseatur a Melithone, Origene, Laodicæna Synodo, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Epiphanio, Hilario, ac Hieronymo; receperunt illum tamen Hipponensis, (*Can. 38.*) Carthaginiensis, (*Can. 47.*) & Tridentina Synodus, (*Sess. 4.*) receperunt Romani Pontifices Innocentius I., (*in Epist. ad Exuper.*) Gelasius, (*in Synod. Rom.*) & Eugenius IV. (*in decr. Armen.*) Receperunt ex PP. Author Constitutionum Apostolicarum, (*lib. 1. c. 1. 30.*, &

& alibi.) quæ Clementi tribuuntur, Irenæus, (*lib. 1. c. 30.*) Polycarpus, (*Epist. ad Philip.*) Cyprianus, (*lib. de Elem.*) Clemens Alexandrinus, (*1. Strom.*) Basilius, (*Orat. de avar.*) Ambrosius, (*lib. de Tobia*) Augustinus, (*3. de doctr. Christ.*) Dionysius Alexandrinus, (*epist. ad German.*) Isidorus Hispalensis, (*6. Etimol. c. 1.*) Rabanus Maurus, (*de instit. Cleric.*) Cassiodorusque. (*1. de div. lect.*) Immo Origenes, atque Hilarius, quamvis pro contraria opinione afferri soleant, hujus libri authoritatem nonnunquam recepisse videntur. Origenes enim (*hom. 27. in Num. & 11. in Ep. ad Rom. & 5. contr. Cels.*) non semel sub nomine Sanctæ Scripturæ, ipsius meminit: Hilarius (*in prol. psalm.*) apud nonnullos in Canone haberi fassus est. Hieronymus quoque, quamvis ab Hebræis argueretur contra suum Canonem latinis auribus ista transferre, transtulit tamen ex Chaldaico exemplari, melius esse indicans Episcoporum jussionibus deservire, quam Pharisæorum placere judicio, ut idem scriptum reliquit. (*prol. in Tob. & apertius, in Ep. ad Chron.*)

2. Author hujus libri prorsus incertus est. Sunt qui eidem Tobiæ, seu patri, seu filio, sive utrique tribuendum putent, quod mirabilia Dei enarrandi mandatum, ab Angelo acceperint: (*Tob. c. 13.*) Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus: quo in loco Codices Græci legunt καὶ γράψατε εἰς βιβλίον *& scribite in libro*. Verum Versioni nullius authoritatis non omnino fidendum jam alii admonuerunt.

3. Superest, ut peculiares hujus libri difficultates nonnullas brevi calamo perstringamus. Nam primo quidem videtur Angelus in multis mentitus, uti quum dixit, (*cap. 5. & 5.*) se esse ex filiis Israel, & item Azariam magni Ananiæ filium. Secundo: Sara Raguelis filia dicitur, habitasse in Rages Civitate Medorum; at Tobias junior e domo ipsius Raguelis, & Saræ mittit Raphaelem in Rages civitatem Medorum, ut ab Gabelo acciperet pecuniam: (*cap. 9.*) ergo. Tertio: Tribus Neptali jam fuerat in captivitatem abducta, terraque vastata sub Teglatphalassare Rege Assyriorum: (*4. Reg. 15, & 1. Paral. cap. 5.*) ergo non potuit ex ea tribu, & Urbe Tobias sub Salmanassare captivus Ninivem deportari. Quarto, & fortius: Tobias senior vixit usque ad Captivitatem Babylonicam, templique conflagrationem, quæ contigit anno Sedeciæ undecimo; ait enim: (*cap. 13.*) Domus Dei, quæ incensa est, ædificabitur; sed a sexto anno Ezechiæ usque ad undecimum Sedeciæ plusquam centum, & triginta anni numerantur in libris Regum, & Paralipomenon: adde annos circiter viginti, quos habuerit Tobias, quum deportatus est, jam enim filium genuerat, ut ibidem dicitur, (*cap. 1.*) fietque summa an-

annorum centum, & quinquaginta: ergo falsum est, quod capite ultimo legitur, mortuum esse Tobiam seniorem annorum duorum supra centum.

4. Primum horum non urget. Quum enim nomina Hebraica viris, ac fœminis imponi solita, aliquam semper adjunctam significationem habeant, ut Israel, *Deum videns*, Azarias, *adjutorium divinum*, Ananias, *Dei gratia*, vere potuerunt in hoc sensu ab Angelo usurpari, quamvis Tobias pro appellativis nominibus, aut propriis acciperet. Vere enim Raphael erat ex genere eorum, qui Deum vident, eratque Azarias, sive adjutorium a Deo missum afflicto Tobiæ, & ejus familiæ, atque item Ananiæ, seu divinæ gratiæ filius, non enim Angelus natura, sed sicut nos, adoptione, & gratia filius Dei est. Ad secundum, quamvis Natalis, (*dis. 1. in 5. æt.*) & alii mendum suspicentur, legendumque *εν εκβατανοις*, melius tamen videtur dicendum cum Lyra, & Bellarminio (*lib. 1. c. 11.*) in capite tertio vocari Rages non urbem ipsam, sed oppidum aliquod vicinum, ubi Raguel habitabat, sicut vulgo dicitur Romæ degere, qui Tusculi, aut alibi in agro Romano commoratur. Ad tertium dicimus, deportationem sub Theglatphalassare non adeo generalem fuisse, ut non multæ familiæ superfuerint, quum adhuc ex secunda Salmanassaris reliquiæ Israelitarum superfuerint nonnullæ, sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum olivarum in summitate rami, ut Isaias prædixerat: (*cap. 17.*) ab quibus reliquiis Josias tributum sacrum exegisse dicitur 2. Paralipomenon. (*cap. 34.*) Quartum argumentum solvit Lyra, & cum eo Tirinus, atque Expositores communiter dicentes, in eo loco Tobiam propheticè loquutum, de futuraque captivitate, & incendio templi, tanquam de præterito: cui expositioni consonat Græca versio, ubi sic legitur: Domus Dei, quæ incendetur, reædificabitur, & similiter aliæ loquutiones. Ita etiam respondet Tourneminius in appendicibus ad Bonfrerium inter Opera Menochii, idemque innuit Natalis Alexander loco citato. Equidem fateor, solutiones has, quæ non nisi per miraculum difficultatem evadant, nec in hoc, nec in aliis similibus locis unquam mihi placuisse; meliorem tamen invenire post longam investigationem non valui. Multo enim magis displicet illa Bernardi Lamii ajentis: (*lib. 5. c. 5.*) In libro Tobiæ anacronismus est quinquaginta octo annorum, qui error in librarios refundendus est. Certe non obstat veræ pietati. At quis errorem duorum, aut trium capitum in Librarios transferet? Non obstat quidem veræ pietati, vixeritne centum & duos, an centum & quinquaginta annos senior Tobias; multum tamen veræ obest pietati, an author libri Tobiæ falsa, & sibi repugnantia scripserit etiam in iis, quæ ad veram pietatem non spectant. Stemus igitur com-

Digitized by Google

communi Doctorum solutioni. Nam qui de Jerusalem reædificatione, futuraque exaltatione, & gloria adeo disertè vaticinatus est, cur non idem de ejusdem futura ruina, atque incendio vaticinari potuit? Immo si de futura reædificatione, & gloria Jerusalem vaticinatus est, casuram illam, ac devastandam prævidisse oportuit.

PROPOSITIO XXIII.

Liber Judith Canonicus est.

1. Ille quidem in antiquis Catalogis divinorum librorum Origenis; Melitonis, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Hierosolymitani, Concilii Laodicæni, Hilarii, ac Hieronymi non habetur; tamen eodem teste Hieronymo, (*in prol. gal.*) illum Nicæna Synodus in numero Sanctarum Scripturarum legitur, computasse. Computavit item Africana Ecclesia, teste Augustino, (*lib. 2. de doct. Christ. c. 8.*) cujus, & aliorum Episcoporum extat decretum in Concilio Carthaginiensi tertio: computavit Romana Ecclesia, teste Gelasio in Synodo Romana, & Innocentio I. (*Ep. ad Exup.*): computarunt denique ex Patribus Clemens Romanus, (*ad Cor. c. 10.*) & Alexandrinus, (*4. Strom.*) Tertullianus, (*l. de Monog.*) Ambrosius, (*de offic. & vid.*) Augustinus, (*c. 8. de doct. Chris.*) Fulgentius, (*Ep. 2. ad Gall.*) Junilius Africanus, (*1. de part. Leg.*) Isidorusque Hispalensis. (*6. Ethim. c. 1.*) Ipse etiam Origenes (*hom. 19. in Jerem.*) Scripturæ nomine illum appellavit. Tandem Sacrosancta Synodus Tridentina in Sanctorum Librorum numerum recepit. (*Sess. 4.*) Sunt qui putent illud Pauli Apostoli (*1. ad Cor. cap. 10.*). Neque murmuraveritis &c. ex Judith capite nono esse desumptum. Hugo Grotius, quamvis authoritatem huic scripto non deroget, veram tamen historiam in eo contineri negat, sed fabellam, aut parabolam quamdam esse ait, ad erigendos Judæorum animos Antiochi Epiphanis, sive Illustris tempore confictam. Verum ille laudatorum omnium Patrum, & Authorum Ecclesiasticorum, etiam eorum, qui libri illius divinam authoritatem inficiantur, communi consensu obruitur.

2. Sunt enim vero in toto Judith libro difficultates haud leves, de quibus jam dicendum. Opponitur enim 1.: Judith genealogia resolvitur in Ruben; at ipsa alibi patrem suum Simonem vocat. (*cap. 9.*) Secundo: Simeon dicitur filius Ruben; at in Genesi nullus hujus nominis numeratur inter filios Ruben: ergo. Tertio: Judith multis mendaciis Holofernis ministros, ipsumque decepit: ornatu suo, & verbis ad libidinem inflammavit: pudoris periculo se exposuit gravissimo; hæc tamen omnia laudantur, commendanturque ab ejus

libri

Digitized by Google

libri authore: ergo sacer author non est. Quarto, & fortius: historia illa neque ante Captivitatem Babylonicam, nec tempore Captivitatis, nec post ipsam contigit: ergo commentitia censenda est. Antecedentis prima pars probatur ex verbis Achioris: (*cap. 5.*) Nuper autem reversi ad Dominum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt . . . & iterum possident Jerusalem; sed nunquam populus Judæorum dispersus fuerat, nec vastata, & amissa Jerusalem ante Captivitatem Babylonicam: ergo historia Judith ante Babylonicam Captivitatem non contigit. Inde etiam manifeste probatur 2. pars, nam Judithæ tempore Judæi possidebant Jerusalem; sed eam non possidebant tempore Captivitatis: ergo historia Judith tempore Captivitatis non contigit. Tertia pars probatur: Nam Holofernes, & Assyrii ejus duces, & milites regionis, & gentis Judæorum ignari omnino erant, ut patet ex verbis Holofernis ipsius ad duces Ammon, & Moab: (*cap. 5.*) Dicite mihi, quis sit populus iste, qui montana obsidet, quæ, quales, & quantæ Civitates ejus, quæ sit virtus, quæ multitudo eorum, vel quis Rex militiæ eorum? Sed hæc ignorare non possent, si paulo ante ipsimet Assyrii Hebræos captivos habuissent, & dimisissent liberos, ut vere dici posset: *Nuper* ex dispersione adunati iterum possident Jerusalem: ergo historia Judith post solutam captivitatem non contigit.

3. Ad horum primum respondet cum Lyra Natalis Alexander, (*dis. 7. in 6. ætat. art. 4.*) Ruben, de quo ibi sermo est, non eundem esse cum Patriarcha filio Jacob, sed virum aliquem e tribu Simeonis insignem, eo nomine nuncupatum. Verum hæc responsio non placet, quia, ut supra diximus, virorum notissimorum nomina sine additione posita semper pro famosiori intelliguntur. Secundo alii respondent, mendum irrepsisse, legendumque cum Græca Versione: filii Simeon, filii Israel, quam lectionem sequutus est Fulgentius. (*Epist. 2.*) Tertio alii dicunt, genealogiam quidem referri ad Ruben; Simeonem vero vocari patrem a Juditha, non quod ab eo recta linea originem duceret, sed generali quadam ratione, eo quod unus ex duodecim filiis Jacob, & Israelitici populi patribus fuerit: quæ loquutio satis communis est apud Hebræos. Secundum non urget stando primæ responsioni, nec etiam in secunda, aut tertia. Non enim opus est, ut in libro Judith omnes generationes enumeratas esse dicamus, quum sexdecim tantum habeantur, ubi viginti sex, & amplius recensentur apud Matthæum. Ad 3. respondet D. Thomas, (*2. 2. q. 110. art. 3. ad 3.*) quosdam commendari in Scripturis non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, ex qua movebantur ad quædam indebita facienda, & hoc modo laudatur Judith, non quia mentita est, sed propter effectum,

quem intendit ad salutem populi. Quamvis etiam dici posset (subdit), quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum. Jam vero ornatu suo non inhonestum amorem voluisse accendere putandum est, sed ejus oculis placere, ut eam conjugem expeteret, & familiaritatem nacta sui populi liberandi occasionem nancisceretur. Nec enim in malum Deus ei contulisset splendorem, ut ibidem dicitur. Periculum autem sibi nullum esse ex Dei peculiari instinctu, atque inspiratione cognovit. Vide citatos Patres, & præcipue Ambrosium.

4. Pro solutione ultimi argumenti duplex est opinio. Aliqui enim ante Captivitatem Babylonicam Manassis Regis tempore Judithæ historiam contigisse arbitrantur. Ita Bellarminius, Canus, Salianus, Pererius, Doujatius, Bonfrerius, Tourneminius, aliique apud ipsos. Alii post solutam Captivitatem jam Cambyse, aut (ut voluit Natalis) Xerxe regnante. Et quidem omnino tenendum est, historiam Judithæ post solutam Captivitatem contigisse, non ante Captivitatem, neque Captivitatis tempore. Probatur 1. ex verbis Achioris ad Holofernem: (*Judith 5.*) Nam & ante hos annos quum recessissent a Deo suo &c., exterminati sunt præliis a multis Nationibus, & plurimi eorum captivi abducti sunt. Nuper autem reversi ad Dominum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & iterum possident Jerusalem; sed nunquam populus Judæorum dispersus fuerat, nec amissa Jerusalem, nisi tempore Captivitatis Babylonicæ: ergo jam illa tempore Judithæ soluta erat. Accedit huic argumentationi magnum robur ex Græca Versione, ubi dicitur: templum eorum fuisse solo æquatum. Sed hanc versionem non magni faciunt Viri eruditi. Secundo: tempore Judithæ Sacerdos Summus erat Eliachim, sive Joachim; at nullus hujus nominis habetur ante Captivitatem Babylonicam, ut constat ex eorum catalogo apud Josephum: (*10. Antiq. c. 11.*) post eam autem habetur ejus nominis Summus Sacerdos filius Josedech, tenuit autem pontificatum Nehemiæ tempore, ut colligitur ex libro Esdræ secundo, (*cap. 12., & 13.*) eoque potitus est per annos duodequinquaginta. Tempus hoc vero egregie consonat cum verbis Achioris: Nuper autem . . . adunati sunt, & iterum possident Jerusalem: ergo historia Judith post solutam, nec longo tempore post solutam Captivitatem contigit.

5. Sed dices cum Bellarminio, (*l. 1. de Verbo Dei c. 12.*) tempore Manassis, & Isaiæ fuisse Sacerdotem magnum Eliachim, sive Joachim, inter Sobnam, cui ipsum successurum prædixerat Isaias, & Helciam, eumque Eliachim Isaias inquit quasi Patrem fuisse omnibus habitantibus Jerusalem: quæ omnia egregie conveniunt Joachimo, de quo in libro Judith. Contra est tamen, quia ille Joachim, aut

aut Eliachim non summus Sacerdos, immo nec Sacerdos erat, ut ex libris Regum habetur, sed *Præpositus Domus*, ut vocatur in 4. Regum, (*cap. 18.*) sicut ex Sobna ille, cui suffectus est, *Præpositus templi* ab Isaia vocatur, (*cap. 22.*) & in 4. Regum dicitur *Scriba*. At Eliachimo Isaias cingulum, & Sacerdotalem tunicam, atque ornamenta tribuit. Respondeo: id ipsum argumento est, ea ornamenta non ordinario, ut ita dicam, jure ab Eliachimo possideri, sed veluti ex privilegio, atque honoris causa ei fuisse concessa, sicut hodiedum apud nos Laici nonnulli aut templo, aut Officiis, Curiæve Ecclesiasticæ addicti, Ecclesiasticis vestibus, aliisque privilegiis gaudent. Sacerdoti vero, ac Summo Sacerdoti non erat cur tunicam, & cingulum Isaias tribuisset.

6. Tertio in peculiarem Bellarminii sententiam sic argumentor. Post facinus Judith usque ad ejus obitum non fuit, qui perturbaret Israel, nec post mortem ejus annis multis; sed hoc stare nequit in sententia Bellarminii: ergo. Assumptum ostenditur: Nam inter invasionem Assyriorum, qua captus est, & vinctus abductus Manasses, usque ad bellum Ægyptiacum, quo percussus est, & mortuus Josias, numerat Bellarminius annos duos, & septuaginta, facta suppositione Captivitatis Manasse anno decimo sexto regni sui. Quocirca, inquit, annus decimus tertius Nabuchodonossoris, in quo movit bellum in Judæos Duce Holoferne, incidit in annum decimum sextum Manassæ, quem paulo ante captivum duxerat in Babylonem. Hæc Bellarminius. At, si Assyrii paulo ante, immo eodem anno Manassem Regem Judæorum captivum Babylonem duxerant, qui fieri potest, ut Holofernes Assyriorum Ductor, & Primores exercitus, in adeo profunda rerum Judaicarum ignoratione versarentur, ut ab exteris ducibus Ammonitis, & Moabitis quærerent: (*cap. 5.*) Quis est populus iste, qui montana obsidet? quæ, quales & quantæ Civitates ejus? quæ virtus, quæ multitudo eorum, vel quis Rex militiæ eorum? Hoc tamen dato, ulterius progrediamur: Judith vixit usque ad annum quintum supra centesimum (*cap. ult.*) (licet Vulgata nostra non eos solos vixisse dicat, sed totidem mansisse in domo Viri sui.) Habuerit, quando Holofernem interfecit, annos quadraginta, ut vult Bellarminius. Quod tamen est prorsus incredibile, & videtur repugnare textui. Nam Judith de more gentis suæ juvenis nupserat: parum temporis maritatam fuisse colligitur, quum quod nullum ex viro suo filium susceperit, tum quod viri ipsius mors tanquam insperata narratur, & præcox: annum viduitatis non adhuc agebat quartum, eaque erat ætate, ut ob servatam viduitatem, & continentiam, in omnium ore, atque admiratione esset. Atqui in quadragenaria fœmina id adeo mirandum, ac laudandum non esset,

ut propterea haberetur in omnibus, sive apud omnes famosissima. Denique quadragenariæ matronæ, quamvis formosissimæ, non dixisset Eunuchus Vagao: (*cap. 12.*) Non vereatur bona puella intrare ad Dominum meum. Tamen & hoc concedamus Bellarminio, ut quadragenaria Judith fuerit, quando Holofernem jugulavit. Igitur, si ex annis 105. detrahantur quadraginta, supererunt anni sexagintaquinque usque ad ejus mortem. Optime. Sed ab anno, quo captus est Manasses, id est, ab anno, quo Holofernes Judæam invasit, usque ad bellum Ægyptiacum anni numerantur septuaginta duo: ergo ab hac summa detractis 65., quos Judith vixit post cædem Holofernis, non supersunt ad bellum usque Ægyptiacum, & Josiæ mortem, nisi anni septem; sed septem anni pacis pauci sunt, ut dicatur, non fuisse post mortem Judith, qui perturbaret Israel annis multis, (*cap. 16.*) ut patet: ergo Judithæ historia cum Bellarminiana temporum computatione stare non potest.

7. Quarto contra eundem arguitur ex statu Reipublicæ Hebræorum Judithæ tempore. Neque enim usquam mentio fit Regis. Eliachim omnem Israel circuit. (*cap. 4.*) Judith cum Ozia principe populi, & Præsbyteris Chabri, & Charmi consilium suum communicat. (*cap. 5.*) Eliachim de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis Præsbyteris suis, ut videret Judith &c. (*cap. 15.*) Respondet Bellarminius, vel bellum hoc accidisse captivo Manasse, vel ejus mentionem factam non esse, quod Assyrii non accessissent ad ipsam Urbem Jerusalem, ubi Rex degebat. Prima responsio ipsi displicet, & merito ex nuper dictis. Secunda autem non est felicior. Siquidem cum tremor, & horror (*cap. 4.*) invasisset sensus eorum, qui habitabant in terra Juda, ne similia faceret in Jerusalem, & templo Domini, quæ fecerat in reliquis Urbibus, & templis, & cum Eliachim scripsisset, ut obtinerent adscensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, qui fieri potest, ut Rex sileret, quiesceretque exspectans, ut ipsam ad Urbem Regiam hostis accederet?

8. Neque rationes, ac momenta Bellarminii quidquam evincunt. Arguit enim 1. Arfaxad, de quo in libro Judith, (*c. 1.*) ædificavit Ecbatana; sed eam urbem ædificavit Dejoces Manassæ coævus, teste Herodoto: ergo. Secundo: Nullus Regum Persarum Nabuchodonossor dictus est, aut regnavit in Ninive. Tertio: Ninive Cambysis, aut Regum sequentium tempore non exstabat, quàm multo ante everterat Nabuchodonosor apud Genebrardum, aut Cyaxares apud Herodotum. Quarto: Nabuchodonossor hic occupare conatur Cyliciam, & Palæstinam, at Cambyses, aut Xerxes eas provincias possidebant. Quinto, quia tempore Cambysis Hebræi neque ad pugnam se præparare, neque ulli resistere poterant. Sexto, quia sub Cambyse non

Elia-

Digitized by Google

Eliachim, sed Josedech Sacerdos summus erat. Septimo; quia templum eo tempore non exstabat. Octavo, quia tempore Cambysis Judæi ignoti esse non poterant Holoferni, quos paucis ante annis Cyrus Cambysis pater in patriam redire permiserat. Nono, quia id temporis muros Hebræi non habebant; neque Judei, sed Gentiles Samariam incolebant. Decimo: ex Judithæ ætate infert Bellarminius, eam historiam accidere non potuisse tempore Darii Ochi. Undecimo: Cambyses octo annis regnavit; Nabuchodonossoris autem hujus annus decimus tertius ibidem memoratur. Duodecimo: Ex numero generationum infertur, Juditham Esdra esse antiquiorem.

9. Ad primum horum sibi respondet Bellarminius, potuisse fieri; ut Urbs illa antiquissima aliquoties eversa, atque iterum ædificata fuerit nunc ab Dejoce, aut Arfaxato juxta Herodotum, nunc ab Seleuco juxta Plinium, nunc ab Arbace juxta Diodorum. Secundum in nos non militat, qui Nabuchodonossorem illum Regem Persarum fuisse, non dicimus. Ad tertium respondetur, sicuti ad primum. Quartum in nos non militat, qui non Nabuchodonossorem cum Cambyse, aut Xerxe confundimus, sed post Justinum dicimus, Xersem rebus in Græcia infeliciter gestis, contemptui esse cœpisse, eaque occasione apud Medos Arphaxad, apud Assyrios Nabuchodonossorem in spem Regni adductos, ab eo descivisse. Quintum, Sextum, Septimum in eos vim habent, qui tempore Cambysis historiam Judithæ collocant. Octavum similiter, fortius autem in arguentem retorquetur. Si enim non poterat Cambyses ignorare Hebræos, quos multis ante annis pater ipsius Cyrus e captivitate dimiserat, qui poterant eos ignorare Holofernes, ejusque duces tempore Manassæ; quem paulo ante, immo eodem anno juxta Bellarminium captivum Babylonem duxerant? Itaque directe ad hanc objectionem, & una ad probationem secundæ partis n. 2. allatæ respondeo: Holofernem non consuluisse Duces ex ignoratione, quam haberet gentis illius, quam Filios Israel appellat, sed ex contemptu, & ira contra habitatores Bethuliæ, qui contempserunt nos inquit, & non exierunt obviam nobis: & infra: Homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ. Hæc, & alia, quæ passim per totum librum leguntur, cognitionem perfectam gentis ostendunt. Nonum argumentum de Cambysis tempore similiter procedit, & secunda ejus pars etiam in arguentem retorquetur, quia neque sub Manasse Hebræi Samariam occupabant, sed Cuthæi, quos, priscis incolis in Assyriam deportatis, eo miserat Assar-Adon. Decimo, & Undecimo nos non premimur. Ad duodecimum: simili argumento probari posset, Juditham Manasse multo antiquiorem esse, quia minor numerus genera-

tionum hic habetur inter Simeonem, & Juditham, quam Matthæi *cap. 1.* inter Judam Simeonis fratrem, & Manassem.

10. Author porro libri Judith omnino incertus est, fortaſſe ex Actis Sacerdotalibus longum post tempus compaginatus est.

PROPOSITIO XXIV.

Sapientia, & Ecclesiasticus Libri Canonici sunt.

1. PRobatur: Ii libri Canonici secundi Ordinis censendi sunt, quos primis ab sæculis magna Ecclesiæ pars, deinde Ecclesia universa Sanctorum librorum Canoni annumeravit; sed tales sunt libri prædicti: ergo Minor de unoquoque seorsim ostenditur.

2. Librum enim Sapientiæ tanquam divinam Scripturam citavit testimonio ex eo desumpto Clemens Romanus, (*Ep. ad Cor. c. 1.*) Dionysius., seu quis est Author satis antiquus libri de Divinis Nominibus, (*lib. 4.*) Justinus, (*dial. cum Triph.*) Origenes, (*7. in ep. ad Rom.*) Tertullianus, (*de Præsc. c. 7.*) Cyprianus, (*de hab. Virg.*) Eusebius, (*lib. 7. 9. 11., & 13.*) Concilium Sardicense apud Theodoretum, (*2. hist. Eccl. c. 8.*) Basilius, (*5. cont. Eun.*) Hilarius, (*in psal. 127.*) Ambrosius, (*in psal. 1. & alibi.*) Epiphanius, (*hæres. 76.*) Augustinus, (*2. de doct. Christ. cap. 8.*) Cyrillusque, (*lib. 2. adv. Julian.*) qui Scripturam divinam appellat. En apertissimum Augustini testimonium: (*de Præd. SS. c. 16.*) Librum hunc reliquis omnibus tractatoribus (ita Ecclesiastici Scriptores dicebantur) anteponi oportere, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus Apostolorum proximi, qui eum testem adhibentes nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt. Et item: Nec repudiari debuit liber Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, atque Episcopis usque ad extremos laicos cum veneratione divinæ authoritatis audiri. Hæc Augustinus.

3. Quod vero ad Ecclesiasticum attinet, eum veluti sacrum, ac divinum Authorem adhibuerunt Clemens, (*1. Pæd. & 7. Strom.*) Cyrillusque Alexandrinus, (*hom. Eph. hab.*) Origenes, (*hom. 9. in Ezech.*) Athanasius, (*lib. de Virgin.*) Isidorus Pelusiota, (*Ep. 106.*) Eusebius, (*8. de præp. Ev. c. 8.*) Basilius, (*in Isai. c. 8.*) Nazianzenus, (*orat. 1. in Jul.*) Chrysostomus, (*hom. 15. ad Antioch.*) Epiphanius, (*in Anch. c. 12.*) Maxentius, (*Dial. cont. Nest.*) Cyrillus Hierosolymitanus, (*Cath. 6.*) Anastasius, (*in Hexam.*) Ephrem Syrus, (*Orat. adv. impr. mulieris*) Joannes Damascenus, (*hom. 1. de dormit.*

Digitized by Google

dormit. Deip.) quibus Latini Patres conſonant, Tertullianus, (*de Caſ. c. 12.*) Cyprianus; (*Epiſt. ad Rog. 65.*) Optatus Milevitanus, (*7. cont. Parm.*) Auguſtinus, (*2. de doct. Chriſt. cap. 8.*) Fulgentius, (*de rem pec. c. 12.*) Ambroſius, (*de fid. c. 4.*) Hieronymus, (*Epiſt. 34. ad Jul.*) Paulinus, (*ep. ad Celant. inter Op. Hieron.*) Leo, (*ſerm. 91. de jej.*) Maximus, (*hom. 1. de Eleem.*) Hilarius, (*in pſal. 140.*) Caſſianus, (*Collat. 2.*) Gregorius, (*10. Mor. c. 14.*) Julianus, (*de vit. cont. c. 8.*) Pomerius, Salvianus. (*3. ad Ecc. Cat.*) Utrumque denique univerſa recepit Eccleſia in Synodo Romana, Carthaginienſi, Florentina, & Tridentina, necnon Innocent. I, & Eugenius IV. quorum omnium Conciliorum, & Pontificum loca jam pro aliis libris indicavimus.

4. Porro Sapientiæ Authorem plerique Salomonem agnoſcunt, non-nulli Jeſum Sirachidem, quos inter aliquando fuit Auguſtinus loco nuper citato: qui tamen poſtea eam ſententiam retractavit. Alii Philonem aut vulgo notum, aut ſeniorem alium: quorum ſententia nullo nititur ſolido fundamento. Præſtat cum eodem Auguſtino in Speculo hujus libri Authorem incertum dicere, quamvis ſub nomine Salomonis plerumque laudetur a Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, quod & Salomonem non ſemel loquentem inducat, (*cap. 8. 9.*) & plurimas ab eo ſententias deſumpſerit.

5. Author vero libri Eccleſiaſtici ſatis aperte ſeipſum oſtendit inquiens: (*cap. 50.*) Doctrinam Sapientiæ ſcripſit in Codice iſto Jeſus filius Syrach. Et item (*cap. 51.*) Oratio Jeſu filii Syrach tum in ejuſdem libri prologo, qui licet ejuſdem ac liber, authoritatis non ſit, habetur tamen in Bibliis omnibus, & magni momenti eſt. Ibi: (*Proleg. Eccl.*) Poſtquam avus meus Jeſus &c. Liber hic etiam nomine *Sapientiæ* citari ſolet ab Antiquis, vulgoque tribui Salomoni ob ſtyli, & ſententiarum ſimilitudinem. Quæ in authoritatem horum librorum, & præſertim Sapientiæ, opponi ſolent, uti quum de origine idololatriæ diſſerit, & ſimilia, levis momenti ſunt, ut in iis explicandis immoremur.

PROPOSITIO XXV.

Liber Baruch Canonicus eſt.

1. PRobatur primo teſtimoniis Patrum. Cyprianus enim ſub proprio Baruch nomine teſtimonium ex hoc libro depromit, (*2. cap. Jud. c. 5.*) atque item Cyrillus Alexandrinus. (*lib. 10. in Jul.*) Clemens item Alexandrinus (*2. Pædag. c. 3.*) divinam vocat Scripturam, & Ambroſius, (*1. de fid. c. 2.*) & Theodoretus; (*in Bar. c. 2.*)

qui eundem Commentariis illustravit. Eusebius, deprompto testimonio ex Capite Baruch tertio, nihil oportet, inquit, (*l. 6. demonst. Evang.*) divinis vocibus addere. His accedit Eugenius IV., (*in Ep. ad Arm.*) & universæ Ecclesiæ suffragium in Conciliis Florentino, (*decr. de div. Script.*) & Tridentino. (*Ses. 4.*)

2. Secundo ex libro secundo Machabæorum, ubi dicitur: (*cap. 2.*) Invenitur in descriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod legem dedit transmigratis, ne obliviscerentur præcepta Domini, & non exerrarent mentibus videntes simulachra aurea, & argentea &c.; sed hoc non legitur nisi in Epistola Jeremiæ, quæ habetur in libro Baruch: (*cap. 6.*) ergo ille liber divinæ authoritatis est. Tertio ex oratione Danielis, (*cap. 9.*) quæ iis fere verbis expressa habetur in Baruch. (*cap. 1.*)

3. Quare mirari satis non possum Melchioris Cani sententiam ita scribentis: (*lib. 2. c. 9.*) Baruch a Canone sanctarum Scripturarum eximere non solum temerarium, sed etiam erroneum est ... hæresim non audeo dicere. At idem de Epistola ad Hebræos, & aliis Deuterocanonicis Hæreticum est, inquit, Epistolam ad Hebræos inter Canonicas non reponere. Similiter definit de Epistola Jacobi, & Joannis Apocalypsi. Quid ita? Quoniam adversatur, inquit, definitioni omnium Pontificum, & Conciliorum, Innocentii, Gelasii, Concilii Carthaginiensis, Florentini, Tridentini, & Laodiceni. Ergone uno, aut altero ex his Pontificibus, aut Conciliis dempto, qui Eugenii, Florentini, Tridentinique definitionibus adversabitur, hæreticus dicendus non erit?

4. Dices: Librum Baruch inter Canonicos non recensuerunt Concilia, Laodicænum, Carthaginiense tertium, & Romanum sub Gelasio. Ipsum prætermiserunt antiquiores Patres Meliton, Origenes, Nazianzenus, Epiphanius, Hilarius, Augustinus. Nec solum prætermisit, sed etiam contempsisse videtur Hieronymus, inquiens: (*Praef. in Thren.*) Libellum Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, & pseudographam Jeremiæ Epistolam nequaquam censui disserendam.

5. Respondet Bellarminus, antiquos Patres, & Concilia non recensuisse Baruch nominatim in Canone, quia eum librum veluti Vaticiniorum Jeremiæ appendicem habuerunt. Unde sub Jeremiæ nomine laudatur a Clemente Alexandrino, (*1. Pædag. c. 10.*) Ambrosio, (*1. de Pœnit. c. 8.*) Basilio, (*lib. 4. in Eun.*) Chrysostomo, (*orat. de Chris. Deo.*) Augustino, (*15. de Civ. c. 33.*) Hilario, (*4. de Trinit.*) Epiphanio, (*hæres. 3. Ebion.*) Sixto I., (*Epist. ad fidel.*) Felice IV., (*Epist. ad Pet. Ant.*) & Pelagio I. (*Epist. ad Vigil.*) Hieronymi porro authoritati authoritatem opponimus Cypriani, qui ex

ea

ea Epistola testimonium assumens, Per Jeremiam, inquit, (*serm. de Or. Dom.*) Spiritus Sanctus suggerit &c. item authoritatem Athanasii ajentis: (*in ep. fest.*) Post hos numerantur Isaias, Jeremias, Baruch, Lamentationes, Epistola: & Hilarii, (*præf. in Psal.*) qui vaticinia Jeremiæ cum Threnis, & Epistola unum constituere librum, inquit.

6. Oppones item: Author hujus libri Balth-assarem filium Nabuchodonossoris esse, ait: quod est aperte falsum. Secundo: Judeos, ait, Babylone mansuros per generationes septem. Tertio: Vasa, & pecunias in Judæam, inquit, missa fuisse, ut offerrentur ad aram Domini, quæ accepit Joachim Sacerdos; at eo tempore nec altare, nec Sacerdos, neque fere gens ulla Hierosolymis erat. Quarto: Baruch anno quinto Captivitatis dicitur Babylone fuisse; at ipse, sicut & Jeremias, in Ægyptum fuerat deportatus, non in Chaldæam. Quinto: dicitur, Baruch legisse Epistolam coram Jechonia; at non Jechonias, sed Sedecias Rex gentis erat.

7. Horum autem primum satis diluit Hieronymus in Danielem inquiens (*cap.* 5.): Quod Balth-assaris patrem vocat Nabuchodonossor, non facit errorem scientibus Sanctæ Scripturæ consuetudinem, qua Patres omnes Proavi, & Majores vocantur. Ad secundum respondetur primo septem ibi pro indefinito numero usurpari, sicut quum dicitur: (*Prov. c.* 24.) Septies in die cadit justus. Corripiam vos septem plagis, (*Levit. c.* 26.) aliaque in Scripturis hujusmodi. Secundo respondeo, septem generationes computari posse a prima transmigratione sub Jechonia, usque ad omnimodam totius gentis restitutionem sub Artaxerxe Longimano: quod intervallum temporis plusquam centum, & quadraginta annos complectitur. Ita Lyra, nec dissentit Natalis, quamvis primam responsionem libentius amplecti, videatur. Grotius (*apud Tourneminium in append.* 1. *ad prel. Bonfrer. art.* 2.) generationem hic unam pro annis decem sumi potuisse, existimat; quia tamen id, inquit, exemplo caret; aliter legendum, id est, δεκαδων pro τῶνεων suspicatur. At non omnino caret exemplo, siquidem Laertius scribit in Vita Pythagoræ, stetisse ejus Scholam per annos centum nonaginta, id est, inquit, per generationes novemdecim. Ad tertium dici potest primo cum Maldonato, id intelligendum de annis illis undecim, qui inter Jechoniæ, & Sedeciæ deportationem effluxerunt. Secundo, & melius dici potest, ea verba non de Ara, templove existente, sed de loco ejus, & ruderibus intelligenda esse, eo fere modo, quo apud Jeremiam legimus, venisse viros octoginta de Samaria cum thure, & muneribus, ut offerrent in domo Domini, id est, in ruinis, aut in loco combustæ, ac devastatæ domus: quod & facere solitos Hebræos etiam post templi excidium sub Tito, & Ves-

Vespasiano, testis est oculatus ipse Hieronymus. Quartum nullam habet difficultatem; quum sciamus ex Josepho, quinto post Hierosolymitanum excidium anno Nabuchodonosorem Ægyptum hostiliter ingressum esse, et occiso, qui tunc regnabat, alioque constituto Rege, repertos ibi Judeos captivos Babylonem abduxisse: quod disertis verbis Jeremias prædixerat. (*cap. 43.*) Ad quintum: Quum Sedecias luminibus orbatus fuisset, vero propius est, Jechoniam Judaicarum rerum, quantum per Captivitatem licebat, curam sibi vendicasse. Vel Baruch Jechoniæ potius, quam Sedeciæ conveniendi occasionem nactum esse, quum uterque ejusdem esset authoritatis apud Hebræos.

PROPOSITIO XXVI.

Quæ Danielis vulgo Additamenta dicuntur, divinæ authoritatis sunt.

1. DAnielis porro additamenta vulgo appellantur pars capitis tertii, nimirum a versu 24. usque ad 91., quibus Azariæ Oratio, & trium puerorum Canticum continetur: integrum caput decimum tertium, ubi Susannæ, & totum caput decimum quartum, ubi Beli, & occisi Draconis narratur historia. His porro particulis fidem primus derogavit Julius Africanus, quem sequutus Porphyrius duodecimo adversus Christianos libro. Africano consentiunt Eusebius, Apollinaris, Theodoretusque, qui eas in Danielis Commentario prætcrivit, Author de mirabilibus Scripturæ inter Opera D. Augustini, ac denique Hieronymus, (*Præf. in Dan.*) cujus hæc sunt verba: Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Beli, Draconisque fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru anteposito, easque jugulante, subjecimus.

2. Contra vero, eas quoque particulas tanquam divina testimonia usurparunt omnium sæculorum Patres, atque Ecclesiastici Doctores, Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Severus Sulpitius, Methodius, Ruffinus. (*Vide Natal. dis. 1. in 6. at.*) Quid? quod ex ipsis Patribus pro contraria sententia citari solitis, hymnum trium puerorum, tanquam Divinam Scripturam haud semel laudat Augustinus: Athanasius, sive Author Synopsis, tanquam Danielis partem in ejus libri argumento comprehendit. Historiam Susannæ citat Augustinus, & Gregorius Nazianzenus. Hieronymus denique, cum sibi Ruffinus opponeret quasi Danielis librum detruncasset, ita respondet: (*Apolog. 2. adver. Rufin.*) Quod autem refero, quid adversum Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, ac Beli,

&

Digitized by Google

& Draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere; qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi. Quod ex aliis ejusdem scriptis manifeste patet. Ait etenim alibi, Danielem populo notissimum fuisse propter Susannæ liberationem, & item: Nunc Susannæ nobilis fides omnium subeat mentibus, quæ iniquo judicio damnata, Spiritu Sancto puerum replente, salvata est. Denique quum Canon Apostolorum, & prisca Concilia Carthaginiense, Laodicenum, Romanum sub Gelasio, & priorum sæculorum Patres Danielem in librorum Sanctorum catalogum retulerunt, de eo loquebantur Danielis libro, qui in vulgatis Græcis Codicibus habebatur; at in Græcis Codicibus exstabant hujusmodi partes, ut patet ex Athanasio, (*in Synops. & Epist. ad Serapi.*) & Hilario citatis, ex Commentario Theodoreti, atque ex præfatione Hieronymi in Danielem, ubi testatur, Ecclesiam hunc librum legere juxta versionem Theodotionis, ubi ea omnia continebantur. De his igitur Danielis partibus eandem, ac de libro reliquo, sententiam tulere. Denique omne dubium amputavit Tridentina Synodus decernens, accipiendos libros ibi recensitos cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt; at Ecclesia Catholica hymnum trium puerorum fere quotidie canit, historiam Susannæ legit in Sabbato ante Dominicam quartam Quadragesimæ, & historiam Draconis occisi in Missa feriæ tertiæ post Dominicam Passionis: ergo.

3. Oppones primo: Ea additamenta in Hebræis Codicibus, ubi esse debuerant, desiderantur. Secundo: Ab Julio Africano, & Hieronymo vocantur fabulæ. Tertio: Patres, et antiqua Concilia de ipsis siluerunt. Quarto: Historia Susannæ contigit Daniele puero; sed Astyage, qui ibidem nominatur Darius Medus, vivente, & regnante, Daniel puer non erat, sed fere senex: ergo. Quinto: Non est verisimile, Joachimum Hebræum captivum eam ædium amplitudinem habuisse, neque Captivos Hebræos eam judiciariam potestatem, ut Susannam ad mortem condemnarent. Sexto: Lusus ille verborum σχῖνος σχῖζειν, πρῖνος πρῖζειν in Hebraica lingua nullus esse potuit, nec in ulla alia præter Græcam: ergo liber ille Græcè primum scriptus est, & Daniel græcè loquutus: quo nihil absurdius dici potest. Septimo: Mansio Danielis in lacu leonum alibi dicitur, fuisse unius diei; alibi dierum septem. Octavo: Habacuc, qui Manassæ Regis tempore prophetaverat, ea tempestate in vivis esse non poterat, aut ejus vigoris, ut messoribus prandium ferret. Tota ergo illa Draconis, & Susannæ historia spuria, & commentitia censenda est.

Ad primum horum respondet Origenes, (*in Epist. ad African.*) fuis-

fuiſſe hæc primitus in Hebræis Codicibus, unde in Theodotionis Verſionem dimanarint. Hiſtoriam vero Suſannæ expunctam arbitratur, quod illi, qui cenſebantur Sapientes, ac Seniores, ſuppreſſiſſent talia, quæcumque aliquam ipſorum accuſationem continebant apud populum. Ad ſecundum recte reſpondet Bellarminius, (*lib. 1. c. 9.*) *fabulas* nonnunquam apud Latinos dici etiam veras hiſtorias, quum lepidæ ſunt, atque auribus gratæ: quod Minucii Felicis firmat exemplo, & Latino verbo *fabulari*, quo veram etiam narrationem ſignificamus. Atque hæc pro Hieronymo dicere poſſumus, qui earum narrationum veritatem agnoſcit; Africanum autem a temeritate excuſare non poſſumus. Ad tertium ex ſupradictis patet reſponſio. Patres enim, & Concilia quum Danielem Canoni inſeruerunt nulla facta exceptione, etiam illa omnia approbarunt, quæ apud Theodotionem, & in Græcis Codicibus legi conſueverant. Quartum ſolvit Bellarminius inquiens, hiſtoriam Suſannæ a Græcis poni in Capite 1., verba autem illa: *Et Rex Aſtyages* &c. haberi in fine Octavi; apud Latinos autem rejecta hæc eſſe ad libri calcem, ut intelligeretur, ea non haberi apud Hebræos.

5. Quinta objectio fundamento caret. Annon tempore Captivitatis Daniel erat Conviva Regis, & Jechonias Regio honore tractatus, & Achiacharus Tobiæ ex fratre nepos præfectus ærario Regis ſub Aſſaraddore? An inſolitum, ut ſuis legibus permittantur captivi vivere, dummodo in permiſſæ juriſdictionis exercitio Victoris arbitrio ſubſint? Sextum diluit Bellarminius ex Origene inquiens, interpretem Græcum non ad verbum tranſtuliſſe, ſed ad ſenſum, & ut alluſionem ſervaret, Lentiſcum, & Ilicem accepiſſe, quibus in Græco reſponderet alluſio ad verbum ſcindendi. Septimum ſupponit, eamdem eſſe manſionem, & caſum, de quo in *cap. 6, & 14.* quod erat prius probandum. Octavum non urget, ſi dicatur, vel non fuiſſe eundem Habacuc, qui eſt inter minores Prophetas, vel non ſub Manaſſe illum, ſed extremis Joſiæ annis, aut Jechoniæ tempore prophetaſſe: vel quamvis ſub Manaſſe prophetaſſet, nihil eſſe cur uſque ad ultimos Nabuchodonoſſoris annos, aut etiam ad Balth-aſſaris regnum pervenire vegetus non potuerit.

6. Sunt qui ab his omnibus difficultatibus ſe expediant facillime, dicentes, Danielem, de quo *in Capitibus 13., & 14.*, non eundem eſſe cum Daniele Propheta: cui ſententiæ ſuffragantur antiqua exemplaria Verſionis τῶν Septuaginta, aut quæ ſub hoc nomine circumferuntur, & Hieronymus, qui ex aliorum ſententia, ait, (*In Proœmio comment. Daniel.*) liberatorem Suſannæ fuiſſe filium Abda de tribu Nevi: prophetam autem de tribu Juda. Quod etiam indicare videtur titulus his additamentis præfixus in verſione τῶν Septuaginta, hac-

hacque præcipue argumentatione convincitur: Ezechiel (*cap. 1.*) prophetavit anno quinto transmigrationis; & sequentibus, id est, regnante Nabuchodonossore; sed Ezechiel meminit Danielis, tanquam vita functi, nec enim adhuc viventem veluti justitiæ exemplar illum proposuisset simul cum Job, & Noe; proposuit autem dicens: (*cap. 14.*) Si fuerint tres viri isti Noe, Daniel, & Job in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi in justitia sua liberabunt animas suas: ergo vivente Nabuchodonossore Daniel e vivis excesserat; sed non Daniel Propheta, quia hunc usque ad Balthassaris, & Darii Medi tempora vixisse, Scriptura testatur: ergo Daniel, qui ob Susannæ liberationem notissimus erat Hebræis, & a puero (*Daniel 13.*) vir justus, ac Deo plenus habebatur, alius erat a Daniele Propheta.

7. Nihilominus, eundem esse Danielem, cui ea omnia simul tribuantur, omnium fere antiquorum Patrum sententia fuisse videtur, Origenis, (*loc. cit.*) Athanasii, (*Epist. ad Marcel.*) & Authoris Synopsis, qui sub ejus nomine circumfertur, Crhysostomi, (*Serm. de Sus.*) Ambrosii, (*3. de Spir. S. c. 7.*) Augustini, (*Ser. de Sus.*) & Severi Sulpitii. (*lib. 2. hist. sacræ*) Nec obstant in contrarium adducta, quia Versionem illam Septuaginta Seniorum non esse, certius videtur. Hieronymus ex Eusebii, atque Apollinaris sententia loquitur. Quid vero ipse senserit, alibi sæpè declaravit, uti mox dicetur. Titulus autem ille, in quo Susannæ, & Draconis historia libri Habacuc partes esse, dicuntur, primum non capiti decimotertio, sed 14. affixus erat, sicut adnotavit Hieronymus. (*prol. in Daniel.*) Secundo: Quamvis utrique Capiti præmissus fuisset, nullius authoritatis est, quum Græca Versio τῶν Septuaginta nomine vulgata multum ab Hebraica veritate discordet, ideoque Magistrorum Ecclesiæ judicio repudiata sit, teste Hieronymo. (*in c. 4. Dani.*) Ultimam objectionem, quæ majorem difficultatem habere videtur, diluit Hieronymus ipse inquiens, (*in Jovin. lib. 1.*) Ezechielem mentionem fecisse Danielis, non olim defuncti, sed viventis adhuc: annumeratique viris illis gravissimis Noe, & Job, quia simile sibi sapientiæ, & justitiæ, etiam in puerili ætate nomen acquisierat liberatione Susannæ, & interpretatione somniorum.

PRO-

PROPOSITIO XXVII.

Libri duo Machabæorum Canonici sunt.

1. JUdæ Machabæi, & fratrum ejus gesta his libris continentur. Judas autem Machabæus dictus a voce מכבי, sive quatuor litteris initialibus dictionum totidem, quibus in Hebraico sermone effertur illud Exodi: (*cap. 15.*) Quis similis tui in fortibus Domine? Hos porro in indice divinorum librorum prætermiserunt Meliton Sardensis, Origenes, Synodus Laodicæna, Athanasius, Eusebius, Cyrillus, Hilarius, Nazianzenus, Hieronymusque, qui diserte testatus est, (*Præfat. in lib. Salom.*) legi quidem hos libros ab Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipi: quod etiam duobus sæculis posterior affirmat Gregorius, (*lib. 19. Moral. c. 13.*) quum testimonium ex primo Machabæorum producturus, hæc verba præmittit: Non inordinate agemus, si ex libris, licet non Canonicis, tamen ad Ecclesiæ ædificationem editis, testimonium proferamus.

2. Ex citatis tamen Origenes divinam horum librorum authoritatem agnovit, ait enim: (*2. περιαρ. c. 1. & in cap. 5. ep. ad Rom.*) Ut autem ex Scripturarum authoritate hæc ita se habere doceamus, audi quo modo in Machabæorum libris &c. Similia alibi. Nazianzenus (*Orat. 22.*) Orationem de Machabæis scripsit, ubi passim horum librorum laudat testimonia. Hieronymus Machabæorum libros Scripturæ nomine appellavit dicens: (*in cap. 23. Isai.. & in 8. Dan. & 7. & 9. Eccli.*) Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander Rex Macedonum egressus sit de terra Cethim: quæ verba habentur in primo Machabæorum. (*cap. 1.*) Ex iisdem libris sæpe Judæos arguit Tertullianus. (*adver. Jud. c. 4. & 11.*) Plenus est Cyprianus in libro de Exhortatione Martyrii, ubi tamen nonnisi de divinis Scripturis hortamenta se sumpturum, præmiserat. Lucifer Calaritanus: (*lib. de non parcen. in Deum delinquent.*) Loquitur Sacra Scriptura dicens in Machabæorum primo libro. Egesippus, alius a primo illo historiæ Ecclesiasticæ Scriptore, Machabæorum, inquit, (*in Prolog. de Excid. Hierosolym.*) res gestas propheticus sermo paucis complectitur. Julius Hilarion (*in lib. de Muduratio.*) divinam narrationem vocat. Augustinus, Machabeorum, inquit, (*lib. 18. de Civit. c. 36.*) libros, non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet. Similia Ambrosius, Isidorus Hispalensis, Cassiodorus, Rabanus, Innocentius denique, Concilium Carthaginiense III., Synodus Romana sub Gelasio, ac Tridentina. (*Vide apud Bellarmin. l. 1. de Verbo Dei c. 10.*).

3. Qui

Digitized by Google

3. Qui profecto horum librorum Authores fuerint (nec enim eundem utriusque Authorem esse, styli diversitate, & temporum computandorum ratione manifestissimum est.) Quinam, inquam, Authores fuerint, prorsus incertum est. Alii Machabæos ipsos, alii Joannem Hyrcanum. Sunt qui cum Tourneminio Joannem Essenum secundi libri Authorem esse, velint. Alii Jasonem Cyreneum authorem agnoscunt. Et quidem ex quinque Jasonis Cyrenæi libris Secundum Machabæorum compilatum esse, & in compendium redactum, idem libri hujus Author testatur dicens: Ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa tentavimus uno volumine breviare. Hujus porro compilationis, & primi Machabæorum libri Author omnino nos latet.

4. Plura sunt, quæ in horum librorum authoritatem objiciuntur: Primo Augustinus inquiens: (*lib.* 2. *de Doct. Chris. c.* 8.) Hos libros non inutiliter ab Ecclesia recipi, si sobrie legantur, vel audiantur; sed in libris divinæ authoritatis hæc cautio adhibenda non esset: ergo. Secundo: Plura in his falsa continentur, ut 1. quod Alexander primus regnavit in Græcia. 2.: Quod, quum adhuc viveret, regnum suum divisit pueris suis. 3.: (*1. Mach.* 8.) quod Romani uni homini magistratum committunt per singulos annos, & consulunt quotidie trecentos viginti. 4.: Neminem Romanorum purpura indutum fuisse. 5.: Romanos Antiochum vivum cepisse. 6.: Eosdem Eumeni Pergami Regi Mediam, atque Indiam dono dedisse: quas tamen Provincias nunquam Romani possederant. 7. Alexandrum Syriæ Regem filium fuisse Antiochi. 8.: Oniam scripsisse ad Arium, qui tamen Oniæ temporibus Spartæ non regnabat. 9.: Jeremiam Tabernaculum, & Arcam, & Altare incensi abscondisse, quum tamen Jeremias Sedeciæ tempore inclusus fuisset in carcere. 10.: Judæos captivos abductos fuisse in Persidem, quum in Perside Nabuchodonossor non regnaverit, sed in Assyria.

5. Et primum quidem ex Augustino non urget. Librum enim sobrie legit non is solum, qui decipi timet, sed is etiam, qui arcana libri, & obscuras sententias non proprio sensui, propriæque prudentiæ innixus interpretatur, & qui, quæ facta narrentur, quæ facienda doceantur, discernere satagit: in quo sensu Augustinum ibi loquutum ex infra dicendis constabit. Ad 2. negatur assumptum, quod sequentes probationes non evincunt. Non 1., siquidem non de regno quocumque, sed de Monarchia Græcorum intelligendum est, quam ab Alexandro cœpisse omnes fatentur. Non 2., ut enim Curtius ipse fatetur: (*lib.* 10. *c.* 13.) Credidere quidam ex testamento Alexandri distributas esse Provincias. Subjungit porro ibidem: sed famam ejus rei, quanquam ab authoribus tradita est, vanam fuis-

Digitized by Google

fuisse compererit. Ubi tamen, aut quomodo id compererit non ajenti, cur potius credam, quam Authori penè coævo, & cui recentissima rerum gestarum suppetebant monumenta? Abeant ergo Curtius, Cornelius Nepos, & profani omnes, quibus etiam ejusdem farinæ Historicum, & majoris nominis opponere possumus, Diodorum Siculum, (*lib. 20. Biblioth.*) qui Rhodi Alexandrum de toto regno disposuisse narrat. Addo etiam, quamvis testamenti opinio vana fuisset (quod unum affirmat Curtius) potuisse viva voce Alexandrum eam distributionem significare, aut Perdiccæ, cui moriens annulum tradidit, ejus faciendæ postetatem committere: quod satis est, ut vivens pueris suis imperium divisisse, dicatur. Non tertia: siquidem licet duo Consules crearentur, alternis tamen imperabant aut mensibus, aut quandoque diebus, ut Cannensis pugnæ exitus probat, qui Consulis eo die imperantis temeritati adscribitur. Idque ab ipsa Consulatus origine institutum ait Livius, (*lib. 2.*) ut omnia jura, omnia insignia Consules primi tenerent, ne Regibus exactis, non remotus, sed duplicatus terror videretur. Ita Natalis (*dis. 7. in 6. at.*) ex Bellarminio, quorum responsio Dionysii Halicarnassei, (*lib. 5. & 9.*) Suetonii, (*in Vit. Jul. Cæs.*) Gravinæ; (*de Orig. Jur. l. 1. c. 13.*) aliorumque testimoniis confirmari posset. Trecentos autem, & viginti consulere dicuntur Romani, quia quamvis Senatores essent solum trecenti, jus tamen suffragii habebant etiam decem Tribuni Plebis, Ædiles Plebis, Ædiles Curules, aliique hujusmodi Magistratus. Vide citatum Gravinam. Purpurea autem vestis (de qua in probatione quarta) pro regio insigni ibi usurpatur, quo in sensu verum est, a nemine Romanorum usurpatam fuisse, *ut magnificaretur in ea*, sicut ibidem dicitur. Quinta non obest; capere enim, & capi nonnumquam dicitur apud Latinos de hoste, aut urbe vehementer pressa, ac deditioni parata. Neque enim, ait Cicero, (*l. 8. Epist. ad Att. Ep. 15.*) eos solos arbitramur capi, qui in armatorum manus incidissent. Unde Silius de Amilcare cecinit

Aut hæc Sicana pepigisti captus in ora,

6. Qui tamen nunquam in hostium potestatem devenit. Quid si dicamus, captum fuisse Antiochum, & ab Scipione, cui paulo ante filium a Syris captum sine pretio liberum reddiderat, abire permissum? Certè quod favisset Antiocho, Scipio accusatus est, & accusationis causas, & quæ eam consequuta sunt, latere, aut ab Scriptoribus in diversum trahi Livius ipse testatur. Polybium non curamus, qui quamvis id plane negaret, ob familiaritatem Scipionis Junioris idoneus his in rebus testis non habetur.

7. Ad

Digitized by Google

7. Ad sextam: Verum est, Mediam, atque Indiam Romanos nunquam possedisse; dederunt tamen Eumeni, quia Antiochum Scipio compulit, ut ei Regi Mediam concederet, & quidquid ad Indi fluminis oram possidebat. Septima de Alexandro Syriæ Rege impostore Polybii, & Justini, sive Trogi Pompeii Testimonio innititur, qui obscurum juvenem Alexandrum vocatum esse, ait, & genus ipsi nobile tributum ex Antiochi stirpe; tamen Authori Machabæorum antiquiori (quamvis reliqua essent paria) credendum potius esse, nullus abnuerit Criticus. Dici tamen posset, Antiochi filium vocari, quod ita se ipse appellabat, isque in communi hominum existimatione haberetur, eo modo, quo apud Evangelistas Jesus vere dicitur filius Joseph. Octava porro objectio ex Historiæ, & Chronologiæ ignoratione procedit. Demonstrarunt enim jam alii, Arium Spartæ regnasse ab anno quarto Olympiadis centesimæ decimæ septimæ, usque ad annum quartum Olympiadis centesimæ vigesimæ octavæ; Oniam vero Pontificatum tenuisse ab anno tertio Olympiadis 114. usque ad primum Olympiadis 120. Plusquam octo ergo annos convixerunt. Ad nonam dicitur, Jeremiam liberum fuisse tempore Joachim, tuncque Arcam, & reliqua abscondere potuisse. Secundo potuit id facere capta urbe, quum maximi factus fuerit a Nabuzardano, ab quo e carcere dimissus fuerat. Certè, ut notavit Bellarminius, (*lib. 1. de Verb. c. 15.*) quum recenseantur etiam phialæ, & mortariola, quæ ex templo abstulerant Chaldæi, nihil de Altari tamen, aut tabernaculo dicitur: quod signum est evidens, ea omnia in Victoris potestatem non devenisse. Ultimam probationem supra tetigimus, atque obiter dissolvimus ex Possino. Cui ea responsio non placet, hanc habeat, Judæos, quum sub Persis Regibus viverent, solitos fuisse, Persidem appellare regiones omnes trans Euphratem: qua etiam loquutione usi sunt nonnulli Latinorum, uti Lucanus, & Mamert. Quid Virgilius? Nonne viciniam Ægypti, & Nili, Persidem vocat, ubi mire cruciantur ejus Interpretes?

8. Oppones item, nonnulla in his libris laudari, quæ fidei, aut bonis moribus adversa videntur. Nam 1. laudantur (*2. cap. 12.*) sacrificia ab Juda fieri jussa pro iis, qui in bello contra Georgiam ceciderant; sed hi decesserant lethali crimine obligati, invenerunt enim sub tunicis eorum de donariis Idolorum, quæ fuerant apud Jamniam, quod in Deuteronomio vetitum erat: (*cap. 7.*) ergo. Secundo: Laudantur Eleazarus, (*1. cap. 6.*) & Razias, (*2. Mac. 14.*) qui sibimet mortem consciverunt. Tertio: Nequit, Deo inspirante, scripsisse Author ille, qui plenum vigiliarum, ac sudoris opus se assumpsisse, profitetur; qui siquid minus digne enarraverit, concedendum sibi deprecatur: sed ita loquitur Author secundi libri Machabæorum: (*cap. ult.*)

ult.) ergo divinæ authoritatis non est. Horum primum diluit Bellarminius dicens, (*loc. cit.*) pie existimasse Judam, illos in articulo mortis pœnituisse, & cum pietate dormitionem accepisse. Id enim considerans, sacrificium pro iis fieri jussit, ut ipse textus indicat. Ad secundum, quamvis dici posset, id fecisse Raziam, atque Eleazarum ex peculiari instinctu Spiritus Sancti, sicut supra de Sampsone cum Augustino diximus; tamen melius videtur dicendum cum Augustino eodem: (*lib. cont. Gaud. c. 31.*) Istam (Raziæ) mortem mirabiliorem, quam prudentiorem narravit Scriptura, quomodo facta esset, non tanquam facienda esset, laudavit ... Solent in libris Gentilium ista laudari; in his tamen libris, quamvis homo ipse laudatus sit, factum tamen ejus enarratum est, non laudatum, & judicandum potius, quam imitandum .... (*Epist. 204. ad Dulcit.*) Scriptum est, quod voluerit nobiliter, & viriliter mori. Sed numquid ideo sapienter? Mortem idcirco Raziæ, inquit D. Thomas, (*2. 2. q. 64. a. 5.*) quamdam speciem fortitudinis habuisse, non tamen veram fuisse fortitudinem, sed magis animi mollitiem, non volentis mala pœnalia sustinere. Non est autem idem casus Eleazari. Is enim mortis periculo se objecit, *ut liberaret populum suum:* nec id intendisse credendus est, ut se occideret, sed ut Antiochum interficeret, forte non existimans, se ruina bestiæ opprimendum, aut fugæ celeritate se elephantis casum præventurum, sperans. Ad tertium dicitur, non eodem modo Deum Prophetis, & Sacris Historicis in scribendo adfuisse. His enim non quæ scripturi erant, inspirabat, sed excitabat interius, ut ea, quæ viderant, audierant, aut etiam in aliis legerant, litteris mandarent, menti eorum adsistens, ut vera a falsis discernerent: quæ adsistentia, inquit Bellarminius, non id præstabat, ut non laborarent quærendo, & meditando quid, vel quomodo erant scripturi. Concedendam autem sibi veniam ait, non de erratis, quippe nulla erant, sed minus elegantis, & politæ orationis, ad eum fere modum, quo Paulus se imperitum sermone profitetur, ad Corinthios scribens, (*2. cap. 11.*)

9. Oppones iterum, Authores primi, & secundi Machabæorum inter se pugnare in multis: ergo alteruter, vel neuter sacer est. Assumptum probatur multipliciter. 1.: Quia in primo dicitur, (*cap. 16.*) obiisse Antiochum Epiphanem anno 149. regni Græcorum; at in 2. (*cap. 11.*) habentur litteræ Antiochi Eupatoris ejus filii, & Successoris jam regnantis scriptæ anno 148. Item in 1. Judas (*c. 6.*) obsidet Hierosolymas anno 150. regni Græcorum: obsessis fert suppetias Antiochus Eupator, cum Juda pugnat, mox pacem init: quæ omnia (*in 2. Machabæorum cap. 13.*) contigisse dicuntur anno 149. Tertio: Demetrius Roma profectus venit in Syriam anno 151., ut habetur (*in 1. Machabæorum cap. 7.*); at ejus adventus consignatur in li-

libro 2. anno 150.: (*cap. 14.*) ergo: Hæc omnia una solutione enodantur, nimirum Authorem primi Machabæorum sequutum fuisse Æram Judaicam, juxta quam annus incipiebat a mense Nisan, seu primo Veris, qui Martio nostro fere respondet: authorem vero secundi sequutum fuisse Æram Alexandrinam, quæ a mense Tisri, seu primo Autumni annos numerabat, quam Jason Cyrenæus tenuerat, ex cujus libris Secundus hic Machabæorum compactus est. Itaque Æra hæc Alexandrina toto semestri posterior erat Judaica. Vide Petavium (*cap. 23.*) *de Doctrina temporum libro 11.* Instabis tamen: Pax inita inter Antiochum Eupatorem, & Judæos, quum facta sit post festum Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, quod celebrabatur mense Septembri, aut Tisri, in utraque epocha consignanda esset anno 150. regni Græcorum, qui annus Sabbaticus fuisse dicitur; at in 2. Machabæorum dicitur id contigisse anno 148., qui annus in nulla Æra Sabbaticus esse potuit: ergo solutio non tenet. Respondet Petavius, bis ab Antiocho cum Judæis pacem esse compositam, primamque illam esse, de qua *in 2. Machabæorum cap.* 11., secundam illam, de *qua in 1. Machab. cap. 6. & in 2. cap. 13.*

10. At inquies 1. Antiochus Epiphanes dicitur, (*1. Mach. 1.*) regnare cœpisse anno centesimo trigesimo septimo Regni Græcorum; at ab exordio regni Græcorum, sive ab Alexandro ad Antiochum anni numerantur 156., ut ex Eusebio, & reliquis Historicis patet: ergo. Secundo: Templi purgatio facta dicitur (*1. Mach. 4.*) anno Græcorum 148., id est, anno uno ante mortem Antiochi; at in 2. (*cap. 10.*) dicitur, purgatum fuisse templum biennio post mortem Antiochi. Tertio: in primo Machabæorum dicitur, (*cap. 9.*) Judam mortuum esse anno Græcorum 152., sed id verum esse non potest, quum habeatur in 2. (*cap. 1.*) epistola ab eodem scripta anno centesimo octogesimo octavo: ergo. Quarto: In 1. dicitur, (*cap. 6.*) Antiochus obiisse Babylone in lecto suo præ animi ægritudine; at in 2. (*cap. 1.*) dicitur membratim cæsus cum pluribus suorum in templo Nanneæ. Et item in 2. (*cap. 9.*) dicitur mortuus quum dolore interno viscerum, tum quod in itinere e curru cecidisset: ergo horum librorum authoritas nulla est.

11. Horum autem primum nullam habet difficultatem. Compertum enim est, in libris Machabæorum annos Regni Græcorum non computari ab exordio ejus Monarchiæ sub Alexandro Macedone, sed ab initio Æræ Seleucidarum, quæ incœpit cum regno Seleuci Nicanoris anno fere duodecimo, aut duodecimo, & mense octavo post Alexandri mortem: quibus si addantur ipsius Alexandri post Darii mortem anni septem, aut circiter, fient anni novendecim, aut viginti, quibus Æra vulgaris Græcorum Æram Seleucidarum antevertit. Quod

eum diserte testatus sit Eusebius, sitque tritissimum apud Chronologos, & Scripturarum Interpretes, miror, qui potuerit Suarium latere, (*1. in 3. p. disp. 1. sect. 2.*) ut in computandis annis Monarchiæ Græcorum errorem adnotaverit Eusebii, & aliorum, qui fere, inquit, viginti annos addunt Imperio Græcorum. Et infra: Occurrit mihi difficultas, quam ab Authoribus, inquit, omnino prætermissam video, quia, ut jam attigi, propter expressum locum primi Machabæorum capite ultimo, cogimur minuere illud Imperium Græcorum viginti annis, vel circa. Hæc ille. Ad secundum patet responsio. Non enim dicitur purgatum templum biennio post mortem Antiochi, sed biennio post ejus violationem, uti Azor, (*lib. 6. c. 16.*) Bellarminius, (*de Verb. Dei lib. 1. c. 15.*) aliique observarunt: De tertio argumento variæ sunt Authorum sententiæ. Canus, (*lib. 2. c. 11.*) & Bellarminius (*loc. cit.*) putant, totam illam clausulam: *anno centesimo octogesimo octavo populus, qui est Hierosolymis, & in Judea*, finem esse Epistolæ prioris, quam Hircanus scripsit, non posterioris, quam scripsit Judas: faventque Græca exemplaria. Ita etiam Natalis Alexander, (*loc. cit.*) & Gottus Cardinalis. (*Tract. 4. de lib. vet. Tes. c. 22.*) Lyra (*in eum loc.*) existimavit, illam annorum enumerationem non desumi ab annis regni Græcorum, sed ab alia epocha liberationis Judæorum, quam ille contigisse existimat anno Assueri duodecimo. Verum hanc Lyræ sententiam in multis claudicare ostendit Bellarminius, cujus tamen allata responsio non mihi magis probatur. Potior illa Ruperti, (*de Vict. Verb. Dei c. 15.*) contra quam nullum apparet efficax argumentum, nimirum, Judam ibi memoratum non fuisse Machabæum, sed alium quempiam inter Judæos insignem: quæ responsio etiam placuit Azorio supra citato. Major est difficultas in quarto. Lyra existimavit (*in 2. Machabæorum cap. 1.*) sermonem esse de Antiocho Magno. Hic tamen neque cum Judæis bellum gessit, neque vixit tempore principatus Judæ. Rupertus (*lib. 10. de vict. verb. Dei c. 6.*) putat, illa narrari de Antiocho Grypho. Verum hic vixit longe post tempora Aristobuli, ad quem ea Epistola inscribitur, qui Magister fuit Ptolomæi Philadelphi. Azorius, Bellarminius, & Natalis (*loc. cit.*) cum Recentioribus plerisque ad Antiochum illustrem ea referunt. Cecidisse autem ibi dicitur, non quia mortuus fuerit, sed quia ejus exercitus fusus, fugatusque est, totidem inquit verbis Bellarminius, confirmatque exemplo ex Genesi, ubi dicitur, Rex Sodomorum cecidisse, quum postea Abrahæ revertenti, occurrisse dicatur. Verum hic exponendi modus textui videtur repugnare. En verba: Quumque ipse cum paucis esset ingressus intra ambitum phani, clauserunt Sacerdotes templum. Quum autem intrasset Antiochus, aperto occulto aditu templi mittentes lapides, per-

Digitized by Google

percusserunt ducem, & eos, qui cum eo erant, & diviserunt membratim, & amputatis capitibus foras projecerunt. Quomodo ergo stare potest, quod citati Authores asserunt, nimirum comprehensum esse ducem, & dilaceratum; ipsum vero Antiochum fuga se proripuisse? Quis enim erat dux ille percussus, nisi idem, de quo supra dictum fuerat: Nam quum in Perside esset dux ipse, cecidit in templo Nanneæ: quod de Antiocho dictum esse, omnes fatentur. (*Append. in oper. Menoch.*) Videtur ergo potius amplectenda sententia Tourneminii illa verba interpretantis de Antiocho Sidete, nam Aristobulum Ptolomæi Philadelphi magistrum ad ejus usque tempora vitam agere non potuisse nulla ratione convincitur. Atque hic divinorum librorum Veteris Testamenti Catalogus absolutus, atque perfectus esto.

12. Præter hos etenim nullus nunc extat liber Canonicus Veteris testamenti. An vero alii fuerint, qui perierint divinæ authoritaris libri, dubium est inter Theologos. Periisse quidem plures libros Hebraicos satis aperte deducitur ex libris Canonicis, ubi passim citantur Scripta, quæ nunc non extant, suntque omnino viginti & tria.

I. Liber, aut prophetia Enochi, cujus meminit Judas Apostolus:

II. Liber bellorum Domini, de quo *Numeror. 21.*

III. Liber Justorum, de quo *Jos. 10.*, *&* *2. Reg. cap. 1.*

IV. Liber verborum dierum Salomonis, de quo *in lib. 3. Regum cap. 11.*

V. Liber verborum dierum Regum Israel, de quo *in lib. 3. Reg. cap. 14.*, & Liber verborum dierum Regum Juda, si unus, & non duo libri sunt, de quo ibidem, & alibi in iisdem Regum libris.

VI. Liber Regum, de quo *in 2. Paralip. cap. 22.*, & liber Regum Israel *in 2. Paralip. cap. 33.*, & liber Regum Juda, & Israel *in 2. Paralip. cap.* 6. qui idem liber diversimode appellatus esse videtur.

VII. Liber Samuelis Videntis, de quo *in 1. Paralip. cap. ultimo*: & Liber de lege Regni, qui forte idem est, & dicitur repositus coram Domino *1. Reg. cap. decimo*.

VIII. Libri Nathan Prophetæ, de quibus *1. Paralip. cap. ult.*, *& 2. cap. 9.*

IX. Liber Gad Videntis, de quo *in 1. Paralip. cap. ult.*

X. Liber Ahiæ Silonitæ, de quo *in 2. Paralip. cap. 9.*

XI. Liber, seu Visio Addo Videntis, de quo *ibidem*.

XII. Liber Semeiæ Prophetæ, de quo *in 2. Paralip. cap. 12.*

XIII. Liber Jehu, filii Hanani, de quo *in 2. Paralip. cap. 20.*

XIV. Sermones Hozai, de quibus *in* 2. *Paralip. cap. 33.*

XV. Liber Isaiæ de rebus geſtis Oziæ Regis, de quo *in* 2. *Paral. cap.* 26.

XVI. Parabolarum Salomonis tria millia *ex* 3. *Reg. cap.* 4.

XVII. Cantica ejuſdem quinque mille, de quibus *ibidem*.

XVIII. Deſcriptiones Jeremiæ, de quibus *in* 2. *Machab. cap.* 1.

XIX. Salomonis hiſtoria Naturalis de plantis, arboribus &c., de qua 3. *Reg. c.* 4.

XX. Joannis Hircani Liber Dierum, de quo *in* 1. *Machab. cap. ultimo*.

XXI. Jaſonis Cyrenæi libri quinque, de quibus *in* 2. *Machab. cap.* 2.

XXII. Vaticiniorum Ezechielis liber alius ex Joſepho, & Authore Synopſis inter Opera Athanaſii.

XXIII. Litteræ Eliæ Prophetæ, quarum extat fragmentum *in ſecundo Paralip. cap.* 21.

13. An hi omnes libri Canonici fuiſſent, aut tales, ſi exiſterent, futuri eſſent, quæſtiones ſunt divinatoriæ, atque inutiles. Illi profecto, ſive quod aliqua ſupra humanum captum continerent, ſive quod aliqua in eis corrupta, & contra fidem invenirentur a majoribus traditam, divina Providentia de medio ſuſtulit, & noſtrum non eſt de talibus pronuntiare, inquit Origenes. (*prol. in Cant.*) Ea igitur, ſicut de Enochi libro ſcripſit Auguſtinus, (15. *De Civit. Dei cap.* 38.) ut apud Judæos, & apud nos in authoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur eſſe ſuſpecta. Nam & proferuntur, quæ ipſorum eſſe dicuntur, ab iis, qui pro ſuo ſenſu paſſim quod volunt, credunt, ſed ea caſtitas Canonis non recipit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, parvi pendatur authoritas; ſed quod non ipſorum eſſe iſta credantur. Hæc Auguſtinus. Jacturæ porro hujus cauſas reddens Chryſoſtomus: Deſides, inquit, (*hom.* 9. *in Matth.*) quum eſſent Judæi, immo & impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia vero incenderunt, aut conciderunt. Et de profanitate quidem tali Jeremias quæritur. (*cap.* 36.) De negligentia vero (*in* 4. *Regum cap.* 22.) legimus, quod poſt multum temporis vix Deuteronomii volumen ſit repertum defoſſum in loco quodam, ac pene deletum . . . Si autem abſque ulla conflagratione templi, abſque ulla Urbis devaſtatione Sacri tamen Libri varie deperibant, quis jam iſtud inter depopulationes, vaſtationeſque hoſtium, inter illa templi, totiuſque Urbis incendia contigiſſe miretur, præcipue ſub Antiocho Epiphane, quando libros Legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes, & apud quemcumque inveniebantur libri teſtamenti Domini trucidabant eum?

IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER TERTIUS.

De divinorum Librorum Verſionibus, interpretatione & ſenſibus.

PRÆFATIO.

1. Divinorum Librorum authoritate ſtabilita, nunc de eorundem Verſionibus, interpretatione, & ſenſibus agendum ſupereſt. Neque enim ſatis eſt Theologo ſcire, quibus ex libris certiſſima poſſit, atque inviétiſſima argumenta depromere, niſi etiam in iis corruptos ab incorruptis, genuinos ab ſpuriis diſcernere noverit. Nam cum fidei rectitudine Scripturarum veritatem, incorruptumque candorem ſemper fuiſſe conjunctum dudum obſervarunt Sapientes Viri. Primum autem de ipſo textu Hebraico, tum de ejus Verſionibus ſuo ordine agemus. De textu autem Hebraico duplex eſt quæſtio. Prima: Utrum ille, qui extat, idem ipſe ſit a Moyſe ſcriptus? Secunda: Utrum purus omnino ſit, atque incorruptus? Harum primam ſupra elucidavimus, quum factam ab Eſdra Sacrorum librorum inſtaurationem explicuimus. Circa ſecundam ſit.

PROPOSITIO I.

Hebraicus textus non ita de induſtria eſt a Judæis corruptus, ut omni authoritate careat; nec ita tamen purus, ac ſincerus, ut careat omni mendo.

1. HÆc via componendis oppoſitis Doctorum ſententiis aptiſſima viſa eſt, quam tenuerunt Bellarminius, (*lib. 2. de Verb. Dei cap. 2.*) Calmetus, (*diſſert. de Verſ. Septuag.*) Natalis, (*Sec. 2. diſ. 11.*) Gottus, (*de ver. Relig. tract. 3.*) Bonfrerius, (*in præl. c. 15.*) Lamius, (*lib. 2. Apoc. c. 9.*) aliique ex Recentioribus. Contra Canus, (*lib. 2. cap. 13.*) Salmeron, (*prol. 4. in Evan.*) Mariana (*de Vulg. c. 8.*) inſinceros omnino Hebraicos Codices, ac depravatos volunt in Lutheranos, & Calviniſtas, qui ut fidem Latinæ Vulgatæ derogent, ſinceritatem omnimodam Hebræorum Codicum commendare non ceſſant, ad eoſque tanquam ad fontes puriſſimos in omnibus recurrendum eſſe, arbitrantur.

2. Jam vero prima pars propoſitionis noſtræ ſuadetur 1. Origenis, (*in*

(*in Isai. lib. 8.*) & Hieronymi (*in c. 6. Isai.*) argumento efficaci : Vel Judæi Scripturas corruperunt ante adventum Redemptoris nostri, vel postea, sed non antea, quum odium in Christianos eos movere non posset, & quum neque Christus Dominus, neque Apostoli tam immane crimen ipsis objecissent, qui minora alia in eis apertissime arguebant, & quum Christus ipse ad suarum Scripturarum lectionem eos provocet dicens: (*Joan. 5.*) Scrutamini Scripturas, ipsæ enim testimonium perhibent de me. Et item: (*Matth. c. 23.*) Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite. Si autem dixerint, ait Hieronymus, (*cap. 6. Commem. in Isai.*) post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Apostoli ita testimonia protulerint, sicut postea Judæi falsaturi erant. Confirmatur: Quum jam ab initio prædicationis Apostolicæ magna turba Sacerdotum obediret fidei, ut in Actis dicitur, (*cap. 14.*) essentque in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ; & Doctores, qui jugi meditatione, atque omni studio Sacris Scripturis incumbebant, fieri non potuit, ut Judæi omnes eos Codices, qui apud Christianos erant, simul corrumperent, ac vitiarent, consentientibus, aut saltem conniventibus, & tacentibus Apostolis, & Apostolorum discipulis. Quæ difficultas eo major erat, quo magis credentium augebatur, & latius per Orbem totum dispergebatur numerus.

3. Secundo argumentatur Augustinus: (*lib. 15. de Civ. c. 13.*) Si quæram, quid sit credibilius, Judæorum gentem tam longe, lateque diffusam in hoc conscribendum mendacium conspirare uno consilio potuisse, & dum aliis invident authoritatem, sibi abstulisse veritatem: vel Septuaginta homines, qui etiam ipsi Judei erant, in uno loco positos ipsam veritatem gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud tunc fecisse consilio, quis non videat, quid facilius, procliviusque credatur? sed absit, ut prudens quispiam vel Judæos, cujuslibet perversitatis, & malitiæ, tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longe, lateque dispersis: vel Septuaginta illos memorabiles Viros hoc de invidenda gentibus veritate unum communicavisse consilium.

4. Tertio arguit idem Augustinus (*lib. 18. de Civ. c. 46.*) divinam providentiam commendans, cujus dispensatione factum esse, ait, ut Judæi per totum Orbem dispersi libros Sanctos circumferrent in Evangelicæ prædicationis testimonium. Quod argumentum, quamvis ille aliis in locis prosequutus sit, præterire tamen non possumus, quæ in Epistola 59. ad Paulinum scripsit, ubi: Quod autem in psalmo 58. de Judæis intelligitur dicente: Ne occidas eos, nequando oblivis-

viscantur legis tuæ, convenienter videtur intelligi eamdem gentem debellatam, atque subversam in victoris populi superstitiones non fuisse cessuram, ut apud eam esset testimonium Scripturarum toto Orbe terrarum, unde Ecclesia fuerat evocanda. Ideo, ne occideris eos, ne ipsius gentis nomen extinxeris, nequando obliviscantur legis tuæ, quod utique fieret, si ritus, & sacra Gentilium colere penitus compulsi, qualecumque nomen Religionis suæ minime retinerent... Denique quum dixisset, ne occidas eos, velut quæretur quid esset faciendum, ut in aliquos usus veritatis testimonii non occidantur, id est, non consumantur, neque obliviscantur legis tuæ, continuo subdit: Disperge illos in virtute tua. Si enim uno in loco terrarum essent, non adjuvarent testimonio prædicationem Evangelii, quæ fructificat in toto Orbe terrarum. Ideo: disperge illos in virtute tua, ut ejus ipsius, cujus fuerunt negatores, persequutores, interfectores, ubique sint testes per ipsam legem, quam non obliviscuntur, & in qua ille prophetatus est, quem non sequuntur. At hoc Judæorum testimonium nullum esset, aut omnino inutile, aut Evangelicæ prædicationi contrarium, si Judæis divinas Scripturas corrumpere licuisset: ergo ad divinam quoque providentiam spectavit, ne hoc ipsis in odium Christianæ Religionis liceret.

5. Quarto: Si in odium Christianæ Religionis, uti dicitur, Judæi Scripturas corrupissent, id fecissent præcipuè in iis locis, in quibus clariora sunt de Christo, Ecclesiaque testimonia; at hæc loca ut plurimum incorrupta sunt, & in aliis sæpe Hebraicorum Codicum lectionibus, magis quam Græcorum, aut Latinorum urgentur Judæi, ut pluribus exemplis firmat Bellarminius: (*lib. 2. c. 2.*) ergo non est credenda maligna illa Scripturarum corruptio. Denique incredibile est, Judæos, qui summa religione sacros libros venerabantur, eosque ab ætate ipsius Moysis usque ad tempora Apostolorum inter maximas suæ Reipublicæ vicissitudines incorruptos servaverant, illos postmodum corrupisse, quum contra, ut legitur apud Philonem, & Josephum, mortem potius, omniaque tormenta subire mallent, quam vel unum legis apicem mutare. Idque adeo superstitiose, ut recentiores Judæi vix non libros Sanctos adorent, & si quando in terram ceciderint, jejunio publico scelus illud expiandum ducant. Hoc ipsum de præteritis temporibus confirmatur validissime ex ingenti labore, & diligentia Masoretharum Tiberiensium, de quibus supra diximus, (*lib. 2. pr. 9.*) quorum studio & sudore effectum est, ut in posterum nulla, vel minima Hebraici textus corruptio timeri possit.

6. Neque ea, quæ contrariæ sententiæ assertores pro se adducunt, magni momenti sunt. Opponit enim 1. Mariana testimonium Justini (*Dialog. cum Triphon.*) ajentis, Judæos multas Scripturas de medio su-

sustulisse, quæ manifeste Christum Crucifixum, & Deum, atque hominem prædicabant. Idem particulam illam: *Ego, quasi agnus, qui portatur ad victimam*, de Scriptis Jeremiæ resectam esse, conqueritur. Tertullianus item (*lib. de habit. mulieb. c. 3.*) a Judæis, inquit, Scripturam videri postea resectam, sicut cætera, quæ Christum sonant. Similia Origenes (*hom. 12.*) in Jeremiam: Judæi, inquit, qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam hoc loco pro peccato Judæ, peccatum eorum posuerunt. Additque (*Ep. ad Jul. Afr. & 1. contr. Cels.*) integros etiam libros ab eis suppressos fuisse, quo & probrum suum, & patrum suorum occultarent crimina, ut de historia Susannæ supra ex eodem adnotavimus. Eusebius quoque in Evangelica Demonstratione: (*lib. 10. cap. 4.*) Diligenter considerandum est, inquit, quum hæc non habeantur apud Jeremiam Prophetam, num arbitrari conveniat per quamdam malitiam esse sublata, an vero librarii erratum fuisse, qui pro Zacharia Jeremiam posuit? Alibi etiam, (*lib. 4. hist. cap. 18.*) Tryphonem ab Justino fuisse convictum; majores ejus quædam Scripturarum capita detruncasse. Nec parum favet Augustinus. (*de Civ. 15. c. 11.*) Nam inquiunt, ait, Judæos dum nobis invident, quod Lex, & Prophetæ ad nos transierint, mutasse quædam in Codicibus suis, ut nostris minueretur authoritas. Paria adversus Judæos Athanasius. Excæcavit, inquit, Satanas Judæorum oculos, ut talia testimonia falsa scriptione vitiarent. Denique Chrysostomi (*Hom. 9. in Matth.*) testimonium alibi exscripsimus asserentis, Scripturas plures desidia, & impietate Judæorum periisse. Quidni ergo & eas, quæ extant, corruperint, ac vitiaverint? Idem alibi inculcat idem Chrysostomus.

7. Ex his autem Patribus Justinus de Codicibus Hebraicis ne verbum quidem. De Editione Græca Septuaginta Interpretum solum ibi loquutus, multa, inquit, sustulerunt ex editionem Septuaginta Seniorum. Tertulliani porro testimonium quid adversæ sententiæ conferat, non video. Non enim ibi legendum *resectas*, ut apud Natalem, sed *rejectas*. Tales autem, ait, apud Hebræos Scripturas de Christo, non quod eas in suis Codicibus non habeant, sed quod de Christo loquutas non credant, nec ejus vitæ mysteria in eis velint agnoscere. Jam vero Origenes in allegato textu de Septuaginta Senioribus, & eorum Græca interpretatione loquitur, ut legenti patet. Quum autem ait, libros integros ab Judæis fuisse suppressos, non loquitur de iis, quos in Canone habebant, sed de aliis, ut de Scriptura Enoch, quam nominatim citat. Eusebius in primo loco non assertive loquitur, sed sub dubio rem totam relinquit; in secundo autem, quum ex Justino loquatur, eodem atque ille sensu intelligendus est. Augustinus non ex sua, sed ex aliorum sententia loquitur, quam sibi

non

Digitized by Google

non omnino probari satis aperte innuit, quum subdit: Hanc opinionem, vel suspicionem accipiat quisque, ut putaverit. Quid profecto ipse sentiret, satis aperte declaravit in locis supra a nobis allegatis. Athanasius non de falsa textus scriptione, sed de falsis Judæorum Rabbinorum expositionibus, atque interpretationibus exponi potest, ut ipse Mariana fatetur. Chrysostomus, inquit Bellarminius, de Interpretibus Achila, Symmacho, & Theodotione loquitur; vel si de Judæorum gente in universum loquutus fuit, id solum probat, ad quod ejus verba supra attulimus, (*l. 2. prop. 27.*) nimirum plures libros, ut doceremur, ipsorum vel malignitate, vel desidia periisse. Sacros autem, & Canonicos libros ab eis fuisse corruptos, nusquam quod meminerim, asseruit Chrysostomus. Quod si aut ille, aut Patrum quisquam asseruerit, erit ei reliquorum Patrum præferenda authoritas. Origenis præsertim, & Hieronymi Hebraicæ, & Chaldaicæ linguæ peritissimorum, & qui in divinorum studio librorum ætatem omnem consumpserunt. Nec diffitebimur tamen, Hieronymum, quamvis eos, qui corruptas post adventum Domini Scripturas dicunt, rideat cum Origene, tamen nonnullis in locis contrarium asserere visum fuisse, ut quum ait: (*Epist. ad Marcellam*) Editionem Achilæ cum editionibus Hebræorum confero, ne quid forsitan in odium Christi Synagoga mutaverit. Et alibi: (*Epist. ad S. August. 89.*) Se voluisse ea, quæ a Judæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium. Ex quibus locis nullius certe sententiæ fuisse Hieronymum infert Mariana. (*Dissert. de edit. Vulgata c. 8.*) Sed fallitur. In primo enim loco suspicionem illam suam vanam fuisse, ipse Hieronymus innuit, quum subdit: Verum ut amicæ menti fatear, quæ ad fidem nostram pertineant roborandam, plura reperio. In secundo autem testimonio nomine intelligit Septuaginta Seniores Achilam, Symmachum, & alios, ut legenti patet. Subdit enim: Ut scirent nostri, quid Hebraica veritas contineat. Quî autem posset Græcis Versionibus Hebraicam veritatem opponere, quod facit sæpissime, si Hebraicum textum ab Judæis ipsis vitiatum, & corruptum putaret?

8. Opponunt secundo loca plura, quæ in Hebraicis Codicibus habentur corrupta, ut in Genesi; (*cap. 49.*) שילה Schilo pro שליח mittendus. In psalmis: (*18, & 21.*) קים regula, pro קולם sonus, & כארו sicut leo pro כרו foderunt. Item apud Isaiam: (*cap. 9. & 53.*) יקרא vocabit pro יקרא vocabitur, & לו ei pro למו eis. Apud Zachariam (*cap. 9.*) נושע salvatus pro מושיע salvans. Similiter in psalmo 95. vox illa *a ligno* ab iis sublata dicitur. In Genesi, (*cap. 8.*) ubi Vulgata legit: *Egrediebatur, & non revertebatur*, in Hebræo habetur: *Egrediebatur, & revertebatur*. Deest item negatio in

in illo Michææ : (*cap. 5.*) *Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es* &c. (*Matth. c. 2.*) Denique in Hebraicis Codicibus deest in psalmo 113. versus integer; *Fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Et in psalmo 36. alius item versus: *Injusti punientur, & semen impiorum peribit*. Tres item versus desiderantur in psalmo 13., de quibus supra dictum est. (*l. 2. prop. 11.*)

9. Hæc vero omnia non corruptionem aliquam de industria factam probant. Quid enim erat, cur illos, psalmorum verbi gratia, versus supprimerent, quum centies in aliis, & in omnibus sacris libris eadem reperiatur sententia, atque iisdem fere verbis expressa? Solum ergo inde efficitur humanus Exscriptorum lapsus, oscitantia, aut inscitia. Nam quis profecto non experitur, etiam quum non aliena, sed propria conscribit, qua facilitate aut litteram pro littera, aut etiam non semel dictione pro dictione scribat, verbulum, aut negationem prætermittat? &c. Quod maxime in lingua Hebraica contingere posse supra adnotavimus, (*l. 2. prop. 9.*) quum quod sine vocalibus scriberetur antiquitus, tum quod plures in ea inveniantur characteres non satis dissimiles, adeo ut facillimum sit unum pro alio accipere, aut non satis bene figuratos, & distinctos confundere: quod in primis quinque ex allegatis locis pene ad oculum patet. Adde, quod in primo testimonio vox Schilo a voce Schelo, quam habent Septuaginta, fere nihil distare inveniatur. In secundo: quid Judæos ad eam mutationem movere poterat, quum alia clariora testimonia de Apostolorum prædicatione non corruperint, & quum simile argumentum in eos fiat, sive sonus, sive Canon, Lex, Regula, aut Structura accipiatur? In loco psalmi 21. major esse posset ratio dubitandi de mala fide Hebræorum: nulla tamen est observanti Masorethas ipsos longe post Christi mortem lectionem Evangelio magis consonam retinuisse adnotantes, legendum כארו *foderunt* ex quo manifeste cernitur errore Scribarum illam aliam lectionem irrepsisse.

In loco Isaiæ jam dudum adnotarunt aliqui cum Bonfrerio, verbum illud haud semel legi apud Sacros Authores in activa voce cum significatione passiva. Locus porro alter ejusdem Prophetæ eamdem ambiguitatem retinet in Latina Vulgata: Propter scelus populi mei percussi eum. (*Isa. c. 53.*) Ubi *το eum* nescires, an ad ipsum populum, an ad Messiam referendum esset, nisi ipse doceret contextus, ad Messiam referri debere. Mutatio profecto in verbis Zachariæ ex initialis litteræ variatione derivatur. Quid est autem, quod eo in loco Messiam, promissum *Salvantem*, aut *Salvatorem* vocare nollent Judæi, quum & ipsi Salvatorem crederent futurum, credant-

que

Digitized by Google

que, & in aliis innumeris Scripturæ locis illud nomen retinuerint? Ad illud psalmi 95. dico, voculam illam *a ligno* in Hebraicis Codicibus nunquam extitisse. Siquidem Hieronymus in sua Versione Psalmorum ex Græca τῶν Septuaginta eam vocem habet; at in ea, quam ex Hebræo adornavit, quamque obeliscis, & asteriscis distinxit, illam non habet. Jam vero quænam potuit esse Judæis causa, ut locum illum Genesis de Corvi egressu, & regressu de industria corruperint? Quidnam inde efficitur ad depressionem Synagogæ, aut Evangelii laudem? Tamen ne mendum quidem ibi agnoscendum esse recte notat Bellarminius. (*lib. 2. c. 2.*) Non enim est in Hebræo: *Egrediebatur, & revertebatur*, sed *exibat eundo, & redeundo*, nimirum innuitur, vago volatu corvum errasse circa tectum arcæ, non ita tamen, ut in eam rursus ingrederetur. Similiter in textu Michææ sensus idem, sive dicatur: *Minima es in urbibus Juda, ex te autem exiet dux* &c., sive dicatur: *Nequaquam*. Et quidem, si Judæi in odium Christianæ Religionis Scripturas vitiassent, cur ea verba mutarunt, in quibus de Christo nihil, non autem sequentia: *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*, ubi Nativitas Redemptoris nostri in Bethlehem Judæ adeo diserte exprimebatur? Denique versus illi, qui in Psalmis Hebraicis desiderantur, non corruptionem aliquam malitiose factam probant, uti jam diximus, sed oscitantiam Exscriptorum, & secundam Propositionis nostræ partem, in qua propterea stabilienda non amplius immorabimur. Patet enim ex allatis exemplis, fluere quandoque lutulentum fontem illum, quem nobis Heterodoxi tanquam purissimum exhibere volunt, & inveniri errata nonnulla in Hebraicis Codicibus, quæ partim negligentia librariorum, partim irrepserint ignorantia Rabbinorum, qui puncta addiderunt vocalia. Quum enim, ait Bellarminius, possint Hebraicæ dictiones diversimode legi, si punctis careant, non mirum est, si aliquando ipsi etiam in notatione punctorum aberraverint. Nec inficiabimur, fieri etiam potuisse, ut ex pravo affectu, & odio in Christum, ea lectio interdum ipsis probata sit, quæ minus Christianis favebat. Non tamen ejus momenti sunt ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem rectam, & bonos mores spectant, textus integritas desideretur. Qui vero ex punctorum annotatione proveniunt, minus obstant, quum textum non mutent, & liberum cuique sit, punctis illis contemptis, aliter legere.

10. Quod porro attinet ad librum Hebraicum, cui titulus תקון סופרים sive *Correctio Scribarum*, si ejus opponatur testimonium, dicendum, vel nullam fuisse talem correctionem, quæ solum habetur ex Thalmude, libro fabularum, & ineptiarum pleno, & cu-

Digitized by Google

cujus nunquam meminerunt Origenes, Hieronymus, Epiphanius, aliique ex antiquis Patribus: vel si talis unquam fuit Correctio, eam non corruptionem, sed purgationem, & emendationem Scripturarum dicendam. Certe in Vulgata nostra ita leguntur, ut Scribæ dicuntur correxisse. Ex quo apparet, inquit citatus Bellarminius, imprudenter quosdam, dum se Judæos oppugnare credunt, Ecclesiam ipsam oppugnare, & Vulgatæ Editionis authoritatem, quam statuere nituntur, convellere.

11. Idem quod de Hebraicis Codicibus, dicendum videtur de Pentateucho Samaritano. Non enim Versio, sed originarius textus existimandus est, & quidem omnibus Hebraicis Codicibus antiquior. Siquidem, ut supra ex Hieronymo diximus, quum de Esdra ageremus, Samaritani antiquos Hebræorum caracteres conservarunt, quos Judæi post Babylonicam Captivitatem mutaverunt in Chaldæos, quibus nunc utuntur. Samaritanum porro Pentateuchum ab Harlæo Sancio ex Oriente adductum publici juris fecit Joannes Morinus anno 1631. An vero hic idem sit cum eo, cujus Eusebius, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, aliique ex antiquis Scriptoribus meminerunt, lis est inter Recentiores Criticos. Eumdem esse verosimilius videtur ex omnimoda fere convenientia. Nec enim fieri potuit, ut per tot sæcula, totque exscriptiones nulla, vel levissima diversitas irrepserit. Hujus autem Pentateuchi duplex habetur editio, altera Arabici caracteribus, altera Syriacis. Vide de his supra laudatum Morinum, Capellumque, ac Waltonum.

PROPOSITIO II.

Versiones Orientales ab Theologo non magni æstimandæ.

1. VErsionum Orientalium nomine intelligimus 1. Paraphrasim Chaldaicam. 2. Versionem Syriacam. 3. Ægyptiacam. 4. Æthiopicam. 5. Arabicam. 6. Persicam. 7. Armenicam: de quibus seorsim dicemus. Et primum quidem, quum dicimus Paraphrasim, sive interpretationem Chaldaicam, non de iis libris loquimur, qui ex toto, aut ex parte Chaldaice primum scripti sunt ab Sacris Authoribus, ut Tobias, & Judith, partesque Danielis, & Esdræ. In iis enim textus Chaldaicus originarius est. Loquimur ergo de Targumin, sive interpretationibus, aut Versionibus (si proprie Versiones dici possunt), quas Chaldaicas Paraphrases appellamus. Quum enim Judæi Captivitatis tempore linguam Hebraicam fere obliti essent, factum est; inquit Rabbi Maimonides, ut ab diebus Esdræ interpretes habere consueverint, qui ea, quæ Lectores Hebraice legerent,

Digitized by Google

rent, Chaldaice interpretarentur. Hæc origo Targumin, seu Paraphrasium Chaldaicarum, quæ triplicis generis feruntur juxta triplicem sanctorum divisionem tritam apud Judæos in Legem, Prophetas, & Hagiographa. Primam in quinque Moysis libros adornavit R. Onchelos: quæ propterea Targum Onchelos vulgo dicitur, quem nonnulli cum Achila Pontico confundunt, unius ex Græcis Versionibus Authore; sed enim diversum esse, verosimilius est. Hunc namque Hebræi Hillelis discipulum fuisse, tradunt, qui quadraginta annos ante Hierosolymitanum excidium, & consequenter circiter Christi tempora floruit, at Achila toto sæculo recentior est Christo.

2. Targum, seu Paraphrasim in Prophetas, dicitur, scripsisse R. Jonathan Ben-Uziel, ipsi Onkeloso pœnè coævus; in Hagiographa vero R. Joseph Cœcus, qui juxta Sixti Senensis opinionem prope annum Christi quadringentesimum vixit: sed adhuc recentiorem esse, mox apparebit. Hæ porro Versiones, aut Paraphrases tantæ sunt apud Hebræos authoritatis, ut ipsimet Hebraico textui eas æquiparare, non dubitent. Apud Christianos non æquali omnes pretio æstimantur. Targum quidem Onchelos reliquis omnibus jure anteponitur; est enim purior, & sincerior ejus expositio. Non tamen omnino integram, atque incorruptam censendam esse, ait Bellarminus, (*lib. 2.*) qui ex quinque Moysis libris loca singula male ibi exposita, aut corrupta exhibet in Tractatu toties citato de Verbo Dei scripto. Targum Jonathæ in Prophetas minoris longe authoritatis est: Nonnullæ enim ibi inveniuntur fabulæ, detortaque in alium sensum loca de Christo apertissima, ut in Isaia caput 53. Circumfertur etiam Jonathæ nomine Paraphrasis in Pentateuchum alia. Sed hanc supposititiam esse, & Jonatha longe recentiorem, patet; in ea enim Thalmudicorum librorum, & Constantinopolis fit mentio, quæ Jonathæ ætate non exstabant. Targum denique, sive interpretatio in Hagiographa, quæ tribuitur R. Joseph Cæco, adhuc posterioris ætatis esse videtur, quam Sixto Senensi visa est; meminit enim Turcarum, & Mahometanorum: librum Thalmud passim laudat: quæ omnia ante sextum Ecclesiæ sæculum scribi non potuerunt. At hæc innumeris scatet fabulis de lamentatione Dei, aliisque ejusmodi Judæorum deliramentis. Natalis Alexander (*dis. 11. sæc. 21.*) Morinum (*lib. 2. Exerc. 8.*) sequutus, omnes eas Paraphrases ad sextum Christi sæculum rejicit. Ipsorum tamen argumenta non satis esse videntur ad earum omnium novitatem suadendam. Tria enim prima ad unum reduci possunt, silentium nimirum veterum Patrum, Origenis, Hieronymi, Epiphanii. Alia autem reliqua solum vim habent in Paraphasim R. Joseph, vel in supposititiam Jonathæ, non in Targum Onchelosi, aut Jonathæ. Quî autem Origenem, aut Hieronymum la-

Digitized by Google

latere potuerit, ideo accidit, quod ante inventionem artis Typographicæ, inquit Elias Levita, non exstabat Targum Prophetarum, & Hagiographorum nisi vel unum in tota quadam Provincia. Propterea neque quisquam erat, qui illud curaret. Hæc ille. Potius autem crediderim, ut Lamius suspicatur, Hebræos dedita opera ex pravo in Christianos affectu, eas Expositiones ab Origene, aut Hieronymo, aliisque nostrorum occultavisse, quod scirent, ex illis posse non pauca, neque imbellia contra ipsos tela torqueri. Plurima enim in illis occurrunt, quæ rem Christianam apertissime confirmant. Idcirco, inquit, merito a viris doctis pluris finnt. Antiquissimas autem esse, & eorum Authorum, quorum nomina præferunt, inde probat idem Lamius, quod credendum non sit, Hebræos neglexisse Paraphrases Chaldaicas eo tempore, quo Chaldaica lingua illis vernacula, & familiaris erat, easque postmodum compilasse, tantoque in pretio habuisse, quum jam Chaldaicam linguam fere illi omnes ignorabant. Adde, quod Christianam fidem egregie confirmant, & fortissima contra Judæos argumenta suppeditant: ex quo patet, elaboratas fuisse ante Christi adventum, nec enim postea tale aliquid scripsissent Judæi. Deerant Paraphrases Chaldaicæ in libros Paralipomenon, Esdræ, & Danielis. Et quidem in Paralipomena prodiit Augustæ-Vindelicorum Targum incerti Authoris anno 1680. opera Matthiæ Friderici Bekii, quod an recens, an antiquum sit, alii judicent, quibus ejus legendi, ac discutiendi copia fuerit.

3. Ex Hebraicæ porro, & Chaldaicæ linguæ mixtione Captivitatis Babylonicæ tempore Syriaca, aut Syro-Chaldaica lingua prodiit, qua Judæi post Captivitatem usi sunt. Hæc propterea in Evangeliis Hebraica lingua appellari solet, ut quum dicitur: *Hebraice autem Golgotha:* quam vocem, & alias omnes, quæ quum Syriacæ sint, Hebraicæ appellantur, diligenter adnotavit Hieronymus. Syrorum profecto nonnulli in ea fuerunt opinione, ut crederent, libros omnes ante Salomonem conscriptos ipsius Salomonis tempore ad preces Hirami Regis Tyri in Syriacam linguam fuisse translatos; reliquos autem post Salomonem, tempore Abgari Regis Syriæ, qui Christo Domino coævus fuit, ut scribit Eusebius. Verum hæc Viri docti ad fabulas rejiciunt. Illud videtur certum, a primis Ecclesiæ seculis Versionem Syriacam extitisse. Id enim præter ipsius Ecclesiæ traditionem, Basilius, Theodoretus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus testantur, probantque satis Biblia Syriaca manuscripta ante annos mille, quæ in Medicæa Bibliotheca asservantur, quibus alia ejusdem fere antiquitatis addit, & se vidisse, asserit Masius. Duplex autem Versio Syriaca distinguitur. Alia ex Hebræo, quam solam Syri Orientales recipiunt. Alia ex Græco τῶν 70., atque utraque utuntur Syri

Digitized by Google

ri Occidentales. Hanc secundam Marabæ cuidam tribuit Ebed Jesu: primæ author omnino incertus est. Fuisse Christianum aliquem inde colligitur, quod relictis Hebraici textus Psalmorum titulis, alios substituerit ad Christianam Religionem spectantes. Utrum vero aliqui divinorum librorum Syriaca lingua primum scripti, ac vulgati fuerint, dubitari solet: quod de libro Ecclesiastici, & primo Machabæorum fortasse dici posse, inquit Bellarminius. Hi enim Græce nunc solum extant: Hieronymus autem (*in Prolog. Galeato*) utriusque Hebraicum exemplar se vidisse, testatur. Quum vero tempore, quo hi libri prodierunt, vulgaris lingua Hebræorum esset Syriaca, credere par est, utrumque Syriaca lingua scriptum fuisse.

4. Jam vero Ægyptiacæ Versionis tempus, authorque omnino ignota sunt. Illud certum habetur, ante Joannis Chrysostomi ætatem (*homil. 1. in Joan.*) habuisse Ægyptios Versionem suam, quam circa tempora Concilii Nicæni elaboratam fuisse, putat Kinkenius, (*in Prodrom. Coptico.*) qui etiam ejus partem, nimirum Pentateuchum, & libros alios nonnullos in Vaticana Bibliotheca, ait, asservari. Vocatur quoque hæc Versio Cophtica, sicut & lingua, qua in sacris utuntur Ægyptii Christiani ab Urbe Thebaidis Metropoli. Quidquid autem Cophticæ hujus linguæ restat, Græcis vocibus refertum esse, nec alios præter Græcos habere caracteres nonnihil immutatos, asserit Richardus Simon. (*lib. 2. cap. 16.*) Hujus Versionis exemplaria pene omnia interierunt partim Arabum dominatione, unde Versio Arabica prodiit, de qua mox agetur, partim irruptione Turcarum in Ægyptum, & Christianæ Religionis jactura, cujus nunc vix extant reliquiæ in Jacobitis, de quibus alibi.

5. Æthiopum ad Christum conversionem, & huic annexam Sanctarum Scripturarum Versionem diversi ad diversa referunt tempora. Waltonus (*Prol. 15. in Bibl. polyg.*) ab ipsius Ecclesiæ nascentis exordiis ibi promulgatum Evangelium putat, sive per Matthæum, sive per Bartholomæum, aut Matthiam, sive (ut alii non incongrue putant) per Eunuchum illum Reginæ Candacis, quem baptizavit Philippus, de quo in Actis Apostolorum. (*cap. 8.*) Alii cum Ludolpho (*lib. 1. Hist. c. 8.*) primum ejus gentis Apostolum existimant, fuisse Frumentium Meropis filium, qui Athanasium adiit, ab eoque Æthiopiæ Episcopus est consecratus. Josephus Scaligerus (*de emendat. temp. l. 7.*) usque ad Justiniani tempora Æthiopum conversionem differt. Hæc tamen opinio communi consensu rejicitur. Inter primas duas illa, Waltoni videtur probabilior, juxta quam Æthiopica Versio satis antiqua sit, necesse est.

6. Arabica Versio exorta est eo tempore, quo ab Saracenis Oriente domito, lingua Arabica vulgaris illarum Nationum devictarum es-

se cœpit. Comparuisse prima fertur circa annum Christi nongentesimum Authore, ut dicitur R. Saadia, sumptaque ex Hebræo. Paraphrasium Chaldaicarum, Onchelosi præsertim, nonnihil permixtum habet Hebraico textui. Ipsum autem textum non ex Hebraico fonte hausisse videtur immediate, sed ex Syriaca Versione, idque non satis accurate, ac sincere translatum. Quapropter nullius fere authoritatis esse censetur. Reliquæ Arabicæ Versiones longe recentiores sunt, factæque ex Græca τῶν 70. ab Christianis Authoribus.

7. Persas quoque libros sacros suo idiomate descriptos habuisse, Chrysostomus testatur. Et quidem, quamvis totius gentis, aut Regis alicujus conversio ad Christum nusquam habeatur, floruisse tamen in Persia multis retro sæculis Chatolicam fidem, satis patet ex Historia Sozomeni Ecclesiastica, atque aliis Authoribus. Quemdam etiam Persam Episcopum Nicænæ Synodo interfuisse, scribit Eusebius. An aliquid antiquæ Versionis Persicæ supersit, dubitant Eruditi. Certè, quæ circumferuntur vulgo Pentateuchi, Psalmorum, & Evangeliorum, recentiores esse, omnes conveniunt, ut late disserit citatus Waltonus.

8. Armenica Versio satis antiqua est, Joannis Chrysostomi ætate adornata Authoribus Mose Grammatico, & Davide Philosopho, qui quum ob Græcæ linguæ peritiam commendentur, probabilius est, e Græco τῶν 70., quam ex Hebræo transtulisse. Armeni ipsi Mesropem quemdam Eremitam Authorem faciunt, quod is propter Euphratem in Urbe Bala prædictam Versionem invenerit: cujus editionem elapso sæculo Amstelodami procuravit Uscamus Dyuschutanus Episcopus jussu Jacobi Corostæi Armenorum Patriarchæ, qui cum Bibliis universis alia selecta scripta in usum gentis suæ fecit excudi.

PROPOSITIO III.

Versio Septuaginta Interpretum an prima fuerit, incertum est.

1. QUamquam enim merito rejiciatur, ut supra diximus, opinio dicentium, primam Versionem Syriacam Salomonis tempore fuisse adornatam, nec ex iis, quas habemus, ulla sit antiquior, nam Targum Onchelosi, Jonathæ, & Josephi, non versiones, sed expositiones, & paraphrases sunt Hebraici textus; tamen, ut eam primam fuisse asseramus, satis firma ratio non suppetit. Et quidem R. Azarias scribit, (*lib. Imtebin. c. 5.*) secundi templi tempore duplicem fuisse Legis Codicem; alium Hebraicum apud Sacerdotes, alium Chaldaicum apud populum, atque ex hoc secundo Septuaginta Seniores Versionem suam adornavisse. Nec adeo singularis hæc opi-

Digitized by Google

opinio est, ut non Philonem authorem habeat, & libros Thalmudicos. At Versio τῶν 70. ex Chaldaicis illis, quas habemus, Paraphrasibus, desumpta non est, ut legenti patet: ergo præter Paraphrases erat aliqua Chaldaica Versio, atque adeo illa Septuaginta Seniorum prima non fuit. Porro, quum Captivitatis tempore in Chaldæa nati Hebraicæ linguæ fere ignari essent, haud mirum videri debet, si Chaldaicam Versionem sibi procuraverint. Confirmari etiam id potest. Nam post reditum in Judæam, Esdra librum Legis legente, universus populus flebat: (*cap. 8.*) intelligebant ergo, quæ legebantur; sed non universus populus intellexisset, si Hebraice legisset, siquidem, ut Legem populus intelligeret, Paraphrases Chaldaicas, & Syriacas tunc fieri cœpisse, omnes fatentur: ergo libri alia jam lingua præter Hebraicam legebantur. At, inquit Gottius, (*trac. 3. cap. 2.*) hujus Chaldaicæ Versionis nullus meminit, & Paraphrasis antiquior est illa Onchelosi, qui tamen paucis annis Christum præcessit. Respondeo: Nullus meminit; sed ratio ipsa nos cogit, ut credamus, quum tu ipse R. Maimonidem sequutus fatearis, ab Esdræ tempore consuevisse Judæos habere Interpretes, quod linguam Hebraicam vel obliti essent, vel nunquam satis calluissent. Targum quidem Onchelosi est omnium, quæ exstant, antiquissimum: fateor; at primum illud fuisse; unde deducitur, quum jam ab Esdræ tempore interpretes fuerint, & quæ populo exponebant, scribere potuerint, immo scripsisse probabilius sit.

2. Sunt etiam, qui existiment, Syriacam aliquam Versionem fuisse ante eam Seniorum Septuaginta: quam tenuit sententiam R. Gedaja, favetque Gabriel Sionita, dum saltem Christo, & Apostolis antiquiorem aliquam Syriacam Versionem agnoscit, ex qua, inquit, Paulus ad Ephesios citat testimonium, quod nusquam, nisi in Syriaca Versione legitur, quale ibi allegatum est.

3. Majori autem fundamento dubitari potest, utrum ante Septuaginta aliqua alia Scripturarum Græca Versio fuerit. Ait enim Aristobolus apud Clementem Alexandrinum: (*1. Strom.*) Ante Demetrium (qui τῶν 70. procuravit Versionem) priusquam rerum potiretur Alexander . . . versa fuerant & quæ ab Hebræis gesta sunt in exitu ex Ægypto, & quæcumque eis insignia contigerant, & apparuerant, & regionis per vim quæsita possessio. Quæ eadem ex Clemente scribit Eusebius. (*de Præp. Ev. c. 6.*) Apud hunc quoque Demetrius ipse Phalereus inquit: (*lib. 8. c. 3.*) Extare quidem (librorum scilicet Hebræorum) sed negligenter, atque, ut a peritis audierat, perperam expressam significationem. Quid quod eadem ex Clemente scribit Eusebius? Apud quem (*de Præp. Evang. c. 5.*) etiam Aristææ ipsius habetur testimonium, qui Demetrium ipsum ita Ptolomæo Re-

Digitized by Google

gi loquentem inducit, se de Theopompo quodam audivisse, quod ex Lege nonnulla Græcè jam reddita, audàciori quodam orationis genere vulgare statuisset, mentis perturbatione dies amplius triginta laborasse. Item: Theodectem quemdam tragædum, quum conaretur aliqua ex iis, quæ in divinis libris continentur, in fabulæ argumentum detorquere, oculorum usu divinitus fuisse orbatum. Confirmare eamdem conjecturam nititur Daniel Huetius in sua Demonstratione Evangelica, (*p. 4. c. 12.*) eo quod vulgo dicitur, Platonem ex libris Hebræorum plura habuisse, unde effatum illud Numenii apud citatum Clementem: Platonem aliud non esse quam Moysem Atticè loquentem. Verum hæc argumentatio valde infirma est. Omnia tamen prædicta satis evincunt veritatem assertionis propositæ, nimirum dubium esse, an prima fuerit illa Septuaginta Seniorum interpretatio? Et primam non fuisse satis videtur probabilius: quod ex prælaudato Clementis testimonio apertissimè supponit Bellarminius. (*l. 2. de V. D. c. 6.*)

4. Nec magis constat, quo præcisè tempore Versionem suam Septuaginta illi Seniores adornaverint. Irenæus enim, Clemens Alexandrinus, Anatolius, Theodoretus, sub Ptolomæo Lagi filio id accidisse referunt: ad Philadelphi autem Ptolomæi tempora major pars inclinat Veterum Scriptorum, Aristobulus, Josephus, Tertullianus, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Philo, Aristæas, aliique plures, quos sequuntur Recentiores communiter. Utramque sententiam in concordiam adducere tentavit Natalis Alexander, (*dis. 8. Vet. Testam.*) atque ex eo Gottus, (*tom. 3. c. 6.*) ajentes, Versionem illam adornatam fuisse extremis Ptolomæi Lagidæ temporibus, & Philadelphi simul cum Patre regnantis initiis. Sed, quum ii Authores ex Hermippo asserant, Philadelphum biennio solum cum patre regnasse, eorum sententia videtur stare non posse. Scribit enim Epiphanius, (*De mensu. & ponder.*) anno Ptolomæi Philadelphi decimosexto eam translationem esse factam: a quo tempore usque ad adventum Domini annos fluxisse, inquit, ducentos nonaginta & unum. Opus ergo erat, ut annos ad minimum undeviginti ei translationi elaborandæ impendissent. Cur autem Ptolomæi Philadelphi ætate facta non credatur, ideo est, quia, ut omnes conveniunt, ejus Versionis primus author, & suasor fuit Demetrius Phalereus; at hic magna quidem in gratia fuit apud Ptolomæum Lagidem, invisus vero Philadelpho, a quo, ut alii scribunt, in carcerem detrusus est, vel ut àliis placet, in exilium amandatus, quod Patri ejus suasisset, ut prætermisso Philadelpho Berenicis filio, filios Euridicis successores regni destinaret, ut ex Laertio in Notis Eusebianis observavit Scaligerus. (*ad ann. 1730.*)

In

Digitized by Google

In hoc autem contra tot Patrum testimonia fidem Laertio non habendam contendit Waltonus. (*prol. 9.*) Forte etiam dici posset, Philadelphum non ab regni sui exordio illud Demetrii consilium agnovisse, quum privatum fuerit, nec ab Ptolomæo ipso Lagide divulgatum, cui Demetrius erat charissimus. Fieri quoque potuit, ut Philadelphus in parentis gratiam injuriam suam dissimulasset, donec nova aliqua occasione aut oblata, aut quæsita, Demetrium jam pridem sibi invisum ab aula submovit. Illud est certissimum, multis ante adventum Christi Redemptoris annis divino consilio factam fuisse, ne post ejus adventum Judæi aut Sacros Libros occultarent, aut mutilos, corruptosve vulgarent, neve in suspicionem vocari possent translatores, uti rectè adnotavit Eusebius (*Præp. Ev. l. 8. c. 1.*)

PROPOSITIO IV.

Utrum Septuaginta totum Scripturarum Canonem, an solum Pentateuchum verterint, incertum est.

1. NAm primo quidem Justinus (*cohort. ad Græcos, & Apolog. 2.*) non solius legis, sed & Prophetarum scripta Græcis litteris esse reddita ab Interpretibus Septuaginta diserte testatur. Irenæus (*lib. 3. adver. hæres. c. 25.*) scribit, rogatos Judæos ab Ptolomæo Rege, ut, quas haberent, Scripturas ad se mitterent. Clemens Alexandrinus: (*lib. 1. Strom.*) Versas fuisse Scripturas Legis, & Prophetarum, inquit, ex Hebræo sermone in Græcam linguam tempore Ptolomæi Lagi filii, sive, ut alii dicunt, tempore ejus, qui Philadelphus dictus est. Cyrillus Hierosolimitanus (*Chat. 4.*) Sacras Scripturas, nempe viginti duos libros Veteris Testamenti ab Septuaginta duobus Interpretibus translatos fuisse, totidem verbis commemorat. Hilarius, (*Comment. in Pſ. 2.*) poscente Ptolomæo Seniores Septuaginta libros Veteris Testamenti ex Hebræis litteris in Græcas transtulisse inquit. Epiphanius porro: (*de ponder. & mens.*) Ita ait, septem & viginti Veteris Testamenti libri, qui ad duos & viginti pro litterarum Hebraicarum numero rediguntur, Græcum in sermonem conversi sunt. Chrysostomus (*Hom. 4. in Gen.*) omnes divinos Testamenti Veteris libros Ptolomæi Regis opera translatos esse, singulari Dei providentiæ adscribit. Citari solent pro hac etiam sententia Eusebius, & Augustinus, sed cum hi generatim Scripturas, & Vetus Testamentum conversum esse scripserint, neutri opinioni aperte favisse videntur.

2. Contra vero Aristæas, a quo tanquam a primo fonte totam hanc historiam hausisse videntur omnes Veteres, Aristæas, (*in lib. de 72. interpr.*) in quam, Josephus, (*lib. 12. antiq. c. 2.*) & Philo, (*Lib. 2. de vita Moysis*)

Digitized by Google

quos hujus rei instructissimos fuisse oportuit, solam Legem, id est, Moysis Pentateuchum, ab Senioribus illis translatam fuisse significant. Dices profecto cum Bellarminio, (*lib. 2. de verb. Dei. cap. 6.*) quem Natalis, (*dis. 8. vet. Test.*) Gottus, (*tract. 3. de auth. libr. cap. 4.*) & plerique Recentiorum sequuntur, legis nomine totum Veteris Testamenti Canonem comprehendi. Sic Christus Dominus in lege, inquit, scriptum est, quod habetur in Psalmo 81. Et Paulus in prima ad Corinthios, in lege scriptum est, ait, quod legitur apud Isaiam; atque hujus generis alia. Est quidem responsio hæc satis probabilis; a mente tamen eorum Authorum aliena videtur, siquidem Hieronymus rerum Hebraicarum peritissimus: (*In proœm. quæst. Heb. in Gen.*) Ad hoc accedit, ait, quod Josephus, qui Septuaginta Interpretum proposuit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysis translatos refert, quos nos quoque confitemur, addit, plus quam cæteros cum Hebraicis consentire. Alibi item: (*cap. 5. Ezechiel.*) Aristæas, inquit, Josephus, & omnis schola Judæorum quinque tantum libros Moysis ab Septuaginta translatos asserunt. Quando igitur aliis in locis Hieronymus Psalmorum, librorum Salomonis, & Prophetarum Græcam τῶν Septuaginta translationem laudat, citatve, non ex propria, sed ex vulgari aliorum opinione loqui credendus, eoque sub dubio, quod explicuit in Commentario ad Cap. Secundum Michææ, ubi ita scribit: Interpretatio Septuaginta (si tamen illorum est, Josephus enim scribit, & Hebræi, quinque tantum libros Moysi ab eis fuisse translatos, & Ptolomæo Regi traditos) tantum discordat τῶν. Hanc sententiam sequutus est Mariana in Opusculo de Vulgata Editione, (*cap. 14.*) quod habes in Appendice Secunda ad præloquia Bonfrerii inter Opera Menochii. Tenuit eamdem Calmetus singulari Dissertatione de Versione τῶν 70., & omnibus inspectis verosimilior videtur. Patres enim pro contraria parte allegati, quum ex Aristæa, & Josepho totam hanc historiam desumpserint, eadem dixisse credendi sunt, nisi quod Legis nomine totum Veterem Canonem intellexerunt. Quia tamen Hieronymus ipse non asserendo, sed dubitando, & tanquam ex aliorum sententia loquutus videtur, neutrum affirmare tutius arbitramur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

Historiam universam translationis Septuaginta Interpretum, ut fabulosam respuere, æquum non est.

1. SUadetur propositio: Æquum non est ut fabulam rejicere traditionem antiquissimam, & omnium fere Patrum ac Veterum Scriptorum testimoniis firmatam, sed talis est, saltem quod ad rei substantiam attinet, narratio prædictæ translationis: ergo. Minorem probant 1. Justinus, cujus hæc sunt verba in Exhortatione ad Græcos: Hæc vobis, Viri Græci, non ut fabulam, neque ut confictam historiam renuntiamus, sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum apud Pharum viderimus adhuc reliqua, & ab incolis, qui res patrias a majoribus per manus traditas acceperunt, audierimus. Quæ ex aliis quoque intelligere potestis, & potissimum ex iis, qui hæc scriptis suis inseruerunt, Sapientibus, & spectatu dignis Philone, Josepho & aliis pluribus. 2. Irenæus in 25. capite libri tertii adversus Hæreses, qui eam narrationem Esdræ exemplo confirmat, quem afflatu suo Deus impulerit, ut omnes Veterum Prophetarum Codices denuo, inquit, componeret, legemque ministerio Moysis latam populo restitueret. 3. Tertullianus, qui Romanos alloquens in sua Apologia cap. 18.: Affirmavit, inquit, hæc vobis etiam Aristæas. Hodieque apud Serapeum Ptolomæi Bibliothecæ cum ipsis Hebraicis litteris exhibentur. 4. Clemens Alexandrinus, qui in primo Stromatum id opus singulari Dei tribuit voluntati, quæ id ad Græcorum aures consulto comparaverat. 5. Eusebius, qui in Præparationis Evangelicæ lib. 8. cap. 1., Deum, inquit, singulari egisse providentia, ut quæ de venturo paulo post humani generis Salvatore, eodemque sanctioris Religionis Gentibus Doctore futuro, prædicta jam erant, ea demum accurata explicatione patefacta, & pubblicis in Bibliothecis collocata cunctorum in notitiam venirent, immissa hac Ptolomæo mente divinitus. 6. Joannes Chrysostomus, qui Homilia in Genesim quarta divinæ dispensationis opus hoc fuisse asserit, ut non solum Hebraicæ linguæ periti, sed & omnes, qui totum Orbem inhabitant, ex eis utilitatem perciperent. Et rarum, inquit, miraculum, quod vir, qui Judaica non curabat, hoc fecerit, idololatriæ deditus, & religioni damnatæ multum favens. His similia habent passim ex Sanctis Doctoribus alii, ut Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, quos Ecclesiastici Scriptores, Theologique sequuntur.

2. Confirmatur: Non est æquum ad fabulas rejicere factum illud, cu-

cujus per longum tempus extitit pubblicum monumentum, & annua memoria, sed tale est factum, quo de loquimur: ergo. Minorem probat Philonis testimonium (*lib. 2. de vit. Moys.*), qui cum eam historiam enarrasset, hæc subjungit: Quamobrem hodieque solemnis celebritas renovatur in Pharo insula, ad quam non Judæi tantum, sed alii plurimi trajiciunt locum veneraturi, ubi ea primum interpretatio visa est, & pro tanto beneficio, quasi recente, Deo gratias acturi. Post vota autem, & gratiarum actiones, alii tentoriis fixis in litore, alii in ipsa arena discumbentes sub dio epulantur cum amicis, & domesticis.

3. Josephus Scaligerus in notis Eusebianis primus fuisse dicitur, qui historiam hanc ab Judæis Alexandrinis confictam asserere ausus est, quem miror sequutos fuisse Constantinum Roncagliam, & Joannem Dominicum Mansium in notis ad Natalem Alexandrum. His autem fundamentis Scaligeri sententia nititur. 1. Quia Demetrius exosus fuit Ptolomæo Philadelpho, cujus tempore translatio facta dicitur. 2. Quia duodecim tribus non exstabant, a quibus desumpti Interpretes dicuntur. 3. Quia Epistolæ Regis ad Eleazarum, & Eleazari ad Regem diversimode leguntur apud Aristæam, & Epiphanium. 4. Quia potius constat, eam translationem sine consensu Pontificis, & Hebræorum Hierosolymitanorum esse factam, contra id, quod Aristæas & Josephus scribunt. Siquidem Rabbinorum libri pleni sunt increpationibus adversus Judæos Alexandrinos, quod arcana Legis extraneis divulgaverint, & in Judaico Kalendario ejus Versionis causa tanquam rei nefandæ, ac detestandæ, jejunium indictum sit ad diem octavam mensis Thevet, qui nostro Decembri partim correspondet. Addere potuisset Scaligerus Aristææ libellum, unde eam historiam Patres hausisse videntur, supposititium a plerisque Criticis reputari. Item cellulas, quibus inclusi Interpretes dicuntur ab citatis Patribus, Justino, Irenæo, Clemente, ac Cyrillo, has, inquam, cellulas improbare, atque irridere Hieronymum ajentem: (*Præf. in Pentateuc.*) Nescio, quis primus septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxit, quibus divisi eadem scriptitarint. Item dissidium esse inter ipsos Patres, an solum Pentateuchum, an totum Canonem Septuaginta Viri illi transtulerint.

4. Hæ tamen loci, ac temporis circumstantiæ non adeo magni sunt momenti, ut propterea totam illam narrationem amandemus ad fabulas. Et ad primum quidem satis responsum est ex supra dictis. Conveniunt enim omnes, circa hæc tempora Versionem esse factam, licet an sub Lagide, an sub Philadelpho dubium esse possit. Quod autem invisum Demetrium Philadelpho, tanquam certum ex Laertio supponit Scaligerus, non est adeo compertum, ut non contrarium efficia-

Digitized by Google

efficiatur ex Marco Tullio, Philone, & Josepho, Authoribus Laertio illo longe gravioribus, qui Demetrium Phalereum ab Philadelpho Regiæ Bibliothecæ præpositum fuisse, memoriæ tradiderunt. Adde, quod Hermippus, ab quo Laertius (*in ejus. vit.*) eam narrationem desumpsit, Hermippus, inquam, ipse apud Suidam, Demetrium, ait, non in exilium missum, sed *αξιοσθαῖας* dignum exilio habitum. Adde item, quod apud eumdem Epiphanium in diversis editionibus diversa leguntur. Nam Bellarminius, & Bonfrerius ajunt, Epiphanium designare annum Philadelphi decimum septimum; Serarius tamen, & Bonfrerius assignant ex eodem Epiphanio septimum. Quid si dicamus cum Eusebio terminatam eam Versionem anno Philadelphi tertio? Nonne tunc juxta Natalis opinionem diversæ Patrum sententiæ de Lagide, & Philadelpho optime conciliantur? Denique, quamvis demus, Demetrium Philadelpho invisum fuisse ab sui regni exordio, & mortuo Patre statim in exilium amandatum, quid prohibet, ut opus illud vel regnante Patre incœptum jam, vel saltem authore Demetrio intentatum Philadelphus ad exitum perduxerit, aut exequutioni mandaverit? Quo posito, bellissime procedunt omnia, & Demetrium ejus Versionis primum suasorem, & motorem fuisse, & Philadelpho regnante elucubratam, quamvis jam Demetrio ab aula submoto, & in exilium, aut carcerem amandato.

5. Ad secundum: nego, omnes decem Tribuum familias ita universim deportatas fuisse, ut ex eis non aliquæ remanserint, aut postmodum redierint. Nonne Christi ætate Anna Prophetissa erat de Tribu Aser? (*Luc. 2.*) Ad tertium dico, librum Aristææ, qui nunc exstat, sublestæ fidei habendum. Quartum non urget; siquidem jejunium illud (siquod fuit) potius firmat, quam enervat fidem translationis, quamvis modum impugnet. Dicendum vero, aut illud jejunium posterius fuisse institutum, quum post Christi Redemptoris adventum Judæi ab Christianis Scripturarum testimonio premebantur, aut id Hierosolymitanos cœpisse vitio vertere Alexandrinis post schismata, & dissensiones, quæ inter utrosque emerserant aliis ex causis, maxime autem Templi, quod Alexandriæ habebant Judæi. Quid vero, si dicatur cum Rabbinis Azaria, & Gedalia, jejunium illud institutum fuisse suadentibus ipsis Septuaginta, ut Dei auxilium in sibi commissa ab Rege provincia, & translationis gravissimo negotio implorarent? Dixi autem: si quod fuit; quia R. Maimonides, Hebræorum facile doctissimus, & diligentissimus Scriptor, inter gentis suæ jejunia hujus non meminit. Quæ adjiciuntur reliqua, rei summam non impugnant. Quamvis enim, qui nunc circumfertur, Aristææ libellus spurius sit, aut saltem (quod verius putat Gottus) progressu temporis aliquibus falsitatibus vitiatus, non inde tamen efficitur, ita illum

Digitized by Google

illum fuiſſe, quem Sancti Patres ſequuti ſunt, & oculatiſſimi Critici Euſebius, & Hieronymus. De Cellulis nonnihil dicemus Propoſitione ſequenti. De ultimo autem, ſive de libris tranſlatis, in præcedenti dictum eſt.

PROPOSITIO VI.

Prima, & pura Septuaginta Interpretum Verſio Canonica eſt, quippe quæ particulari Spiritus Sancti auxilio, ductuque elaborata fuerit.

1. Dixi; *Prima, & pura*, ut ab ea facti quæſtione me expediam, an ea, quæ nunc circumfertur verſio τῶν 70., authentica ſit, & Canonica? Hujus enim dubii ſolutio ex infra dicendis conſtabit. Jam vero propoſitio ſtabilitur primo: Nam Chriſtus Dominus, & Apoſtoli teſtimonia Legis plerumque citant ſecundum verſionem Seniorum Septuaginta; ſed non eſt dicendum, alia verſione Scripturarum uſos fuiſſe præter eam, quæ ſacra erat, & authentica, alias potuiſſent eos Judæi falſitatis arguere: ergo. Major patet Novum Teſtamentum legenti, firmaturque prætcrea authoritate Patrum. Etenim Petrus, & Joannes, & Matthæus, & Paulus, ac reliqui deinceps, horumque Sectatores, Prophetica omnia ita annuntiarunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet, inquit, Irenæus. (*3. adverſ. hær. c. 25.*) Cyrillus autem Hieroſolymitanus ejus Verſionis oſores arguens, (*Cath. 4.*) Multo, inquit, prudentiores te, & religioſiores fuerunt Epiſcopi, & primi Epiſcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Hieronymus etiam, (*in Genes. c. 44.*) quo nemo hac in re teſtis gravior: Hoc, ait, generaliter obſervandum, quod ubicumque Sancti Apoſtoli, aut Apoſtolici Viri loquuntur ad populum, iis plerumque teſtimoniis utuntur, quæ jam fuerant in Gentibus; ſed nullo alio modo vulgata erant Gentibus tempore Apoſtolorum, quam per Verſionem Seniorum 70.: ergo.

2. Secundo: Non eſt credendum, Eccleſiam Catholicam uſque ad tempora Hieronymi authentica aliqua Verſione Scripturarum lectione caruiſſe; ſed alia fere non agnoſcebatur præter Verſionem τῶν Septuaginta, hanc enim, ait Auguſtinus, (*18. de Civit. c. 43.*) ſic recepit Eccleſia, atque utuntur Græciæ populi Chriſtiani, quorum plerique, utrum ſit alia aliqua, ignorant: ergo authentica illa, & Canonica habenda eſt.

3. Tertio: Nequit non eſſe authentica Verſio, quam uno ore Patres ſingulari Sancti Spiritus ductu, atque inſtinctu factam fuiſſe tradunt; ſed talis eſt Verſio τῶν Septuaginta: ergo. Minor, quæ veluti alteram noſtræ propoſitionis partem continet, ſuadetur multis teſtimo-

moniis. Irenæus ait, (*loco cit.*) unum, eundemque Spiritum, qui in Prophetis præconizavit adventum Domini, in Senioribus bene interpretatum esse, quæ bene fuerant prænuntiata. Loco vero ante citato translationem Seniorum emendationi ab Esdra factæ similem fuisse dicit. At Esdram divino ductum Spiritu nemo inficiatur: ergo. Clemens Alexandrinus non ab Dei inspiratione alienum fuisse dicit, (*lib. 1. Strom.*) ut qui prophetiam dederat, interpretationem quoque tanquam aliam efficeret prophetiam, scilicet Græcorum. Cyrillus Hierosolymitanus, (*Ibid.*) non facundia, aut apparatu, inquit, humanorum sophismatum, sed ex Spiritu Sancto divinarum rerum interpretatio facta est. Epiphanius (*lib. de mens. & ponder.*) omnes illos Spiritus Sancti afflatu præditos diserte affirmat. Augustinus (*lib. 2. de doct. christ. cap. 14.*) Latinis Codicibus emendandis Græcos adhibendos esse docet, in quibus, inquit, Septuaginta Interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excedit authoritas, qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Sacti Spiritus interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Similia habet Chrysostomus (*Homil. 4. in Gen.*) supra laudatus, Hilariusque, (*in Ps. 2.*) Eusebius, (*lib. 8. Præp. Evang. c. 1.*) & Philo (*lib. 2. de vita Moys.*).

4. Dices, Patres in ea fuisse sententia, quod fidem præbuerint fabulosæ narrationi septuaginta duarum, aut triginta sex cellularum, quibus singulis, aut bini divisi Interpretes eadem veluti uno ore, & calamo conscripserint; at hanc narrationem irridet Hieronymus loco supra citato, (*& lib. 2. cont. Ruffin.*) ubi etiam subdit, Viros illos in una Basilica congregatos ea, quæ scribebant, contulisse, non prophetasse. Aliud est enim, inquit, esse Vatem, aliud esse Interpretem. Ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditione, & verborum copia, ea, quæ intelligit, transfert. Atqui, si particulari Spiritus Sancti instinctu, afflatuque scripsissent, non Interpretes, sed Vates dicendi essent: ergo peculiarem illum Spiritus Sancti afflatum Hieronymus non agnovit. Addendum ex ipso Hieronymo, (*in præfat. in Pentath. ad Desid. & aliis loc.*) plura in Versione τῶν 70. abundare, plura deesse, plura longe diverso sensu esse translata: quæ omnia non Spiritus Sancti ductum, sed humani laboris naturam sapiunt lapsus, & erroris capacem.

5. Hæc tamen omnia facile diluuntur. Primum enim assumit falsum, nimirum Sanctos Patres ita loquutos fuisse, quod incertæ illi cellularum narrationi fidem præbuissent. Namque Aristæas, & multo recentiores Josephus, & Philo nihil tale retulerunt, ut ait Hieronymus; (*loco cit.*) & tamen Septuaginta Seniores tanquam Deo afflatos, & Sacros commendant. Augustinus Cellularum narrationi fidem

ple-

Digitized by Google

plenam non adhibuit, sub dubio enim loquitur, ita scribens in 2. de Doctrina Christiana. (*cap. 15.*) Qui, si ut fertur, multique non fide indigni prædicant, singuli cellulis singulis separati &c. Subjungit tamen: Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu, judicioque vox fieret, nec sic quidem quemquam qualibet peritia ad emendandum tot Seniorum, doctorumque consensum adspirare oportet, aut decet. Quapropter, siquid aliter in divinis exemplaribus invenitur, quam illi posuerint, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi, quæ per eos facta est . . . Itaque fieri potest, ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere gentibus ille, qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat Spiritus Sanctus judicavit. Hieronymus vero ipse, (*Præf. 2. in Paralip.*) qui Cellularum narrationem cum risu explosit, tamen Septuaginta Interpretes, inquit; Spiritu Sancto pleni ea, quæ vera sunt, transtulerunt. (*Ibidem*) Item ait: Ubi obelus, transversa scilicet virga præposita est, ibi sciatis signatum, quid Septuaginta Seniores addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti authoritatem. Quum ergo Hieronymus Vates fuisse Septuaginta Interpretes negat, non ideo eos Spiritu Sancto plenos, & singulari ejus instinctu, ductuque in scribendo adjutos fuisse, inficiatur; nam neque Sacri Historici, ut Lucas, & Matthæus, Prophetæ sunt, & tamen divino Spiritu afflatos, & ad scribendum impulsos, & in scribendo ductos fatemur: de qua divinæ illuminationis diversitate supra diximus, cum de libris Machabæorum ageremus. Quod vero ultimo loco opponebatur de varietate inter Versionem τῶν Septuaginta, & Hebraicum textum, aut inter Versionem eandem, & Vulgatam nostram, longiorem disputationem requirit.

PROPOSITIO VII.

Varietates, quæ inter Versionem τῶν 70., textumque Hebraicum, & Vulgatam inveniuntur, vel in Græcorum Codicum corruptionem, vel in divinum Spiritum referendæ, cujus afflatu Seniores aliqua interdum addiderunt, omiserunt, aut permutarunt.

1. NAm primo corruptissimos fuisse Græcos Codices, convincitur testimonio Hieronymi ita ad Chromatium scribentis: (*In Præf. Paralip.*) Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati, Episcoporum doctissime, impelleres, ut Hebræorum tibi volumina Latino sermone transferrem . . . Nunc vero quum pro regionum varietate diversa ferantur exemplaria, & germana illa, antiquaque translatio corrupta sit, atque violata &c. In alia itidem ad eosdem Parali-

po-

pomenon libros præfatione: Non hoc, inquit, Senioribus Septuaginta, qui Spiritu Sancto pleni, ea, quæ vera fuerunt, transtulerant, sed Scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant, & sæpe tria nomina, sublatis e medio syllabis, in unum vocabulum cogunt, vel unum nomen propter latitudinem suam in duo, vel tria vocabula dividunt. Item præfatione in Esdram: Siquis autem Septuaginta vobis opposuerit Interpretes, quorum exemplaria varietas ipsa lacerata, & inversa demonstrat &c.

2. Secundo testimonio Justini ajentis, (*In Dialog. cum Triph.*) multas Scripturas in totum sustulisse Judæos ex editione 70. Seniorum, quæ manifeste hunc ipsum (Jesum Christum) & Deum, & hominem, & in Cruce moriturum prædicabant. Tertio ex Origene asserente, Judæos post Christi adventum multas de eodem prophetias, resecuisse, ut plane germanos eorum agnoscas, qui militibus monumenti custodibus dixerunt. Discipuli ejus, nobis dormientibus, noctu furati sunt eum. Hæc Origenes contra Celsum; (*lib. 1.*) qui etiam in Jeremiam. Quoniam difficile est, inquit, aliquem se malum confiteri, ideo Judæi, qui exemplaria (τῶν 70.) falsarunt, etiam hoc loco pro peccato Juda peccatum eorum posuerunt. Quarto convincitur ex ipsius Origenis emendatione, aut *corruptione potius*, inquit Hieronymus, per obelos, & asteriscos. Constat item, ait Bellarminius, (*lib. 2. de Verb. Dei cap. 6.*) eandem Seniorum Septuaginta Versionem sæpe recognitam, atque corruptam fuisse ab Origene, Luciano, Hesychio, & Hieronymo, cujus tempore omnes fere Græci Codices admixta multa habebant ex Theodotione asteriscis præfixis, qui paulatim exciderunt: interiit etiam Theodotionis editio, atque inde orta confusio, ut jam agnoscere nemo possit, quid in iis libris sit τῶν Septuaginta, quid Theodotionis. Hæc Bellarminius.

3. Secunda autem propositionis pars suadetur primo ex ipsomet Hieronymo ajente: (*loco sup. cit.*) Obelo designatur quid Septuaginta Interpretes addiderint vel decoris gratia, vel Spiritus Sancti authoritate, licet in Hebræis voluminibus non legatur. Secundo ex Epiphanio ajente, (*de ponder. & mens.*) Seniores illos voces nonnullas addidisse. Qua in re, inquit, non reprehensione, sed laude digni sunt, quum illud omne divino quodam consilio ab illis esse factum, prudens quisque non dubitet. Tertio id ipsum convincitur omnibus illis testimoniis, quibus supra statutum est, (*in præc.*) Septuaginta Interpretes divini Spiritus præsentia afflatos Versionem illam perfecisse. Quarto apertissimo Augustini testimonio in decimo octavo de Civitate Dei ita scribentis: (*cap. 43.*) Spiritus, qui erat in Prophetis, quando illa dixerunt, idem ipse erat in Septuaginta Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profecto authoritate divina & aliud dicere

po-

potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret, & hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus elucesceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere, ut etiam hinc ostenderetur non humanam fuisse Opere in illo servitutem, quam verbis debebat interpres, sed divinam potius potestatem, quæ mentem replebat, & regebat interpretis. Similia habet in libris de Consensu Evangelistarum.

4. Contra tamen opponi possunt plura, quorum primum illud, & intricatissimum de annis Patriarcharum. Siquidem Septuaginta Interpretes ab Adamo usque ad Jared exclusive singulis ante generationem centum addunt annos; totidem post generationem detrahunt. Exempli gratia: In Vulgata nostra ex Hebraico textu sic legitur: (*Genes. 5.*) Vixit Adam centum triginta annos, & genuit Seth. Septuaginta legunt: Vixit Adam ducentos triginta annos, & genuit Seth. Deinde, cum dicitur: Vixitque Adam, postquam genuit Seth, octingentos annos, Septuaginta legunt: Septingentos; atque ita constanter in Seth, Enos, Cainan, Mahasaleel, & Enoc. Lamecho, qui vixisse dicitur ante Noe generationem annos 182. illi addunt sex. Hæc eadem faciunt post diluvium in Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Rehu, & Sarug. Nachoro ante Thare generationem quinquaginta addunt annos, ut genuerit annorum 79. Pentateuchus Samaritanus apud Eusebium (*in Chron.*) mediam viam sequitur; in annis enim Patrum antediluvianorum fere semper textum Hebraicum sequitur: in postdiluvianis autem Versionem τῶν Septuaginta. Jam vero hæc annorum computandorum diversa ratio neque Codicum corruptioni tribui potest, quum quamdam habere videatur error iste constantiam, nec Spiritus Sancti inspirationi, quum utrumque verum esse non possit; ut per se patet.

5. Secundo: Stando Chronologiæ τῶν 70., Mathusalem aliquot annis post diluvium vixit; sed hoc esse nequit, octo enim tantum animæ salvæ factæ sunt, ut ait Petrus, (*Ep. 1. c. 3.*) quas Moyses enumerat dicens: (*Genes. c. 7.*) Ingressus est Noe, & filii ejus, uxor ipsius, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam: ergo. Tertio: Septuaginta inter Arphaxad, & Sale interserunt Cainan; sed hoc neque errori tribui potest, quia eandem generationum seriem sequutus est (*cap. 3.*) Lucas Evangelista, nec divinæ inspirationi, quia stare non potest cum eo, quod in Hebraicis Codicibus, in Samaritano Pentateucho, & in Vulgatâ legitur, quæ authentica est, ut mox dicetur: ergo. Quarto: Servi Isaac apud Septuaginta dicunt, se non invenisse aquam, ubi Hebræi, & Latini Codices legunt: (*Genes. cap. 26.*) Invenimus aquam. At hanc secundam lectionem genuinam esse, contextus ipse demonstrat. Quinto: Septuaginta scribunt, dixisse

se

Digitized by Google

ſe Jonam: (*cap.* 3.) Adhuc tres dies, & Ninive ſubvertetur; at Hebræi, & Latini Codices habent: Adhuc quadraginta dies. Sexto: Apud Iſajam legitur: (*cap.* 9.) Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri Sæculi, Princeps pacis. Quibus omnibus omiſſis Septuaginta ſolum habent: Vocabitur nomen ejus magni Conſilii Angelus. At hæc lectio nec erronea eſt, quum ea nonnumquam utatur Eccleſia Dei, nec par eſt credere, Spiritu Sancto afflante Seniores illos tam perſpicuum Divinitatis Chriſti teſtimonium prætermiſiſſe. Septimo arguitur apertiſſimo illo Hieronymi teſtimonio ajentis: (*In Præf. in Pentateu. Moys. ad Des.*) In Evangeliis, & Apoſtolorum ſcriptis multa de Veteri Teſtamento legimus, quæ in noſtris Codicibus (ſecundum Septuaginta) non habentur, ut eſt illud: Ex Ægypto vocavi filium meum. Quoniam Nazaræus vocabitur. Videbunt in quem compunxerunt. Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit &c., & multa alia, quæ longum ſyntagma deſiderant.

6. Adjungit idem Hieronymus, (*Præf. in Job.*) omiſſam eſſe ab Senioribus 70. magnam partem libri Job, truncatum Jeremiam, & inſignem locum Iſaiæ (quem nuper diximus) prætermiſſum, de quo rationem, inquit, (*in cap.* 2. *Iſa.*) invenire non poſſum, quare tam perſpicuam de Chriſto prophetiam in Græcum noluerint vertere. Alia item multa eoſdem præteriiſſe aſſerit, quæ ſi voluero, ait, (*cap.* 27. *in Jerem.*) cuncta digerere, non libro, ſed libris opus erit. Contra autem in libro Joſue duos verſus addiderunt, treſque in Pſalmo decimotertio. Duos, uti ſupra vidimus, in aliis Pſalmis truncarunt. Vide ſimilium omiſſionum, additionum, & mutationum exempla plurima apud Bonfrerium, Marianam, Natalem, Morinum, & alios quum dogmaticos Theologos, tum Scripturarum Interpretes, quæ hic enumerare nihil attinet. Quod enim de ſupradictis dicetur, idem de hujuſmodi reliquis accommoda ratione, & potiori jure dici poteſt, quæ non adeo gravem difficultatem continere videntur.

7. Harum porro objectionum primam quum ſibi propoſuiſſet Auguſtinus, (*lib.* 15. *de Civi. Dei c.* 13.) ita reſpondet: Illa diverſitas numerorum aliter ſe habentium in Codicibus Latinis, & Græcis, aliter in Hebræis, nec malitiæ Judæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ Septuaginta Seniorum, ſed Scriptorum tribuatur errori, qui de Bibliotheca ſupradicti Regis Codicem deſcribendum primi acceperunt. Quum vero varietas illa non errore aliquo, aut caſu, ſed ſtudio, & induſtria videatur inducta, idem Auguſtinus cauſam inquirens, hanc adhibet: Nimirum quum vellet perſuadere qui hoc fecit, ideo numeroſiſſimos annos vixiſſe antiquos, quod eos breviſſimos numerabant, & hoc de maturitate pubertatis conaretur oſtendere, atque adeo in illis centum annis decem no-

nostros insinuandos putaret incredulis, ne homines tamdiu vixisse recipere in fidem nollent, addidit centum annos, ubi gignendis filiis habilem non invenit ætatem, eosdemque post genitos filios, ut congrueret summa, detraxit. Hæc Augustinus, cujus tamen solutio non omnino difficultatem solvit. Ut enim arguit Azor, (*Inst. Moral. lib. 6. cap. 18.*) cur in Octava generatione, id est, in Mathusalem 20. annos detraxerunt? Cur centum non addiderunt in Nachor, & in Thare? Si enim decuplo minores, quam nostri sunt, anni Patriarcharum fuisse credantur, septuaginta, aut septuaginta novem anni ætas idonea gignendæ proli non esset. Vias propterea alias ejus quæstionis solvendæ excogitarunt plures, quos inter tres proponit Joannes Baptista Ricciolus in singulari Dissertatione de hoc argumento inter Opera Menochii. Absurdæ autem omnes sunt, & ad arbitrium excogitatæ. Author Systematis Chronologici inter ejusdem Menochii Opera magis ad verum accessisse videtur, cujus hæc est sententia: In capite quinto Genesis mendum esse in editione τῶν 70., retinendamque lectionem Hebraici, & Samaritani Codicis, ac Vulgatæ. Mendum autem infert, quum ex varietate lectionum in Græcis Codicibus, tum ex inconstantia additionum ab sexta generatione usque ad decimam, tum denique ex universa Mathusalem Vita, quam difficultatem secunda attingit objectio. At in capite Genesis undecimo, ubi Samaritanus Pentateuchus, & Septuaginta conveniunt, horum Chronologiam retinendam existimat, nec rejiciendam Hebraici textus, ac Vulgatæ nostræ lectionem, sed aliter intelligendam, ac sonat. Itaque veluti quum quis narrat, anno 1711. defecisse Solem, & item anno 743., & etiam 752., in his postremis numeris millenarius primi non negligitur, sed suppletur; ita dictum existimat: Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium. Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, & genuit filios, & filias. Vixitque Arphaxad triginta quinque annis, & genuit Sale &c., ut in hoc & reliquis centenarius primus suppleatur. Hic opinandi modus difficultatem solum patitur in generatione Tharæ, & Nachoris. Cur enim ibi centenarius ille numerus non suppleatur? Quum vero in harum generationum annis & Samaritanus Codex, & Septuaginta conveniant, vitium fateri cogimur in Vulgata, & in textu Hebraico, unde illa desumpta est: idque solum in Nachor, ut pro 79. legatur 29. At in Thare sine ulla Hebraici textus corruptione intelligi potest, ut anno quidem centesimo ac trigesimo (ut in Hebræo legitur) genuerit Abrahamum, anno autem septuagesimo Aramum, aut Nachorem, neque enim Abrahamus Tharæ primogenitus fuit, ut pene omnes conveniunt. Et ad primam quidem objectionem ita responsum esto.

8. Ex

Digitized by Google

8. Ex quo patet responsio ad secundam. Dicendum enim omnino est, corruptos esse Græcos Codices in capite quinto Geneseos: quod Hieronymus, Eucherius, & Augustinus respondent apud Bellarminium. En Augustini verba (*Quæst. 2. in Genes.*) alio in loco præter eum, quem Bellarminius citat. (*lib. 1. de verb. Dei cap. 6.*) Quæri solet, quomodo Mathusalem secundum annorum computationem vivere post diluvium potuerit? Verum hanc quæstionem Codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, sed etiam in Septuaginta Interpretum Codicibus paucioribus, sed emendatioribus Mathusalem sex ante diluvium annis reperitur fuisse defunctus. Cui Augustini dicto editiones τῶν 70. Veneta, Argentoractensis, & Basileensis fidem faciunt apud citatum Natalem. (*dis. 11. Sæc. 2.*)

9. Tertium argumentum difficultatem continet satis celebrem, de qua late Canus, Natalis, Cajetanus, aliique plures. Et Cajetanus quidem errorem illum fuisse Septuaginta Interpretum putat, quos sine errore tamen Lucas Evangelista sequutus est. Quî vero? Aut enim errorem Septuaginta Interpretum ignoravit Lucas, & eodem modo errores ignorare potuit aliorum, ex quorum scriptis, aut narrationibus Evangelium suum contexuit; aut eum quidem errorem cognovit, & tamen volens, prudensque errantes sequutus est, & ita potuit aliquos Pseudo-Apostolos, & Pseudo-Evangelistas errantes sequi in aliis, quæ de Vita Jesu Christi, atque ejus doctrina scripsit: quod utrumque dicere Christiani hominis non est. Nec multum ab hac absurda sententia abhorret Natalis Alexander; (*Tom. I. Dissert. 4. Veter. Test.*) putat enim, Cainanum in Versione τῶν 70. irreptitium, ac supposititium esse. Ad argumentum vero ex Evangelio desumptum respondet primo, Sanctum Lucam non recensuisse generationem Cainan ex propria sententia, quasi ipse re vera filium Arphaxadi Cainanum crederet, sed quod ab Judæis Hellenistis, & Christianis, non alia, quam Græca Veteris Testamenti interpretatione utentibus, inter Abrahami majores numeraretur. Multa enim, ait, in Scripturis dicuntur, teste Hieronymo, (*Comment. in Evang. S. Matthæi. c. 4.*) juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non juxta id, quod rei veritas continet. Id autem, opponit Canus, (*lib. 2. c. 18.*) recte quidem dictum est, si ad voces duntaxat, & loquendi modum referantur. Non solum enim Historici, sed omnes omnino Sapientes, ut Aristoteles monuit, licet aliter ac vulgus sentiant, cum Vulgo sæpe loquantur, nec loquuntur falso tamen; at cum de rebus agitur, non licet Historico, aut Sapienti cuiquam aliquid falsum inserere, quod vulgo verum esse credatur. Melius igitur respondet secundo Natalis ipse cum Cornelio a Lapide, Petavio, Possino, & aliis, (*Citat. a-*

pud Natal. loc. citato.) Cainani nomen, ut apud editionem τῶν 70., sic in Christi apud S. Lucam genealogiam irrepsisse: quod ex exemplari quodam Lugdunensi, & aliis evincere conantur Authores ii. Rectius autem cum Cano eodem, Azorio, (*loc. cit.*) & Mariana dicendum videtur, nec sine causa Septuaginta Interpretes Cainani generationem addidisse, nec sine mysterio eamdem prætermisisse Moysem. Utrumque vere, utrumque prudenter factum esse; alterum & vere, & prudenter Lucam fuisse sequutum.

10. Opponit Natalis primo: In genealogia Arphaxad ter repetita eam generationem non haberi. At habetur apud Lucam, qui ejusdem authoritatis est, ut alibi demonstratur. Nec novum, & inusitatum est in Scripturis alicubi suppleri, aut declarari, ait Azor, (*loc. cit.*) quod alibi omissum est, aut obscurius dictum. Idem respondetur ad authoritatem Vulgati Interpretis, & Chaldæi Paraphrastis, Versionis Persicæ, atque Arabicæ, Philonis, & Josephi, quas secundo loco idem Natalis opponit. (*Omnes apud Natal. loc. cit.*) Omnes hi etenim Hebraicum textum sequuti sunt, sicut etiam Berosus, Eupolemus, Theophilus Antiochenus, Julius Africanus, & Eusebius. Opponit item Irenæum ajentem, septuaginta duas generationes haberi ab Adamo usque ad Christum. Et Epiphanium viginti duas numerantem ab Adamo usque ad Jacobum; sed una amplius numeranda esset, si Cainan interseratur: ergo. Respondeo, eos Patres, aut Hebraicos Codices sequutos fuisse, aut numerasse generationes passivas, ut ita dicam, non activas, omittendo nimirum Adamum. Certe Irenæus non aliter numerasse videtur, nisi forte in Codicem corruptum inciderit, a quo expunctus fuerit Cainan, quum in Evangelio Lucæ descriptas generationes recensuerit.

11. Opponit tandem Hieronymum, (*apud Nat. loc. cit.*) qui, quum omnem, vel minimam dissensionem inter versionem τῶν 70, & Hebraicos Codices adnotasset, hic tamen nulla observatione facta, diserte asserit, Arphaxad genuisse Sale. Respondeo: Quid inde? Concludatur sane, generationem Cainan apud Septuaginta non haberi. At apud Lucam? Hieronymi ergo silentium quæstionem non solvit, nisi forte de hoc loco dictum intelligatur quod de ipsomet Luca Actus Apostolorum scribente alibi dixerat, (*Quæst. Heb. in Gen.*) nimirum non oportuisse, ut Beatus Lucas in Gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scriberet adversus eam Scripturam, quæ jam erat Gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo tempore Septuaginta Seniorum habebatur authoritas, quam Lucæ, qui ignotus, inquit, & vilis, & non magnæ fidei in Nationibus habebatur. Addit, plerosque tradere, Lucam, uti Proselytum, Hebræas litteras ignorasse.

Quid

Digitized by Google

Quid autem hinc efficiat Hieronymus, non video. Voletne, ut Lucas falsi quicquam scripserit, ut Judæis Hellenistis morem gereret, sive ne ab Septuaginta Senioribus discessisse argueretur? Opportunius ad rem nostram V. Beda de hoc eodem argumento disputans, (*Præf. in act. Apost.*) Lucas, ait, testimoniis Græcis utitur potius, quam Hebræis. Ex quo accidit, quod maxime miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore concussus nescio perscrutari, nimirum, qua ratione; quum in Hebraica veritate a diluvio usque ad Abraham decem tantum, generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente falsum scribere nullatenus potuit, undecim generationes juxta Septuaginta interpretationem addito Cainan in Evangelio ponere maluit. Hæc Beda, qui cum item alibi idem argumentum attigisset, (*in enarrat. Evang. secundum Luc.*) ita concludit: sed quid horum sit verius, aut si utrumque verum esse possit, Deus noverit.

12. Jam vero, quum utrumque verum esse posse cum laudatis Authoribus, quos plerique sequuntur Recentiorum, statuerimus, inquirendum restat, quî potuerit Sale filius Arphaxad vocari interjecto Cainano? Lyra putavit, Arphaxad, & Cainanum Salæ parentes fuisse, illum naturalem, hunc legalem. Verum hoc difficultatem non solvit; dicitur enim Cainan filius Arphaxad, sicut Sale filius Cainani. Alii existimant, Sale vocatum quoque fuisse Cainanum, legendumque apud Lucam non τῦ Σαλὰ τῦ Καϊνὰν, sed τῦ Σαλα ὃς καὶ Κεναν, sed hoc arbitrarium videtur; & quamvis Lucæ testimonio fieret satis, non tamen authoritati τῶν 70., unde genealogiam illam Lucas descripsit. Contra autem, si Sale, & Cainan non eadem persona, sed duæ sint, urget gravis difficultas, nimirum Patrem Cainanum, & Sale filium eodem anno esse natos. Nam apud Moysem dicitur, anno Arphaxadi 35., sive (ut intelligendum diximus) 135., natum fuisse Sale; sed juxta Septuaginta eodem anno vitæ suæ Arphaxad genuit Cainan: ergo, si utraque lectio vera est, ut diximus, eodem anno vitæ Arphaxad nati sunt Cainan, & Sale, Pater nimirum & filius: quod est absurdissimum. Huic objectioni occurrit Genebrardus inquiens, (*lib. 1. Chronograph.*) Arphaxad genuisse Cainanum anno ætatis suæ 18. exempli gratia, & Cainanum anno ætatis suæ 17. genuisse Sale. Unde Arphaxad habuerit Sale filium, id est, nepotem anno ætatis suæ 35. Quam opinandi viam, miror, sequutos fuisse Harduinum, Gottum, (*Tract. 3. de lib. vet. Test. cap. 4.*) & Roncagliam. Licet enim sic Vulgatam, & Hebraicos Codices intelligere fas esset, at qui posset ita intelligi textus τῶν Septuaginta, ubi diserte asseritur, Arphaxad genuisse Cainam anno ætatis suæ 35., aut, ut ibi dicitur, centesimo trigesimo quinto? Ut ergo cum ipsa Scriptura Scripturam

Digitized by Google

exponamus, sicut in 1. Matthæi dicitur, Joram genuisse Oziam, quamvis non ipsum, sed ejus proavum Ochoziam genuerit, ita apud Moysem dicitur, Arphaxad genuisse Sale anno 35., aut (ut legendum diximus) anno 135. ætatis suæ, quamvis eo anno non ipsum, sed ejus patrem Cainanum genuerit. Et de tertio quidem argumento satis.

13. Ad quartum de servis Isaac respondeo, mendum ibi esse jam inde ab Augustini temporibus deprehensum; nam ille: (*lib. 15. de Civ. Dei c. 13.*) Alii, inquit, Interpretes deprehensam potius, sive inventam aquam nuntiasse dixerunt, quam veram esse lectionem contextus ipse demonstrat, siquidem vocavit Isaac nomen loci illius abundantiam. In quinto etiam loco vitium agnoscunt Hieronymus, & Augustinus. Scripserunt enim Septuaginta Græcis litteris quadraginta tres, unde eraso numero primo, qui habetur apud Justinum, reliquus fuit 3., qui in corruptis Codicibus legitur. Vulgata autem ex Hebræo, imperfecto numero neglecto, quod apud Sacros, & profanos Authores usitatissimum esse alibi observavimus, rotundum, & completum expressit, nimirum 40. Vere enim dies quadraginta tres ab initio prædicationis Jonæ computari, Canus atque alii observaverunt. Ad sextum respondeo, utramque lectionem veram esse, & Spiritui Sancto authori adscribendam. Cur autem ea venturi Redemptoris nomina Septuaginta Seniores prætermiserint, rationem hanc assignat Hieronymus, (*Præf. in Isa.*) nimirum illos Gentibus, aut Regi Ptolomæo mystica quæque in Scripturis Sanctis prodere voluisse, & maxime ea, quæ ad Christi adventum, & divinitatem spectabant, ne viderentur & Judæi plusquam unum Deum colere. Unde Septuaginta Seniores, ait, (*in Proœm. super. quæst. in Genes.*) nominum eorum majestate perterritos non ausos aperte Messiam Deum appellare, sed pro his sex nominibus scripsisse, quod in Hebræo non habetur: Magni Consilii Angelus. Hæc autem objectio, & quæ sequuntur omnes corruunt; si sententiam eorum sequi voluerimus, qui Septuaginta Seniores non integrum Veteris Testamenti Canonem, sed solum Moysis Pentateuchum ex Hebraico in Græcum transtulisse arbitrantur; Versionem autem Prophetarum, & Hagiographorum falso eorum nomini adscribi.

14. Tamen vulgari etiam opinioni adhærendo, quæ septimo loco proponebantur ex Hieronymo omissionum exempla non urgent, immo potius primam Propositionis nostræ partem confirmant. Illæ namque omnes Exemplarium vitio tribuendæ sunt, quo jam tempore Hieronymi, immo Origenis, & Luciani Septuaginta Seniorum Versio laborabat. Quamvis non desunt, qui loca ab Hieronymo ibi adnotata inveniri contendant apud 70. Vide citatum locum Natalis Alexandri.

Quod

Quod vero ad additiones attinet, dicendum est, eos duos versus fuisse dubio procul in libro Josue tempore Septuaginta Interpretum, quamvis postea ab Hebraicis Codicibus fuerint expuncti, sive malitia Judæorum, ne Jesus Christus de Tribu Juda natus putaretur, ut in simili ait Hieronymus (*Comment. in Michæa cap. 5.*) (quod ego non credam, alias & loca alia clariora expunxissent), vel casu aliquo nobis ignoto. De tribus autem Psalmi decimitertii versibus diximus supra, cum de libro Psalmorum ageremus. (*lib. præc. prop. 9.*) Eos igitur versus ut partem Psalmi decimitertii habendos nunc esse, supra statuimus; hic solum negamus, eos ab Senioribus 70. additos fuisse, quamvis in nonnullis eorum exemplaribus versus illos inveniri, ex nescio quibus Manuscriptis ostendere conentur Azorius, & Natalis, quorum nos authoritati Origenis, & Hieronymi authoritatem anteponimus. De versibus Psalmo 36., & 113. additis supra etiam nonnihil diximus. (*lib. 3. propos. 1.*) Hic solum addemus, eos versus ex Hebraicis Codicibus certissime desumptos fuisse. Uterque enim Psalmus ille secundum numerum, atque ordinem litterarum Hebraicarum conscriptus est, ita ut unusquisque versus ab una incipiat littera, primus ab א, secundus ab ב &c. Iis autem versibus sublatis uterque mancus esse deprehenditur. In 36. enim deficit littera *Ain*, a qua incipit dictio *avilim*, injusti. In 113. deficit littera *Nun*, a qua incipit dictio *Neeman*, fidelis: ergo in Hebraico textu ii versus tempore Seniorum Septuaginta certissime exstabant.

15. Ut autem, quæ ad Versionem hanc spectant, omnia concludamus, quæri posset, an exstet laudatissima illa Septuaginta Interpretum Versio? Penitus interiisse censuerunt nonnulli apud Bellarminium; (*lib. 2. cap. 6.*) ipse vero superesse quidem probabilius censet, sed adeo corruptam, & vitiatam, ut alia prorsus esse videatur . . . Ut jam tutum non sit Hebraicos, vel Latinos Codices ex Græcis Codicibus emendare. Quam Bellarminii sententiam dum impugnare nititur, confirmat Gottus. (*Tract.3. de Vet. Test. libris c.3.*) Cur enim eam Gregorius XIII., & Sixtus V. ex Vaticanis MS. emendari curarunt, nisi quia corrupta mille erroribus, ac fœdata erat? Idque adeo, ut post Sixtinam Correctionem plura sint adhuc ibidem corrigenda, ut ipse fatetur, & multis exemplis ostendit Natalis Alexander. (*loc. cit.*) Versionis porro Seniorum Septuaginta triplex exstat Editio. Prima Complutensis opera Francisci Ximenii Cardinalis, quæ quidem dum Septuaginta Interpretes cum textu Hebraico studet conciliare, a primitiva Seniorum Versione plurimum recedit. Secunda Veneta, quæ Aldi Manutii diligentia prodiit, & Complutensi purior est. Tertia Romana opera, & studio Cardinalis Carrafæ, & jussu Gregorii XIII., quæ eo morte sublato Græce prodiit Sixto V. Eccle-

siam regente. Utrum autem primigenia illa Septuaginta Seniorum Versio ex ipsismet Hebraicis Codicibus desumpta fuerit, in dubium revocarunt nonnulli. Rabbinus enim Azarias ex Chaldaica aliqua Versione suam adornasse, existimat, Seniores 70.: cui opinioni non parum favere videntur verba Philonis ajentis: (*lib. 2. de vita Moys.*) Reddita sunt propria propriis nominibus Græcis ad Chaldaica exacte respondentibus. Rationes profecto, quibus hanc Azariæ opinionem impugnavit Gottus, nullius momenti sunt: tamen sententia asserentium, ex ipsis Hebraicis Codicibus τῶν 70. translationem deductam fuisse, communior est. Et de ea quidem Versione satis, superque pro instituti nostri ratione dicta sunto.

PROPOSITIO VIII.

Reliquæ omnes Græcæ Versiones privatæ dumtaxat authoritatis sunt.

1. OCto omnino numerantur. Primam adornavit Aquila Ponticus patria Synopensis, Gentilis primum, deinde Christianus, ac demum Astrologicis præstigiis deditus ab Ecclesia pulsus, & Judæus factus: quo tempore Sacros Libros in Græcum sermonem vertendos suscepit. Verum proselytus, & contentiosus interpres, qui non verba solum, sed æthimologias quoque verborum transferre conatus est, merito ab Judæis, & Christianis æque rejicitur, ut scribit Hieronymus. (*Epist. 33. ad Pam.*) Anno Adriani duodecimo illum scripsisse, ait Epiphanius. (*de ponder. & mens.*) Ex quo patet, non eundem esse cum Aquila etiam Pontico, Pauli sectatore, de quo mentio habetur in Actis Apostolorum. (*cap. 18.*) R. Akibæ discipulum fuisse, inquit Hieronymus, qui quamvis in citata epistola, atque item alibi (*de optim. interpr. gener.*) contentiosum illum, & κακόζηλον interpretem appellet, qui syllabas interpretetur, & litteras; tamen aliis in locis eundem laudat, ut in Epistola 125. ad Damasum, quum ait: Aquila, non contentiosus, ut quidam putant, sed studiosus verbum interpretatur ad verbum. Alibi (*Epist. ad Marc. & in 2. Oseæ.*) eum, & curiosum interpretem, & verborum Hebraicorum diligentissimum explicatorem nuncupavit. Aquilam porro Judæum reliquis interpretibus anteponi scribit Augustinus, (*de Civ. 15. c.23.*) non ex suo quidem judicio, quum Græci sermonis ignarus esset, sed veluti communi sui ævi doctiorum suffragio. Duplicem ejusdem Aquilæ versionem agnoscit Hieronymus pluribus in locis, earumque diversitatem notat, & secundam primæ non uno in loco, & suo, & Hebræorum judicio anteponit: quod fecisset nunquam, si secundam vocaret non habita ratione alterius prioris Editionis ejusdem Aquilæ, sed Versionis τῶν 70. ut

Digitized by Google

70. ut Lamius voluit, (*lib. 2. c. 10.*) qui unam tantum Aquilæ versionem admittit.

2. Secundæ Versionis Author est Symmachus, de cujus ætate nonnullum est apud Authores dubium. Athanasius namque, (*in Synopsi*) & Epiphanius. (*l. de mensuris, & ponderib.*) sub Severo ipsum scripsisse, testantur; at Latina Præfatio ad Editionem Romanam τῶν 70. non Severum, sed Lucium Verum nominat. Fuit Symmachus gente Samaritanus, Religione primum Judæus, postea Christianus, tandemque Ebionita hæreticus, atque inter ejus factionis homines, veluti parens habitus: unde Ebionitæ etiam *Symmachiani*, aut *Symmachi* dicti sunt, teste Augustino. (*lib. 2. cont. Crescen. c. 31.*) Inde Hieronymus, & Eusebius (*lib. 6. Hist. c. 27.*) Semi-Christianum illum appellarunt. Symmachi profecto binas Versiones diserte commemorat, & utriusque diversitatem notat Hieronymus. (*in Jerem. c. 32.*) Generatim vero ipsum ab Aquila discernit, quod non verborum κακοζηλιαν, sed intelligentiæ ordinem potius sit sequutus.

3. Theodotion, Commodo imperante, tertius Bibliorum Sacrorum Græcam interpretationem elucubravit, quam ejus Imperatoris anno sexto prodiisse, Montfauconus scribit in prologo ad Origenis Hexapla. Epiphanius (*loc. cit.*) Ponticum, & patria Synopensem, Irenæus (*lib. 3. c. 24.*) Ephesinum fuisse, scribit. Tatiani hæretici auditor fuisse, dicitur, dein Marcionis sectator, denique Judæus. Porro Theodotion, inquit Hieronymus, (*Epis. 125. ad Damas. & Præfat. in Daniel. & in Job, & in Esdr.*) inter novos, & veteres medius incedit, alibique ipsum non verbum e verbo, ut Aquila, nec solum sensum e sensu, ut Symmachus, sed ex utroque commixtum, & medie temperatum genus translationis expressisse, notavit. Eum quoque majori fide in Scripturis explicandis usum esse, testatur Epiphanius. Quod ad ordinem ergo temporis spectat, siquidem Symmachus sub Severo scripserit, Theodotionis editio secunda erit, tertia illa Symmachi. Athanasius autem, atque Epiphanius, qui eas inverso ordine numerant, non ex errore aliquo id faciunt, ut putavit Bellarminius, (*lib. 2. de verb. Dei c. 5.*) Quî enim ignorarent, Commodo Pertinacem, Pertinaci successisse Severum? Ii ergo Patres Hexaplorum Origenis ordinem in numerando sequuti sunt. Origenes vero non Versionum antiquitatem, sed affinitatem ad Hebraicum textum spectasse videtur; unde primo loco Aquilam posuit, qui scrupulosius Hebraico textui adhæsit, deinde Symmachum, qui proxime accedit, tum subdit Septuaginta Seniorum interpretationem, quamvis ordine temporis aliis duabus longe priorem. Quartum tandem locum Theodotionis Versio occupat, qui Seniores 70. pene e vestigio sequitur. Quod si, ut ex Sixtina τῶν 70. editione diximus, & Petavius

Digitized by Google

asserit, Symmachus non sub Severo, sed sub Lucio Vero interpretatus est, lis omnis cessaverit. Danielis librum non juxta Versionem τῶν 70., sed Theodotionis, Ecclesiam Christi legere solitam animadvertit dudum Hieronymus, (*loc. cit.*) Laudatas quatuor Versiones, nimirum Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis commemorans.

4. His duas alias adjecit deinceps; quæ fuerunt ambæ, aut pariter Hierichunte inventæ, ut Lamius putat, anno Antonini Caracallæ septimo, aut alia eo anno Hierichunte, alia prope Actium in Urbe Nicopoli, imperante Alexandro Mammeæ filio, ut Gottus (*Tract. 3. de autho. libr. c. 5.*) credidit. Hæ quidem sine Authoris nomine authoritatem consequutæ sunt, inquit Hieronymus: (*cap. 3. Epis. ad Titum.*) quas propterea Origenes quintam, & sextam appellavit, quum ex iis, quatuor præcedentibus additis, Hexapla confecit. Unde autem ipse Origenes alias duas Versiones desumpserit, ex quibus Octapla confecta sunt, non satis constat. Bellarminius (*loc. cit.*) putat, non Versiones eas fuisse, sed ipsummet Hebraicum textum primum Hebraicis litteris, deinde Græcis e regione conscriptum, quibus omnibus per paginas in octo columnas divisis Octaplorum nomen est inditum. Aliis autem videtur, non Hebraicum textum Græcis caracteribus additum ab Origene (quæ enim hujus ingentis laboris utilitas?) sed aliam Versionem etiam innominatam, quam, Lamio teste, ipse Hieronymus agnovit. Alii eam septimam Versionem non aliam esse, volunt ab ea Luciani Martyris, de qua mox: quod non obscure indicat Athanasius apud Bonfrerium. Potest etiam Octava numerari ipsius Origenis editio; non quod novam ipse Versionem cuderit, sed quod Versionem Septuaginta Interpretum multis ex Theodotione admixtis, quæ asteriscis notavit, multis etiam obelo adjecto, ut in Hebraico textu non haberi monstraret, ita emendavit, ut novam fere cudisse videatur. Quæ fuerit de hac Origeniana Versione Hieronymi sententia nonnulli dubitant; ille tamen duas τῶν 70. Versiones aperte distinguit. De prima enim, quæ tertium (uti diximus) locum in Hexaplis tenet, loquens in Epistola ad Suniam, & Fretellam: Ea autem, ait, quæ habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reservatur. De secunda autem per obelos, & asteriscos distincta, apertissimum est ejusdem testimonium ad Augustinum scribentis: (*Præf. in lib. Paralip. Ep. 75.*) Miror, inquit, quomodo Septuaginta Interpretum libros legas, non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos, sive corruptos per obelos, & asteriscos, & Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris. Hæc igitur emendata, sive (ut Hieronymus inquit)

(*Ep.*

Digitized by Google

(*Ep. 89. ad August. quæ est 12. int. Ep. August.*) corrupta τῶν 70. editio non in Hexaplis Origenis, sed in Octaplis erat, quæ tanti habita est, ut ipso Hieronymo teste, brevi tempore Bibliothecas repleverit, & κοινὴ, id est, communis, seu *Vulgata* appellaretur, & *Palæstina*, quod in Palæstinæ, Syriæque Ecclesiis aliam non legerent.

5. Lucianæa porro Versio, quam nonnulli septimam in Origenianis Octaplis esse, existimant, ita appellata est ab Luciano Præsbytero, & Martyre, qui sub Diocletiano, & Maximiano, tyrannidem in Orientis partibus exercente Maximino, passus est. Ille quum in præcedentibus editionibus vitia plurima irrepsisse conspiceret, novam Versionem molitus est, sive (ut alii rectius putant) vitiatam Septuaginta Interpretum Versionem castigavit, & correxit. Hujus Editionis Codex ipsius Martyris manu descriptus Constantini Magni tempore Nicomediæ repertus esse, dicitur ab Authore Synopseos, quæ vulgo Athanasio tribuitur.

6. Eandem in τῶν 70. Versione expurganda, & corrigenda diligentiam adhibuit Hesychius, primum Monachus, deinde in Ægypto Episcopus, quem sub Maximino martyrium subiisse, Author est Eusebius Cæsariensis. (*lib. 8. c. 13.*) De his duabus Luciani, & Hesychii Versionibus Hieronymus ita loquitur; (*Præf. in Paralip. lib. 2. cont. Rufin. & Præf. in Evang.*) ut non multum lugenda earum jactura videatur. Prætermitto, inquit, Codices, quos ab Luciano, & Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio: quibus utique nec in toto Veteri Testamento post Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo proficit emendasse, quum multarum gentium linguis Scriptura jam translata doceat, falsa esse, quæ addita sunt. Hæc in Lucianum, & Hesychium Hieronymus, quæ postea in ipsum ejus adversarii retorquebant. Si enim post Septuaginta Interpretes Luciano, & Hesychio in Veteri Testamento emendare quicquam non licuit, cur licuit Hieronymo? Si in Novo nihil profuit emendasse, quum jam translata multarum gentium linguis Scriptura docebat, falsa esse, quæ addita sunt, cur Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit Hieronymus, quum ipsius tempore multo magis gentium omnium linguis Scriptura vulgata doceret, falsa esse, quæ addita sunt? Dicetur autem, Hieronymum id sibi licitum existimasse, quoniam 70. Interpretum Versio suo tempore corrupta, & lacerata erat. Si enim 70. Interpretum pura, & ut ab ipsis in Græcum versa est, editio permansisset, superfluus fuisset Hieronymi labor, ut ipse ad Chromatium scribit. Contra tamen est authoritas ipsiusmet Hieronymi testantis, extare adhuc suo tempore incorruptam, & immaculatam Septuaginta Interpretum Versionem. Scribens enim ad Suniam, & Fretellam, ut supra vidimus, illa, inquit,

quæ

Digitized by Google

quæ habentur in Hexaplis, & quam nos vertimur, ipsa est, quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata Septuaginta Interpretum translatio reservatur. Sed de his alii judicent. Porro ipse Hieronymus (*In Praf. in lib. Paralip.*) Lucianæ, Hesychianæ, & Origenianæ Versionis veluti regiones, ac territoria assignans, Alexandria, inquit, & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat Authorem. Constantinopolis Antiochiam usque Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt. Jam vero de Latinis interpretationibus agamus.

PROPOSITIO IX.

Antiquioris Vulgatæ Author incertus; Recentioris fere totius Hieronymus habetur.

I. QUi divinos libros ex Hebraica lingua in Græcam verterint, numerari possunt; qui vero ex Græca in Latinam, non item. Ut enim cuique primis Ecclesiæ seculis in manus venit Græcus Codex, & aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari, inquit totidem verbis Augustinus (*in 2. de doctr. Christiana cap. 11.*) Nulla autem ante Hieronymum fuisse videtur Latina Versio ex ipsis Hebraicis fontibus deducta: unde ex Versione Septuaginta Seniorum interpretatum esse, quod Ecclesiæ Latinæ tenent, idem scribit Augustinus (*in lib. de Civit. Dei 18. cap. 43.*) Ex ea interpretationum multitudine orta est lectionum varietas, quæ apud antiquiores Patres invenitur, Codicumque diversitas, & corruptio, ad Hieronymum scribens Augustinus, (*Epist. num. 71.*) Plurimum, inquit, profeceris, si eam Græcam Scripturam, quam Septuaginta operati sunt, Latinæ veritati reddideris, quæ in diversis Codicibus ita variata est, ut tolerari vix possit, & ita suspecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri, aut probari dubitetur. Inter reliquas autem præferenda erat ipsius Sancti Doctoris judicio ea, quæ *Itala* dicebatur, namque est, inquit, verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Versio hæc Italica eadem illa esse Viris doctis videtur, quæ ab Hieronymo (*cap. 14. & 49. Isai.*) κοινὴ id est, communis & *Vulgata* dicitur, quamque Gregorius (*Epist. ad Leand. qua præfigitur lib. Moral. cap. 5.*) Veterem appellavit, postquam scilicet Hieronymiana Versio Vulgata jam & communis esse cœperat, quam Novæ Versionis nomine significat, scribens ad Leandrum: Novam, inquit, enim editionem dissero; sed quum probationis causa exigit, nunc novam, nunc *Veterem* per testimo-

stimonia assumo, ut quia Sedes Apostolica, cui, Deo authore, præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur. Veterem hanc Vulgatam Lucianæam quoque ab Hieronymo dictam, legisse mihi videor: quod si ita est, eam ex τῶν Septuaginta Luciani emendationem prodiisse, existimandum erit. Quis vero illam sive ex Versione Seniorum Septuaginta, sive ex Luciani emendatione Latinam fecerit, omnino incertum est. Satis autem congruenter existimant, qui aliquem ex Apostolorum discipulis a primo Ecclesiæ Occidentalis, & Romanæ Sedis exordio Sacros Libros in Latinam, eo tempore principem, linguam transtulisse affirmant. Hanc Veterem Vulgatam nostro hoc sæculo ex diversis antiquorum Patrum locis collectam ingenti labore, atque studio fere integram exhibuerunt Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri. Atque hæc de prima assertionis parte.

2. Secundam multa firmant, quorum primum illud, & maximum testimonium scilicet desumptum ex præfatione præfixa Bibliis vulgatis Clementis VIII. authoritate, jussuque correctis, atque editis, ubi sic dicitur: Qui namque in ea libri continentur (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex Sancti Hieronymi translatione, vel emendatione suscepti sunt, partim retenti ex antiquissima quadam editione Latina, quam S. Hieronymus *Communem, & Vulgatam*, S. Augustinus *Italam*, S. Gregorius *Veterem* translationem appellant. Addit Bellarminius in libro secundo de Verbo Dei, (*cap. 9.*) Vulgatam editionem non unius esse Authoris, sed quædam habere ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio innominato interprete: quæ fuit etiam sententia Azorii, Bonfrerii, Natalis, Marianæ, Gotti, aliorumque apud ipsos. Quæ autem sint, quæ non sint Hieronymi, hisce quatuor assertionibus explicat Bellarminius. Prima: Novum Testamentum ex Hieronymi traductione, non ex antiqua Versione habemus. Jussu enim Damasi Papæ Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit, ut in Præfatione ad Evangelia ipse testatur. Dubitant vero nonnulli, quos inter Gottus, (*Tract. 3. de lib. Vet. Test. c. 6.*) an sola quatuor Evangelia ex Hieronymo, an totum Novum Testamentum habeamus? Ratio dubitandi est, quia Hieronymus ipse in citato loco, hæc, inquit, præsens præfatiuncula quatuor tantum Evangelia pollicetur. Et Augustinus ad eundem scribens: (*Epist. 10.*) Non paucas, inquit, Deo gratias agimus de Opere tuo, quo Evangelium ex Græco transtulisti. Dicendum tamen videtur, Hieronymum totum Novum Testamentum emendasse, exque ejus emendatione vulgatam nostram fere totam esse desumptam. Ipse siquidem nulla inducta limitatione asserit, Vetus se Testamentum ex Hebræo transtulisse, Novum Græ-

cæ

æ fidei reddidiſſe. Deinde pleræque lectiones, quas Hieronymus reprehendit, in Vulgata noſtra non exſtant, ut illa (*in prima ad Corinthios cap. 7.*) *Diviſa eſt uxor, & Virgo;* pro quo nos habemus: *quomodo placeat uxori & diviſus eſt. Mulier innupta &c.* (*In Epiſtola ad Romanos*) *pro tempori ſervientes* emendavit Hieronymus *Domino ſervientes*, ut in Vulgata habetur. Item in prima ad Timothæum pro *humanus ſermo*, Hieronymus legit *fidelis ſermo*, ut Vulgata legit. Similia proferri poſſent plurima ex aliis Epiſtolis, & libris Novi Teſtamenti. Dices vero, hæc legi quidem in Vulgata Hieronymianæ Correctioni conformia; alia tamen eſſe longe plurima, quæ Hieronymus aliter legenda exiſtimavit, ac in Vulgata noſtra leguntur. Ut enim non ſingula commemorando faſtidium lectori faciam, in ſola Epiſtola ad Galatas lectionem Vulgatæ noſtræ undevigeſies reprehendit Hieronymus; in Epiſtola autem ad Epheſios quinquies & vigeſies: non ergo harum Epiſtolarum Verſionem ab Hieronymo deſumpſit Eccleſia.

3. Reſpondeo tamen primo, Hieronymum plurima mutanda exiſtimaviſſe, (*In Præf. Evang. ad Damas.*) quæ tamen non reapſe mutavit; ut enim ipſe ait, ne multum ab Latinæ lectionis conſuetudine diſcreparent, ita calamum temperavimus, ut iis tantum, quæ ſenſum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant. Secundo, fieri etiam potuiſſe, ut dum Commentaria contexuit (nam hæc ante emendationem Novi Teſtamenti ſcripta eſſe, conſtat ex ejus libro de Viris illuſtribus) illa exiſtimaret eſſe mutanda, quæ tamen poſtea, quum Novum Teſtamentum emendandum ſuſcepit, re fortaſſe melius conſiderata, intacta reliquit: & certe plura ſunt loca in Vulgata noſtra melius expreſſa, quam ut Hieronymus in Commentariis exprimenda putaverat, ut illud: (*ad Gal. 1.*) *Non acquievi carni, & ſanguini*, pro quo Hieronymus: *Non contuli cum carne, & ſanguine. Sapere ad Sobrietatem*, (*ad Rom. 12.*) pro quo Hieronymus: *ad pudicitiam*. Et in prima ad Corinthios: (*cap. 13.*) *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*, pro quo Hieronymus: *ita ut glorier &c.* Tertio denique reſponderi poteſt, ea argumentatione ſolum effici, Hieronymianam Verſionem ita ab Eccleſia fuiſſe ſuſceptam, ut plura tamen ex antiqua Verſione retinuerit, quod in ipſa noſtra Propoſitione aſſerimus. Ad rationem autem dubitandi dicitur, eam quidem præfationem de ſolis Evangeliis loqui, quæ ſola fortaſſe intellexit Auguſtinus; reliquos tamen Novi Teſtamenti libros emendaſſe Hieronymum, ejuſque emendationem Eccleſiam ut plurimum eſſe ſequutam ea argumentatione non impugnari.

4. Secunda Bellarminii propoſitio talis eſt: (*Lib. 2. de ver. Dei c. 9.*) Pſalterium Vulgatæ Editionis non eſt illud, quod ex Hebræo traſtulit

lit Hieronymus, nec illud quod transtulit ex Græco τῶν Septuaginta; sed illud, quod ipse emendavit desumptum, atque in Latinam Linguam ab antiquo incerto Interprete translatum ex Versione Luciani Martyris, circa quod bis laborasse Hieronymum, constat ex Præfatione in Psalmos ad Paulam, & Eustochium. Singulas suæ propositionis partes probat Bellarminius: & primam quidem, quia Versio illa ex Hebræo multum a Vulgata nostra editione differt, ut innumeris exemplis probari posset. Exstat porro inter ipsius Hieronymi, ubi cuilibet ipsam adeundi, & utriusque comparandæ copia præsto est. Hanc nulla Ecclesiarum hactenus in usum recepit. Quum enim (*Præf. ad Damas.*) Psalmi quotidie in Ecclesia canerentur, & ab Christiana plebe memoria tenerentur, vix sine gravi plebis offensione adeo ingens, & repentina mutatio fieri potuisset. Secundam quoque Versionem ex Græca τῶν 70. in multis quoque ab nostra discrepare manifestum est. Eam tamen Versionem retinuerunt nonnullis sæculis Galliarum Ecclesiæ. Jam vero ex duabus emendationibus Vulgatæ, aut Lucianææ Editionis, aliam quidem Romana Ecclesia retinuit, ut ipse scribit Hieronymus; (*lib. 2. Apolog. adv. Rufin c. 8.*) aliam vero, quæ obelis, & asteriscis distincta erat, de qua in cit. Epist. ad Paul., Hispania suscepit, & Gothorum tempore in usu fuit, ut ex Isidoro, Juliano, aliisque illius ævi Scriptoribus apparet, retentusque fuit in locis illis omnibus, ubi Gothici ritus vigebant.

5. Tertia Bellarminii propositio est ejusmodi: Probabile nobis est, libros Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum nos non habere ex Versione Hieronymi, sed ex antiqua translatione, cujus ignoratur Author. Hanc assertionem multa firmant. 1. Quod numquam Hieronymus se hos libros transtulisse scripserit, neque ullæ exstent ejus in eosdem præfationes, quum se singulis libris præfatiunculas addidisse, testetur ad Augustinum scribens. (*Epist. 11.*) 2. Quod Cyprianus, (*præsertim in lib. de exort. Martyrji.*) aliique Patres Hieronymo antiquiores horum librorum testimonia citant eodem fere modo, quo nunc in Vulgata nostra legnntur. 3. Quod Hieronymus (*Prol. Galeat. & ex præf. Proverb.*) hos libros pro Canonicis non habuerit. Tamen hæc ratio, quæ potissima videtur, non convincit, quia nec Tobiam, nec Danielis additamenta Hieronymus pro Canonicis habuit, & transtulit tamen, ut vidimus supra, quum de illis ageremus.

6. Quarta Bellarminii assertio: Reliquos omnes libros Veteris Testamenti in Vulgata nostra habemus de Versione Hieronymi: quam ex Hebraicis Codicibus adornavit. Nam primo Vulgatam nostram esse ex ipso Hebraico fonte deductam, ipsa per se quodammodo clamat, & omnes fatentur; de Hebræo autem in Latinum sermonem solus Hieronymus Scripturas convertit, ut ait Isidorus, & habet e-

tiam

Digitized by Google

tiam Augustinus. (*lib. 18. de Civ. Dei cap. 43.*) 2. Quia ea omnia, quæ Hieronymus apud 70. deesse testatur, & se in sua translatione addidisse, in Vulgata nostra inveniuntur, ut libri Job versus plurimi, & plures aliorum librorum. Tertio item: ea omnia, quæ Hieronymus aliter se, ac Septuaginta vertisse affirmat, (*Ep. 89. ad Aug. quæ est XI. int. Ep. Aug.*) in Vulgata nostra juxta Hieronymi translationem leguntur, ut in Genes. (*cap. 2.*) *die septima* pro *sexta*: *virago* pro *mulier*: *soporem* pro *ecstasim*; & in Jona Propheta (*cap. 4.*) *hederam* pro *cucurbita*. Quarto denique id convincitur ex præfationibus Hieronymianis in singulos suæ translationis libros; neque enim credere par est, versionem totam periisse, aut rejectas esse, & solas præfatiunculas fuisse retentas. Solum esse poterat difficultas de libris Tobiæ, Judith, atque aliis, qui in Hebraico Canone non extant, quos propterea Mariana Hieronymianæ Versionis non esse, existimavit, eo vel maxime, quod stylus, in Tobia præcipue, humilior videtur. Hoc tamen non obstante, Hieronymum hosce libros transtulisse, certo certius est, & eam esse translationem, quæ in Vulgatis nostris legitur, liquet ex præfationibus iisdem libris adjectis.

7. Rationes porro, quibus Sanctes Pagninus, aliique probare conantur, Vulgatam nostram Hieronymi opus non esse facili negotio diluuntur. Opponunt enim, 1. Hieronymi Versionem obelis, & astericis distinctam esse, quorum nullum est in Vulgata nostra vestigium. Respondemus tamen, id quidem verum esse de Versione Hieronymi ex Græca Septuaginta Interpretum, non de Versione ex Hebræo, quam numquam ille obelis, & asteriscis distinxit. Solum igitur in Psalterio obeli, & asterisci esse debuissent, ut ipse adnotavit Hieronymus; (*In Epist. ad August. supra citat. & in præf. Psalt. & in Epist. ad Sun. & Fretellam.*) sed vel librariorum incuria exciderunt, quod mirum non est, quum Hieronymo ipso vivente excidere cæpissent, ut ipse in illa eadem præfatione conqueritur: vel certe quum in Psalmis non omnino Hieronymi emendationem Ecclesia sit sequuta, etiam in iis, quæ ab eodem desumpsit, earum notularum fastidiosam legentibus, & jam fere inutilem adnotationem prætermisit.

8. Secundo arguit idem Sanctes: Vulgata nostra pluribus in locis ab Hebraica veritate dissentit; atqui Hieronymus sanctissime jurat, se nihil augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in Hebræo habetur, libros Hebraicos Latinæ linguæ tradidisse: ergo. Respondemus primo, eam dissensionem, ubi invenitur, librariorum oscitantiæ, aut ignorantiæ tribuendam, de qua sæpe conquestus est ipse Hieronymus. (*In suis Præf.*) Secundo, Patrem illum

non

non verba verbis, sed sensum sensu reddidisse, ut faciendum ipse suasit in libro de optimo interpretandi genere: ex quo fit, ut ab Græcis, aut Hebraicis fontibus non reipsa, sed verbis solum dissentiat. Respondeo tertio, Ecclesiam pluribus in locis retinuisse lectionem Veteris Vulgatæ, quæ cum ab translatione Seniorum Septuaginta desumpta sit, plus ab Hebraico textu deviat, quam illa Hieronymi.

9. Tertio argumentatur Author idem ex innumeris locis, quæ aliter leguntur in Vulgata, ac legendum censuit Hieronymus. Verum huic argumentationi jam supra occurrimus. Hic solum addendum videtur ex Bellarminio, diversitatem illam oriri potuisse 1. Ex librariorum incuria. 2. Ex ipsa vocum Hebraicarum ambiguitate, ex qua factum est, ut Hieronymus ipse diversis in locis diversimode interpretatus sit. Sic exempli gratia, in Psalmo 2. Hieronymus alibi legit: *Adorate pure*, alibi; *adorate filium*, ubi nos habemus: *Apprehendite disciplinam*. Item notandum, Hieronymum ipsum haud semel semet correxisse. Exempli gratia (*in Cap. 11. Isaiæ*; *lib. de opt. gener. interpret. & alibi*) ubi enim Vulgata nostra legit: *Et flos de radice ejus ascendet*, Hieronymus legendum censuit *Et Nazaræus de radice ejus ascendet*, reprehenditque Vulgatæ nostræ, & Septuaginta Interpretum lectionem. At ipsemet alio in loco vertit sicut Septuaginta, & Vulgata legit; cujus rei rationem reddens in Commentario: Verbum hic positum, inquit, non per *Zain*, sed per *Tsade* scriptum est, atque adeo non Nazaræus, sed flos legi debet. Denique nonnumquam Hieronymus, quamvis Vulgatam lectionem reprehendere videatur, (*In quæst. hebrai. cap. 1. Gen.*) non eam tamen improbat, sed vim Hebraicæ vocis, atque energiam explicare solum intendit, ut quum ait pro eo, quod nos habemus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, in Hebræo haberi: *Spiritus Domini incubabat aquis, sive fovebat aquas*.

10. Hieronymiana porro Versio, ut in bujusmodi rebus fieri solet, diversam subiit fortunam; ab aliquibus enim magno plausu recepta est, ab aliis non probata, e quorum numero fuerunt Ruffinus, & Augustinus. Dein paulatim authoritatem obtinuit, adeo ut Gregorii Magni tempore fere pari cum antiqua Vulgata consensu in Romana Ecclesia legeretur, ut ejus supra relata verba significant; immo Gregorius (*lib. 2. Moral. c. 3.*) novam Versionem (ita enim Hieronymianam appellabat) veteri præfert, quod cuncta, inquit, verius transtulisse perhibetur, ut propterea credendum sit, quidquid in ea dicitur. Paulo vero post Isidori Hispalensis tempore omnibus in Ecclesiis Latinis legebatur. Scribit enim, (*lib. 1. de Offic. div. c. 12.*) editionem Hieronymi generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque usurpant

Digitized by Google

pant pro eo, quod veracior sit in sententiis, & clarior in verbis? Ita tacito potius consensu, quam ullo Pontificum, aut Conciliorum decreto prævaluit, donec per Tridentinam Synodum summum authoritatis gradum est consequuta, ut jam dicemus.

PROPOSITIO X.

Vulgata Authentica est.

1. Cujuscumque demum Authoris Vulgata sit, eam tamen authenticam esse, Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi sanctione stabilitum est, ne omni vento doctrinæ circumferamur, quasi parvuli fluctuantes ad circumventionem erroris. Synodus quippe (*Sess. 4. c. 2.*) considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in pubblicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, atque expositionibus pro authentica habeatur, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Quam Concilii definitionem egregiis etiam rationibus Theologi confirmant. Nam ab Gregorii Magni tempore usque ad Tridentinam Synodum per annos fere mille Ecclesia Latina hac eadem Vulgata editione usa est: ergo vel per tot annos vera, & germana Scripturarum Versione, atque intelligentia caruit; aut ea Versio vera, germana, atque authentica est, sincerumque, ac proprium Dei Verbum. At primum dicere, stultum est, atque impium, nam ut in re simili dixit Hieronymus, (*Præf. in Esdr.*) Hebræi sermonis ignari facile errarent ignorantes quis e multis verius dixerit, aut Sacræ Scripturæ sensum relinquentes uniuscujusque interpretis sequerentur errorem: ergo Vetus hæc, & Vulgata verum, ac genuinum Dei Verbum est. Secundo: Quum Hebraica, & Græca Ecclesia sua quæque lingua authenticam habuerint Scripturam, aut ejus Versionem, ea carere non potuit Ecclesia Latina, ubi prima Sedes, & Fidei Cathedra stabilienda erat, ad quam propter suam principalitatem necesse est, ut Irenæus inquit, (*lib. 1. c. 20. adver. hær.*) omnem aliam Ecclesiam convenire. Tertio: Quum paucissimi inveniantur Græcæ, multoque minus Hebraicæ linguæ periti, & Judæi ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, Græci vero ab octavo Sæculo infensissimi sint Latinæ, & Romanæ Ecclesiæ hostes, male provisum esset Ecclesiæ Dei, si in fide, & morum decisionibus ad Judæos, aut Græcos recurrendum esset, atque ab infidelibus, & postremis hisce sæculis in barbariem, & sum-

Digitized by Google

& summam rerum etiam suarum ignorationem delapsis emendicanda veritas. Quarto: Aut Vulgata nostra illa est ipsa vetus, & communis, quam Augustinus *Italam* vocat, aut est illa Hieronymi? Si prima, habet testimonium Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Optati, Paulini, & reliquorum Latinorum, qui sex prioribus Sæculis scripserunt. Si secunda, habet testimonium Augustini ejusdem ajentis: (*De Civit. lib. 18. cap. 43.*) Non defuit nostris temporibus Hieronymus Presbyter, homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo in Latinum Scripturas convertit, cujus litterarium laborem fatentur Hebræi esse veracem. Gregorii dicentis, (*lib. 20. Mor. cap. 24.*) in nova translatione cuncta verius esse transfusa. Isidori testantis, (*lib. 6. Ety. cap. 5.*) Hieronymum eleganter transtulisse, ejusque interpretationem merito cæteris anteponi. Similia Rabbanus, Anselmus, Rupertus, Bernardus, & quotquot ab octavo usque ad præsens Sæculum extiterunt Patres, & Ecclesiastici Doctores. Habet insuper testimonium Græcorum, (*2. contra Ruffin.*) qui Latini hominis Versionem post tot suos interpretes non fastidierunt. Habet denique testimonium ipsorum Hebræorum teste Augustino, (*Epist. 10. ad Hieron.*) quamvis Veteris Testamenti translationi non nimis propitio, & ipsomet Hieronymo, qui ad Hebræos passim provocat, & quem sapientem translatorem, doctumque interpretem appellant celebres Rabbini Aben-Esra, Joseph, atque Elias Levita.

2. Hoc ita statuto, superesse videtur explicandum, quo sensu Vulgata hæc nostra Authentica dicatur; nec enim apud omnes Græca illa vox habere videtur eandem significationem. Dicendum vero, hic eam vocem in eo proprio, ac germano sensu accipi debere, ut sit instrumentum ex se fidem faciens in judicio, & supremæ authoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæstionem vocari debeat, ut Juris consultus loquitur: adeoque Vulgatam authenticam dici primo, quia ex se sufficiens est ad fidem in Controversiis de Religione faciendam. Secundo, quia verius, fidelius, & clarius, majorique energia vique verborum, & perspicuitate sententiæ originarium textum exprimat, quam aliqua, quæ hactenus prodiit, Latina Versio. Tertio, non facta dumtaxat comparatione ad Versiones reliquas, sed absolute, ac simpliciter ex vi hujus decreti tenendum est, Vulgatam Versionem fidelissimam, ac sincerissimam esse, nihilque in ea aut subdole, aut fraudulenter mutatum, additum, aut substractum esse, vel ita obscure, atque ambigue dictum, ut aliquis inde error contra fidem, aut bonos mores oriri possit. Quarto addit Bonfrerius in Prælogomenis, importari etiam hoc nomine amplius aliquid, quam ut nihil sit, quod fidei, ac bonis moribus repugnet, nimirum nihil esse in ea, quod aperte falsitatis, aut contradictionis argui possit.

Digitized by Google

13. Ex dictis quædam dubia resolvuntur, quorum primum illud eſt. Utrum per hanc Concilii definitionem omnis recursus ad Hebraicos, & Græcos fontes, aut omnino sublatus sit, aut saltem inutilis relictus? Qua in re non aliis magis credendum existimo, quam iis, qui eidem Concilio interfuerunt, ejusque mentem perspectam magis habere poterant: e quorum numero Alphonsus Salmeron ita scribit (*prologemeno 3. ad Evangel.*) Nihil tunc de Hebraicis, aut Græcis exemplaribus agebatur: tantum inter tot editiones Latinas, quas nostra sæcula parturierunt, quænam ex illis præstaret, sermo erat. Liberum autem relinquit omnibus, qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes Hebraicos, aut Græcos, quatenus opus sit, consulere. In eandem sententiam Andræas Vega magni nominis in eodem Concilio Theologus: Itaque, inquit, (*lib. 15. in Trid. cap. 9.*) nemo per hanc approbationem Vulgatæ editionis impeditur, quominus, ubi hæsitaverit, ad fontes recurrat, & in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juventur, & locupletentur Latini, & Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, & quæ sensui Spiritus Sancti, & ipsis fontibus sint magis consentanea, assequantur. His duobus velut oculatis testibus accedit Bellarminius inquiens (*in 2. de Verbo Dei cap. 10.*) Patres nullam fontium mentionem fecerunt, sed solum ex tot Latinis Versionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent, & (quod Ecclesiæ gravitatem, & constantiam decebat) antiquam novis, longo usu probatam recentibus adhuc, atque ut ita dicam, crudis, denique unam multis inter se dissidentibus, & pugnantibus prætulerunt. Eadem fere Canus, Mariana, Lamy, Natalis Alexander, Sixtus Senensis, Bonfrerius, & Recentiorum plerique.

14. Quum ergo ad Hebraicos, & Græcos fontes recurrere per Tridentinum liceat, restat inquirendum: quando opus sit, quando non sit opus illos consulere? Pro quo sex sequentes regulas adhibemus. Prima sit illa ex Melchiore Cano: (*lib. 2. cap. 14. & 15.*) In fidei, morumque disputatione non opus est ad Hebraica, Græcave exemplaria provocare. Secunda ex eodem: In his, quæ ad fidem, & mores pertinent, non sunt Latina exemplaria per Hebraica, Græcave corrigenda. Quia vero, ut Augustinus inquit, (*lib. 15. de civ. Dei c. 13.*) quando aliquod dubium emergit, ei potius linguæ credendum est, unde est in aliam facta translatio, licebit ad Hebraicos, aut Græcos fontes recurrere. Primo, quando librariorum error aperte cognoscitur, ut in versu illo Psalmi 41. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quum legendum sit: *fortem vivum*, ut omnia habent tam Hebraica, quam Græca exemplaria. Secundo id opus erit, quando Latini Codices ita variant, ut quænam sit vera Vulga-

tæ

Digitized by Google

tæ lectio, certo statui non possit. Sic in libro Josue (c. 5.) quidam Codices legunt: *Quibus juravit, ut ostenderet eis terram fluentem &c.*; in aliis vero contraria habetur sententia: *Quibus juravit, ut non ostenderet &c.*: quam esse veram, & genuinam lectionem ex Hebraico textu convincitur. Tertio: quando verbum, aut sententia in Latino anceps est, ut illud: (*Ps. 138.*) *Non est occultatum os meum a te*; ubi nescias, an de osse, an de ore dictum sit; sed in Hebræo clarum est de osse loqui; habetur enim vox עצמי, quæ ambiguæ significationis non est. Quarto; quando licet verba perspicua sint, loquutio tamen, aut sententia secundum omnem suam proprietatem, atque ενεργειαν haberi non potest, nisi ad fontem recurrendo, ut quum de Obstetricibus Ægyptiis dicitur: (*Exod. 1.*) *Et Dominus ædificavit eis domos*, & alia hujusmodi, quæ Hebraismum redolent.

5. Secunda quæstio talis est: Utrum Vulgata ita Authentica habenda sit, ut nullum in ea vel levissimum mendum inveniatur, aut ita recte translata, ut non melius, atque aptius verti posset? Et plurima quidem in Vulgatam irrepsisse menda, Concilium ipsum supponit, jubens proinde, ut deinceps Sacra Biblia quam emendatissime fieri possit, imprimatur. Audiatur iterum supra laudatus Vega: Synodus non approbavit menda, quæ linguarum periti, & in Sacris litteris mediocriter versati in Vulgata deprehendunt . . . Interpretem illius, quisquis ille fuerit, sciebat non esse Prophetam; nec nos meruisse hactenus quemquam, qui eodem in omnibus spiritu sacras litteras a propria, & nativa lingua in aliam linguam transfuderit: ac proinde neque cohibuit, neque cohibere potuit linguarum Studiosorum industriam, qui aliquando docent, melius aliqua verti potuisse, & uno eodemque verbo vel plures nobis Spiritum Sanctum sensus suggessisse, vel certe alios commodiores, quam e Vulgata editione haberi poterant. Sed in honorem vetustatis . . . & ad tollendam confusionem, quam affert multitudo translationum, & temperandam licentiam nimiam cudendi semper novas . . . eatenus voluit authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, aut moribus colligi possit. Audiatur & Sixtus Senensis, (*lib. 8. Biblia Sancta*) cujus verba supradicta omnia de Vulgatæ authenticitate egregie illustrant, confirmantque: Et si in ea, inquit, ejusmodi errata inveniantur, certum tamen est, neque in veteri, neque in nova editione (Itala nimirum, aut Hieronymiana) aliquid umquam inventum esse, quod fuerit vel a veritate Christianæ fidei devium, falsumve, ac mendax, vel contrarium dogmatibus, aut regulis orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omissum, vel adeo depravatum, ut occasionem perniciose errandi

Digitized by Google

attulerit, vel hæresibus, ac pravis dogmatibus materiam, ac fomenta præstiterit, vel ita obscure, aut ambigue versum, ut mysteria nostræ fidei occultaverit, aut non ad sufficientiam, & quantum satis est ad salutem, explicaverit. His affinia scribunt Canus, Azorius, Mariana, Natalis, Bonfrerius, Gottus, Lindanus, Serarius, aliique bene multi.

6. Porro Sixtus V. in Bulla Editioni suæ præfixa statuit, omnes deinde Bibliorum Codices juxta illius exemplar imprimendos, ne minima quidem particula addita, detracta, vel mutata. Ex quo videri posset, Sixtinam editionem fuisse, quam fieri potuit, castigatissimam. At biennio post ex illa ipsa Sixti editione loca plusquam duo millia emendata sunt, & correcta authoritate, & jussu Clementis VIII. opera ac diligentia doctissimorum hominum Baronii, & Bellarminii, qui tamen ipse in Epistola ad Lucam Brugensem, Scias, velim, inquit, Biblia non esse a nobis accuratissime castigata. Multa enim de industria justis de causis prætermisimus, quæ correctione indigere videbantur. Et alibi: Tu ipse plane vides, non facile hujusmodi mutationes in Sacro Textu esse faciendas, quamvis utilissimum sit, ut viri docti quum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum, tui similium admoneantur: Omni tamen exceptione majora sunt ipsius Clementis VIII. verba in præfatione ad eamdem illam suam editionem. Alia, inquit, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt, tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit, tum quod facile credendum sit, ut majores nostri copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint. Quos tamen defectus, ac leviora errata, inquit Mariana, (*Tract. de edit. vulga. epist. ad Sander.*) Hieronymus ipse consulto reliquisse, testatus est, & Ecclesia similiter ex professo reliquit .... Primo, quia nihil ex his tam levibus erratis in fide, ac moribus imminere censuerunt. Deinde, ne fideles importunæ, ac nimium exactæ correctionis novitate offenderentur, quorum aures ab infantia vetus illa editio præoccupaverat. Postremo, ut vetustam illam editionem venerarentur, quæ, ut Hieronymus inquit, nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, utque sanctam illam, & venerandam simplicitatem antiqui interpretis, qui non sermonis ornatum, sed rerum veritatem quæsivit, sua approbatione honorarent, & majorum vestigia sequerentur. Quæ omnia adeo veritati, ac recto de rebus judicio conformia sunt, ut ipsi etiam Concilii Tridentini hostes infensissimi, quos inter maximus Lutherus, (*In Comment. de ult. verb. David*) eadem aliquando scribere coacti sint. Omnino melius esset, inquit ille, retinere illam hactenus receptam, & usitatam Bibliorum versionem, quam tot novas cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo, & discrepantia lectionum memoriam legen-

Digitized by Google

legentium turbat, & studium remoratur, atque in multis locis incertiorem; quam fuerat, lectorem dimittit.

7. Patet hinc responsio ad tertium dubium, quod hic ab nonnullis proponi solet, an nimirum Vulgatæ Versionis interpres Propheta fuerit: sive (quod idem est) an singulari Spiritus Sancti afflatu versionem suam perfecerit? Quum enim idem Hieronymus fassus sit, se nonnunquam, (*ut in Cap. Isaiæ 19.*) dum celeriter, quæ scripta sunt, vertit, ambiguitate deceptum, *refrænantem* dixisse, quod significantius Aquila transtulit σπιβλοντα, id est, *lascivientem*, patet, ipsum non divino instinctu, sed humano ingenio, ac diligentia fuisse interpretatum. Quod ipsum de antiquo Vulgatæ Versionis interprete dicendum, cujus tot lapsus Hieronymus ipse adnotavit, castigavitque. Vide Bellarminium, Marianam locis ante citatis, & Azorium. (*lib. 2. cap. 3.*)

8. Porro argumenta, quæ contra Vulgatæ authoritatem, & Tridentini sanctionem objiciuntur, ex iis locis desumpta sunt, quæ aut mendose, aut ambigue, vel improprie translata esse dicuntur, quorum longum catalogum texit Lucas Brugensis. Ex hoc tria supra centum insigniora adnotavit Natalis Alexander. (*Dissert. 39. Sæc. 4.*) Nonnullorum tamen ex iis defensionem jam ante susceperat Bellarminius; (*lib. 2. de verb. Dei, c. 10., & seq.*) apud quos videri possunt.

PROPOSITIO XI.

Reliquæ Catholicorum Versiones privatæ authoritatis sunt.

1. AB Hebraico textu in Latinum sermonem nemo ante Hieronymum, neque post ipsum per duodecim fere sæcula interpretationem aggressus est. Sæculo tandem decimo sexto id opus tentavit Sanctes Pagninus Lucensis, Ordinis Prædicatorum; hortante, & sumptus necessarios suppeditante Leone X. Pontifice Maximo, quod tamen non nisi Clemente VIII. sedente, in lucem prodiit. Ejus laborem Hebræorum peritissimis adeo probatum fuisse, inquit ejusdem familiæ Scriptor Sixtus Senensis, (*lib. 4. Biblit. Sanct.*) ut reliquis omnibus, quum præcedentibus, tum quæ deinceps prodierunt, ejus translationem prætulerint. Summis etiam laudibus eam prosequuti sunt alii plures, quum Protestantes, tum Catholici, Buxtorfius, Matthæus Polus, Lutherus, Arias Montanus, Huetius, Genebrardus, (*Præf. in Origen. opera*) qui tamen non ita eam laudat, ut non plura reprehendat. En ejus verba: Sanctis Pagnini versio secundum Vulgatam omnium optima; sed, ut libere dicam, nimis diligens, nimis

ambitiosa, nimis curiosa, nimis Grammatica, nimis Rabbinicarum minutiarum æmula, quæque recentium præceptionum subtilitate nomen sinceritatis, & sententiarum, & rerum sæpiuscule afferat; unde nec satis interdum cohæret cum Veterum Hebræorum doctrina, neque cum fidei Catholicæ mysteriis. Quin in propriis nominibus hominum, fluviorum, Regionum parum fidelis est. Eamdem huic Authori notam inurit Richardus Simon, (*Hist. crit. Vet. Testam. lib. 2. cap. 20.*) & Leo Castrius, qui etiam addit, Scripturam invitam, ac reluctantem ad Judaicos sensus ab eodem detorqueri.

2. Arias Montanus deinde Hispalensis Doctor a Philippo II. Rege Catholico Antuerpiam missus, adscito in societatem Andrea Magio, Regiam Bibliorum editionem adornavit linguis quinque, Hebraica, Chaldaica, Syriaca; Græca, & Latina. Ariæ quidem id fuisse videtur propositum, ut Sanctis Pagnini Versionem relegeret, & ubi ab Hebraico dissidentem vidisset, emendaret. Hac vero sua emendatione adeo longe progressus est, ut verba inusitata, & loquutiones inauditas fingendo, ac vocum significationes substituendo locis incongruas, non tam Pagnini Versionem expurgasse, quam novam cudisse, dicendus sit. De qua Richardus Simon laudatus: Vere, inquit, atque acute de ejus emendatione dictum est, quot correctiones, tot corruptiones. Nedum enim vitia non castigavit, quæ innumera erant, sed prorsus auxit. Lubet ex Bonfrerio (*in præloq. c. 18.*) nonnulla harum correctionum exempla hic attexere. Genesis quarto verterat Pagninus fere cum Vulgata: Ipse fuit pater inhabitantis tentorium; Arias vero: Ipse fuit pater sedentis tentorium. Pagninus fere cum Vulgata: Separa te nunc a me; si ieris ad sinistram, dexteram tenebo; & si ad dexteram ieris, sinistram tenebo; Arias autem: Separare nunc desuper me: si ad sinistram, & dextrabo; & si ad dextram, sinistrabo: quo nihil horridius, aut putidius dici potest. Laudant tamen Ariæ Montani Versionem Thuanus in Hist. ad ann. 1598, Vossius, & Justus Lipsius.

3. Nonnihil etiam nominis, atque authoritatis apud Catholicos obtinuit sub Francisci Vatabli Professoris Regii nomine edita Parisiis Bibliorum Versio, quam & ipse Scholiis locupletasse, dicitur, ex Rabbinorum potissimum penu depromptis. Sunt qui cum Genebrardo (*loc. cit.*) Versionem illam, & Scholia non Vatablo ipsi, sed aliquibus ejus discipulis tribuant, qui oscitanter ab egregio Magistro accepta, pejus deinde exposuerint. Sunt qui cum Tigurina Versione confundant, de qua infra dicemus. Porro, si ea editio Vatabli ipsius est, Vatablus, inquit Genebrardus (quod horreo cogitare, non modo dicere) vel malitiosissimus fuit, vel Hebraicæ linguæ ignarissimus. Quippe, quam pessime potuit, maximam partem, & potiorem

Scri-

Scripturæ convertit, velut de industria ab littera, sensuque discedens, & data opera aberrationem ab Hebraica veritate appetens, ut eum dum lego, mihi videar alio in mundo versari, & non Sacras litteras legere, sed fabulas è Sacris litteris deductas, ac delineatas, sed farragines è verbo, & humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tam ad veritatem, quam ad vertentis opinionem pertineant. Hæc Genebrardus, cujus mihi censura non tam in veram, & germanam Vatabli editionem, quam in supposititiam, atque spuriam quadrare videtur; de qua mox dicemus. Porro, quum Vatabli editio illa non paucis erroribus a Roberto Stephano Typographo corrupta diceretur, Catholicorum Theologorum diligentia, & pietate in Hispania purgata est, ac Salmanticæ prodiit anno 1584. correctius edita. Videatur laudatus Richardus.

4. Quartam post hos Versionem ex Hebraicis, Græcisque fontibus elaboravit Thomas Malvenda Hispanus, Ordinis Prædicatorum: quæ tamen Authoris nomen alioqui non ignotum obscuravit potius, quam auxit. Adeo enim barbara, adeo inconstans est, inquit Richardus ipse, ut nisi Author statim notas explanationis gratia, & textus ipsius explicationem adjecisset, nullius plane utilitatis esset, quum iisdem vitiis, & quidem crebrioribus scateat, quam illa Ariæ Montani. Siquis itaque Versionem pure Grammaticam sacri Textus habere cupit, legat Malvendam, qui ipsi & Grammaticæ, & Dictionarii instar unius erit. Hæc ille.

5. Horum vestigia sequutus Thomas de Vio Cajetanus, ex eodem Ordine Prædicatorum, S. R. E. Cardinalis, quamvis quum Hebraicæ, tum Græcæ linguæ ignarus, adhibitis tamen Viris duobus in utraque peritis, altero Judæo, altero Christiano, Librorum omnium divinorum Versionem perfecit. Hanc citatus Richardus pluris fecisse videtur quam illam Malvendæ, atque Ariæ Montani, & ipsum, ait, quamvis Græce nesciret, aut Hebraice, de utraque tamen lingua peritius quam multos alios, qui mediocriter illas calluerant, judicasse, ac disseruisse. Plura tamen in eo reprehenduntur, quorum illud maximum, litteræ, quam sensui fuisse addictiorem, quum persuasum haberet, Verbi Dei translationem non nisi omnino verbalem, ac litteralem esse debere, quippe cui addere quidpiam, vel mutare, omnino prohibitum, atque irreligiosum esset. Nisi enim, ajebat, textus adsit talis, qualis est in sua origine, jam non textus exponitur nisi divinando, sed mens, & opinio illius interpretis explicatur. Atque utinam, addebat, talis habita fuisset interpretatio, sic mutila a priscis Patribus! Haberemus etenim jam ab illis expositum textum ipsum Sacræ Scripturæ, & non textum confictum Interpretum arbitrio. Hæc Cajetanus, (*Præf. in lib. Psal.*) quamvis ante Concilii Tri-

Digitized by Google

dentini definitionem, tamen audacter, ne quid gravius dixerim. Nimirum ante Cajetani ætatem Ecclesia Dei non verum Dei Verbum, sed hominum commenta, atque opinationes sequuta est: Patres, & Theologi per quindecim sæcula non Divinam Scripturam, sed arbitrarias hominum sententias interpretati sunt.

6. De hac Cajetani Versione Vir ejusdem familiæ Melchior Canus, Cajetanus, inquit, (*lib. 2. c. 13.*) eisdem semper vestigiis inhærendo (Pagnini, atque Eugubini) per omnia in Veteri Testamento Hebraicos, in Novo Græcos Codices prorsus amplectitur, vix ulla Latini Interpretis habita ratione. Non est autem a se ipso admonitus, qui cum in Lucæ caput tertium scriberet, consentaneum rationi esse dixit, ut potius novi Textus Hebraici manci, & corrupti sint, quam ut Septuaginta Interpretes, Viri boni, atque insignes studuerint commento, ac mendacio fingendo. Hæc Canus, & alibi graviora. Cajetani verba supra relata adeo detestantur nonnulli, ut hæreticum ipsum appellare non dubitent. Male tamen audit vir alioqui religiosus, atque eruditus, & multis pro Ecclesia exantlatis laboribus insignis, cujus mentem eam solum fuisse credendum est, ut Versiones Divinorum librorum juxta authographa tantum, idque ad litteram concinnandas esse censuerit, quippe quæ sola germanum, ac sincerum Dei verbum contineant. Ita supra citatus Richardus.

7. Sexto loco adnumerandus venit Isidorus Clarius, Monachus Cassinensis, deinde Episcopus Fulginas, patria Brixiensis. Licet enim non novam ille versionem, sed Vulgatæ emendationem editurum promisisset, adeo tamen ingenti numero ea sunt, quæ mutavit, addidit, expunxit, ut novam Versionem merito fecisse, dici possit, & jure optimo cautum sit per regulam tertiam Indicis librorum prohibitorum Pii V., nequis ejus textum Vulgatæ textum editionis existimet. De eo ita loquitur laudatus Canus: (*loc. cit.*) Nec ferendus Isidorus Clarius, cujus emendatio nihil est aliud, quam Veteris Interpretis reprehensio. Pollicetur enim in Operis fronte Veterem editionem correctam; postea vero cum ista pollicitatione depulit invidiam novitatis, multa injicit, abjicit quædam, nonnulla mutat, ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quam aut Veteris Interpretis errorem, aut Veterum Codicum depravationem. Quam bellum erat potius novam editionem confiteri, quam Veterem emendatam, ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur! Pro hac ergo, & reliquis privatis Versionibus ea servanda regula est, ut admittantur tantum ad Vulgatæ, & primitivorum textuum explicationem, non ut per eas quicquam illis detrahatur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XII.

De Latinis Protestantium Versionibus.

1. PRimam adornavit Sebastianus Munsterus, eamque cæteris omnibus Recentiorum Versionibus præferendam censuit toties citatus Richardus Simon in sua Historia Critica, quod non nudam vocum significationem, sed sensum consectatur. Idem Interpres sane doctus a Huetio dicitur in libro de Claris Interpretibus, in Hebraica semper collineans, ad eaque numquam non se componens. Utinam non adeo, ut relicta antiquorum doctrina, Recentiorum Hebræorum traditionibus animum imbuisset! Munsterus, inquit Genebrardus, (*In Origin.*) neglecta vocum propria notione sæpe Lutheranizat; & a suo D. Francisci Instituto discedit. Eumdem ubique horridum, senticosum, asperum vocat Sixtus Senensis. (*lib. 8. Bibl. Sanct.*) usque adeo Hebraici sermonis horrorem sequutum, ut quum multa Latinis auribus facile accommodare potuisset, omnes tamen Hebraici sermonis proprietates, & phrases adeo servare studuerit, ut nec ipsos Hebræorum nominum stridores prætermiserit.

2. Post hunc Leo Juda, secta Zuinglianus, Versionem ex Hebræo aggressus est, quam quum morte præventus imperfectam reliquisset, Theodorus Bibliander, Conradus Pellicanus, & Petrus Cholinus perfecerunt, quantum scilicet ad Vetus Testamentum: Novum ex Græco Erasmus, dicitur, transtulisse, adjunctis ab eorum unoquoque adnotationibus. Versio hæc, quoniam Tiguri primum prodiit, ejus Urbis Clero dedicata, Tigurina dicta est. Eam deinde, quum Parisiis typis Roberti Stephani prodiisset sub Vatabli nomine, nonnulli ipsius Vatabli genuinum Opus esse, existimarunt. Ejus tamen fœtum non esse, doctioribus, & oculatioribus liquido persuasum est, quum aliis non obscuris indiciis, tum maxime, quod Vatabli in Scripturam Notæ non modo diversa huic Versioni præseferant, sed etiam ex diametro repugnantia, tum quod nimis aperte ad Recentiorum Hæreticorum opiniones accommodata ea Versio sit. Quid? quod Vatablus ipse, ut Genebrardus scribit, (*loc. cit.*) supposititiam hanc prolem ægre tulit, & Robertum Stephanum graviter eam ob rem reprehensum fugere coegit? Tigurinam Versionem uti Hæreticorum fœtum agnovit, ac ne legere quidem voluit Lutherus, ut ipsiusmet verbis testatur Hospinianus. (*In Hist. Sacram ann. 1544.*)

3. Tertius ex eadem gente Sebastianus Castalio ex Hebraico in Latinum sermonem Scripturas convertit elegantius, quam verius, inquit Hoffmanus. (*in Lexic.*) De ea sic loquitur Genebrardus: (*loc.* *cit.*)

cit.) Versio Castalionis affectata est, plus habens pompæ, & phalerarum, quam rei, & firmitatis, plus fuci, quam succi, plus hominis, quam spiritus, plus fumi, quam flammæ, plus humanarum cogitationum, quam divinorum sensuum. Castalio, inquit Vosius, (*Parte 2. Inst. Ora.*) pro baptismo substituit lotionem: pro Angelo, genium: pro fide, confidentiam: pro Ecclesia, Rempublicam, pro Synagoga, Collegium, neque minus inepte in aliis multis. Similia observarunt Richardus Simon, (*Hist. Crit. Vet. Test. lib. 2. cap. 1.*) & Huetius. (*de clar. Interpret.*) Ipsi etiam suæ Religionis homines Castalioni exprobrant ignorantiam, & temeritatem, qua Scripturas Divinas pueriliter, ac ludibunde tractavit: quorum è numero Theodorus Beza jure optimo ait, a se reprehensam Castalionis Versionem non solum ut indoctam, sed etiam ut multis in locis impiam, & a Sancti Spiritus sententia discrepantem. Lubet hic in dictorum confirmationem pauca hæc ex Castalionæa Canticorum Versione exempla subjicere: Veni, mea columbula, ostende mihi tuum vulticulum: fac, ut audiam tuam voculam; nam & voculam habes venustulam, & vulticulum lepidulum. Capite nobis parvulas vulpeculas vinearum vastatriculas. Itane Deo aliquis afflatus Scriptor

Tenero suplantat verba palato?

Scilicet artis coloribus, inquit Canus, (*lib. 2. c. 16.*) imperiti homines Dei Sapientiam pingere, & quasi puellam Rhetorum flosculis ornare volunt. At illa modesta quum sit, non ambit ornatus: quum sit gravis, fucum ignorat: quum virilis, mundo muliebri non capitur. Quid Theopompo acciderit in Scriptura Sacra Rhetorum more ludenti, memoriæ proditum est . . . . Eloquia Domini, eloquia casta, . . . Nec fœminam gravem, honestam, seniorem decebat nisi castus ornatus. Quam ob rem, ingenue dicam, ne illos quidem probare umquam potui, qui Paraphrases quamlibet Latinas, atque elegantes in Sacras Litteras ediderunt. Quum enim personam Christi, Paulive loquentis assumunt, quo elegantius, nitidiusque eloquuntur, eo minus illorum spiritum, & majestatem assequuntur, atque adeo rei quodammodo fiunt læsæ majestatis, atque spiritus. Non est nitidulus Christus, mihi crede, non est comptulus, non elaborate ornatus. Paulus vero non scientia ille quidem, sed sermone imperitus est tamen. Hæc pulchre, ac sapienter Canus.

4. Tandem Latinam totius Sacri Textus versionem communi studio, ac labore ediderunt Emmanuel Tremellius Ferrariensis, & Franciscus Junius Biturix. Eam tamen ex ipsismet Protestantibus Drusius, aliique improbarunt. Tremellius, inquit toties laudatus Richardus Simon,

Digitized by Google

mon, (*loc. cit.*) quum primum Judæus fuisset, singulare quid Judaicum servavit sæpe a sensu recedens, styli quoque affectati reus, & multarum vocum proprio arbitrio additarum. Omnes hi caute legendi, nec eorum utendum versionibus, nisi quatenus ad Vulgatæ authoritatem confirmandam opportunæ visæ fuerint, vel ut earum oppositione elucescat magis, atque ex ore inimicorum, & de manu eorum, qui nos oderunt, assumptis testimoniis Catholicæ fidei veritas roboretur.

PROPOSITIO XIII.

Vulgarium Versionum passim omnibus, & sine discrimine concedenda non est, nec in pubblico, & communi usu Ecclesiæ expedit Scripturas vulgaribus linguis canere, aut legere.

1. PRopositionem hanc in nostrorum temporum Hæreticos multis firmarunt Hossius, & Bellarminius Cardinales, habetque totidem pœne verbis expressam Synodus Tridentina. (*Sess. 22. c. 8. & 9.*) Hinc inter Quesnellianas propositiones has damnavit Clemens XI. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum. Et item: Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei, aliasque in eamdem sententiam plures. Nititur porro ea Tridentini sanctio. 1. In usu Veteris Ecclesiæ, seu Synagogæ ab Esdræ tempore; (*lib. 2. c. 8.*) usque ad Christum. Quamvis enim toto eo tempore lingua Hebraica vulgaris esse desiisset, tamen libri Sacri Hebraica lingua in publicis cœtibus legebantur; unde dicitur apud Joannem: (*c. 7.*) turba hæc, quæ non novit legem; non quia sufficientem ad salutem legis notitiam non haberent (frustra enim, & immerito ab eis exigeretur observatio legis, quam non nossent), sed quia diversa a communi, & vernacula lingua scriptam legem proprio studio, & sine doctiorum interventu scire non poterant. 2. Nititur authoritate, & exemplo Apostolorum, qui quamvis donum linguarum accepissent, tamen Paulus ad Romanos scribens, Græce scripsit, Joannes ad Parthos Græce scripsit, ut Higinus, (*10. ad Coloss. 1.*) & Augustinus (*lib. 2. quæst. Evang. quæst. 39.*) observarunt, nec ullus antiquorum scripti Apostolici meminit nisi Hebraici, Græci, aut Latini, quibus maxime tribus linguis, inquit Hilarius, (*in præfat. ad Psalm.*) Sacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis Regem Judæorum Dominum Jesum Christum esse, præscriberet.

2. Ni-

2. Nititur 3. Usu, & praxi universæ Ecclesiæ, contra cujus communem consuetudinem disputare insolentissimæ insaniæ est, inquit Augustinus. (*Ep. 118.*) Ut enim ipse alibi observat, (*lib. 4. cont. Donatist. c. 24.*) illud, quod ab universa servatur Ecclesia, & cujus non potest assignari principium, credendum est ex Apostolorum traditione descendere, & semper in ea fuisse observatum. Videmus autem, ubicumque Catholici sunt per Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Græciam, Indias &c. Græce tantum, aut Latine divinas Scripturas legi, & cantari solitas, nec ejus rei aliquod potest tantæ antiquitatis assignari principium, ut Concilii alicujus, vel Pontificis decretum: eam igitur praxim ex Apostolica traditione descendere credendum est. Hanc vero antiquissimam universæ Ecclesiæ consuetudinem antiqui omnes Scriptores testantur. Constat enim ex Cypriano, (*Serm. de orat. de Domin.*) Missam in Africa Latine cani solitam, itemque ex Augustino, (*lib. 2. Doct. Christ. c. 11., & 13.*) qui propterea ad intelligentiam Scripturarum triplicis illius linguæ Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ cognitione opus esse ait. Atqui non Latina lingua, sed Punica vulgaris erat Africanis, ut ex Plauto, atque ipsomet Augustino liquet. (*In exposit. inchoat.*, & *Serm. 35. de verb. Dom.*) In Anglia præter quatuor vulgares linguas, Latinam propter Scripturas communem fuisse, testatur Beda. (*lib. 1. Hist. Gent. suæ. c. 1.*) In Hispania non nisi Latina lingua divina Officia celebrari solita patet ex Isidoro, (*In lib. duob. de Divin. offic.*) & Concilio IV. Toletano ante annos plusquam mille celebrato. De Gallia idem testatur Alcuinus, (*lib. de Div. offic.*) atque Amalarius. De Germania Rabanus, (*lib. 2. de inst. Cleric.*) & Rupertus Tuitiensis. De Bohemia idem constat ex Epist. Greg. VII., (*lib. 7. Epist. prop. 9.*) ubi ait, justis de causis se non permisisse, ut Selavonica lingua divina Officia celebrarentur. Vidimus autem supra ex Hieronymo (*Præf. in Paralip.*) a Constantinopoli usque ad Antiochiam Græca Luciani Versione Ecclesias usas fuisse: in tota Syria Versione Origenis: in Ægypto Versione Hesychii, quum tamen in iis Provinciis aliæ præter Græcam linguæ vulgares fuissent, ut de Galatis testatur Hieronymus, (*Præf. lib. 2. in epist. ad Gal.*) & de Ægyptis Athanasius. (*In vit. B. Ant.*) Ponticos quoque, Cappadoces, Phryges, Pamphilios, atque alios Asiæ minoris populos, qui inter Constantinopolim, atque Antiochiam degunt, non eadem communi lingua usos fuisse, colligitur ex Act. Apostolorum.

3. Nititur 4. in dignitate, & majestate divinarum Scripturarum: ex qua factum, ut non vulgari lingua, sed alia ab captu vulgi remotiori tractandæ videantur, nam Sacramentum Regis abscondere bonum est, (*Tob. c. 12.*) & Regiæ dignitati majorem è longinquo reveren-

verentiam haberi, ipsa docemur experientia. Quapropter & duodecim Tabularum leges, & Sybillarum, ac Saliorum Carmina prisco illo Latino idiomate habebantur, & canebantur vocibus, ut ait Quintilianus, ab ipsis Sacerdotibus non satis intellectis, sed quas mutari Religio vetat. Ægyptios non eadem lingua in vulgari sermone, ac in divinis rebus usos fuisse liquet ex Diodoro Siculo, aliisque Authoribus. Idemque de cultis aliis Nationibus facili negotio demonstrari posset. Hinc in Tolosana Synodo ann. 1129. ex antiqua disciplina statutum est, ne libros Veteris Testamenti, aut Novi laici habere permittantur, nisi forte Psalterium, vel Breviarium pro Divinis Officiis, aut Horis B. Mariæ aliquis ex devotione habere velit. Additur vero: Sed ne prædictos libros habeant in vulgari translatos arctissime inhibemus. Idem in Cameracensi ann. 1586. & Hierosolymitana ann. 1672. sub Dositheo Patriarcha, cujus verba alibi dabimus opportunius.

4. Nititur 5. multiplici ratione. 1. Quia ad Ecclesiæ unitatem, & majorem, in divinis præsertim rebus, uniformitatem conservandam spectat, ut divina Officia eadem ubique lingua celebrentur & Ecclesiastici libri eadem communi lingua habeantur. 2. Quia, quum vulgares linguæ fere per singulas hominum ætates mutentur, ut fert Usus,

Quem penes arbitrium est & jus, norma loquendi,

novas subinde versiones fieri opus esset, & innumeris erroribus tribueretur occasio, quibus nulla pubblica Ecclesiæ cura mederi posset, quum de singulis linguis judicare facile non sit. 3. Quia, si ulla esset ratio, cur Scriptura vulgaris fieret, maxime ut populus, plebsque rudis eam legere posset; sed hoc non expedit: Verba enim Scripturarum nude sumpta multorum errorum ansam præberent insipientibus, ut de Antropomorphitis, Thaboritis, Millenariis, aliisque Hæreticis observarunt Eusebius, Cassianus, (*Collat. 10. c. 2. 3. 4. & 5.*) aliique Ecclesiastici Scriptores. Quando crebriores fuerunt hæreses, quam primis quatuor Ecclesiæ sæculis, quibus Græca, & Latina lingua vulgaris erat, aut duobus his postremis, quum tot in Gallia, Germania, & Anglia Vulgares Versiones prodierunt? Quod adeo verum est, ut Lutherus ipse Scripturam *librum Hæreticorum* appellaverit. Deinde quid plebs, quid rustici, quid fœminæ ex libris Psalmorum, Prophetarum, Canticorum, aliisque hujusmodi in vulgarem linguam translatis intelligerent, quum ipsi etiam linguarum primitivarum periti, atque studiosi homines plurium lectis expositionibus ignorent plurima? Nimirum, ut Lutherus ipse ajebat, nossent quid no-

Digitized by Google

nominis, quid rei non nossent; atque adeo nihil sani intelligere possent, litteraque occidente, non spiritu vivificante ducerentur.

5. Quam hæc sapienter, pieque Lutherus! Sui tamen ipse oblitus, totque anthoritatum, ac rationum pondere contempto, & ipse Germanicam Bibliorum Versionem adornavit, & aliis innumeris, quæ deinde ab suis prodierunt, viam aperuit. Synodi namque Dordracensis, Bezæ, Calvini, Castalionis, Deodati, Genevensis, Roberti Olivetani, aliorumque plurimorum circumferuntur Gallicæ, Germanicæ, Belgicæque Versiones, atque Anglicæ, quarum duæ præcipuæ, alia quæ Episcopalis dicitur sub Eduardo VI. condita, alia sub Jacobo. Nec dissimulaverim tamen, fuisse ex Catholicis, & priscis temporibus, & postremis hisce sæculis nonnullos, qui vulgaribus linguis Scripturas ediderint. Nam & Gothicam ab Ulphila illius gentis Episcopo confectam Socrates, Sozomenus, & Theodoretus commemorant, ut supra admonuimus, & Arabicam ab Hispalensi quodam Episcopo elaboratam ex Hispanica Historia didicimus. Lingua etiam Hispana Sancti Vincentii Ferreri tempore sacros libros extitisse translatos, compertum est. Alias præterea duas ejusdem textus Hispanicas Versiones ab Judæis elaboratas, unam Mutinæ, aliam Ferrariæ excusam, atque ejus Urbis Ducibus dicatam. Italicam translationem ab Jacobo de Voragine Ordinis Prædicatorum, Genuensi Episcopo confectam, & magni olim habitam constat, sicut eam etiam, quam Francisco Primo, Galliarum Regi, dedicavit Antonius Bruccioliius. Anglica ab Bedæ tempore extabat. Memoratur item Gallica Versio exeunte Sæculo decimo tertio perfecta, quæ Genevæ in publica Bibliotheca dicitur, asservari: quibus accesserunt recentiores aliæ Catholicorum non multæ. Harum tamen non passim omnibus lectio permittebatur, sed iis dumtaxat, qui ex ea lectione non nocumentum aliquod, sed utilem pietatis fructum consequerentur. Unde dicitur in Regula 4. Indicis librorum prohibitorum Pii V. Quum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia passim sine discrimine vulgari lingua permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut de consilio Parochi, vel Confessoris Bibliorum a Catholicis Authoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex ejusmodi lectione non damnum, sed fidei, & pietatis augmentum capere posse.

6. Opponunt Adversarii: Scripturas cibum esse animarum. Respondeo, cibum quidem esse, sed non ab omnibus eodem modo sumendum esse. Quibusdam enim tamquam parvulis in Christo lacte opus est; non solido cibo, ut Paulus ait. (*Hebr. c. 5.*) Objiciunt, Verbum

bum Dei lucernam esse pedibus Fidelium. Respondeo, Verbum Dei sane intellectum lucernam esse. Ut autem sane intelligatur a rudioribus, Doctorum, & Pastorum explicatione, atque expositione opus esse. Objiciunt loca plurima Patrum, quibus ad populum verba facientes eum ad Scripturarum lectionem hortabantur, inter quæ tritissimum illud Gregorii (*Epist. ad Theodor.*) ex Augustino desumptum: Quid est Scriptura, nisi epistola quædam Omnipotentis Dei ad creaturam suam? Quibus accedit illud Christi Domini: (*Joan. 5.*) Scrutamini Scripturas. Respondeo, alia plurima congeri posse Sanctorum Patrum loca, quibus imperitum Vulgus a lectione Scripturarum arcendum esse, statuunt. Audiatur Hieronymus, cujus tamen exemplo tueri se posse putant Heterodoxi, ut fœminis Scripturarum lectionem permittant. Quod Medicorum est, inquit, (*Epist. ad Paulin. 103.*) promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vendicant.

Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de Sacris litteris philosophantur, alii a fœminis discunt, quod viros doceant, & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia, edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Recte igitur Basilius, quum Demosthenem quemdam, qui apud Valentem Imperatorem Præfectum agebat coquorum, nescio quem Scripturæ locum promentem audivisset, his verbis reprehendit: Tuum est de pulmentis cogitare, non divina dogmata decoquere.

7. Lubet ex Hierosolymitana Synodo Schismaticorum Græcorum præclara hic verba subnectere: Hanc autem, inquit cap. 18. haudquaquam convenit omnes legere, sed eos solum, qui profunda, quæ in ea latent, Spiritus arcana recta interpretatione valent aperire, quique eam, qua exponenda, legenda, docenda est Scriptura, rationem probe norunt. Illitteratis autem Ecclesia Catholica utique dispendium experta lectione ejus interdixit. Itaque omnibus quidem fidelibus sacram audire Scripturam, quatenus corde credant ad justitiam, ore autem confessionem promant ad salutem, permissum est; aliquos vero Scripturæ, ac præsertim Veteris Testamenti libros legere, prohibitum. Et vero perinde est Sacræ Scripturæ lectione illitteratos prohibere, ac ut solidiori abstineant cibo infantibus imperare. Quum igitur Sancti Patres laicos quoscumque ad Scripturarum lectionem hortari videntur, videndum quibus id, & qualibus circumstantiis

sua-

Digitized by Google

suadeant. Chrisostomus enim, (*homil. 9. in Epist. ad Coloss. & alibi*) Antiochenum populum nimis ludis, atque spectaculis deditum avertere conatus, ea dixit per quamdam amplificationem, inquit Bellarminius, (*lib. 2. de verb. Dei. c. 16.*) & aliis exemplis confirmat. Ut enim erat in dicendo impetuosus, ac vehemens, plerumque dum vitia reprehendit, in contrarium extremum abripi videtur: quod etiam de aliis Patrum loquutionibus in alio quovis genere notandum esse, jure admonent Sapientes, & Basilius, Augustinus, ac Theodoretus observarunt. Non autem ideo laicos, atque illitteratos homines quoscumque ad Scripturarum lectionem hortatur Chrisostomus, ut eas proprio Marte intelligere, aut interpretari præsumerent, immo monet, ut domi prius Evangelicam lectionem percurrant, ac deinde ad Ecclesiam se conferant a Pastoribus expositionem, atque interpretationem audituri. Similiter de Scripturis, non in se ipsis, sed in divinorum *Tractatorum* (ita enim Authores Ecclesiasticos Augustinus, & Hieronymus vocant) scriptis legendis interpretandi sunt alii Patres.

8. Gregorius porro non cuicumque de plebe, sed Theodoro Medico, homini litterato, & ingenio præstanti, pioque, sed nimis curis sæcularibus occupato ea scribit. Et quidem Principum, aut Magistratuum edicta, & epistolas ad plebem suam scriptas non omnes viritim legere oportet; sufficit enim, ut primores Civitatis legant, aliisque exponant, ut in Ecclesia accidit, in qua labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem, & ex ore ejus requirent. (*Malach. c. 2.*) Unde apud Aggæum (*Cap. 2.*) dicitur: Interroga Sacerdotes legem Domini; ubi Hieronymus: Ad Sacerdotis disciplinam pertinet interrogatum respondere de lege. Ipse autem Christus non rudem plebem, sed Scribas, & Pharisæos, viros scilicet eruditos, qui ad Joannem legatos miserant, (*Joan. c. 7.*) ad Scripturas scrutandas hortatur, nec ad simplicem, & nudam lectionem, inquit Chrisostomus, (*homil. 40. in Joan.*) sed ad investigationem, & meditationem perquam diligentem, quasi diceret: Vos, qui Scripturas legitis, non eas secundum verborum corticem accipite, sed medullam scrutamini, quoniam illæ testimonium perhibent de me. Alia Heterodoxorum argumenta his similia sunt, atque eodem modo diluuntur. Nonnulla vero, quæ specialem difficultatem continent, dum de Sacrificio Missæ agendum erit, dissolvemus.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XIV.

Scriptura perse non ubique clara, & perspicua est.

1. Evertimus propositione hac potissimum Adversariorum in præcedentem argumentum. Inde siquidem Scripturam ab omnibus legendam, atque adeo in vulgares quaslibet linguas transferendam esse contendunt, quod ipsam per se clarissimam, & omnium captui accommodatam esse velint. Unde Lutherus Scripturas facillimas, apertissimas, & sui solas interpretes esse, dixit in assertione articulorum ad Leonem X., quem reliqui Protestantes sequuti sunt. Quodsi multis multa obscura manent, illorum cœcitate fit, & socordia, qui non agunt, ut clarissimam veritatem videant, inquit Lutherus idem in libro de Servo arbitrio: aut propter Hebraismos, Græcismosque, quibus versiones scatent, ait Brentius. At David nec cœcus erat, nec socors, neque in Hebraica lingua peregrinus: & tamen sæpe lucem a Deo postulat ad intelligendas Scripturas: Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. (*Ps. 118.*) Petrus quoque Apostolus fatetur, (*2. Petri*) in Epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu, quæ perversi homines depravant, inquit, sicut & reliquas Scripturas. Eunuchus item Reginæ Æthiopum rogatus a Philippo, quum Isaiam legeret: (*Actor. 8.*) Putas ne intelligis, quæ legis? Et quomodo possum, inquit, nisi aliquis ostenderit mihi?

2. Idipsum apertissima convincunt Patrum testimonia. Irenæus enim: (*lib. 2. cap. 47.*) Quid mirum, ait, si universis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem Deo commendemus . . . . . & non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, ut semper discat homo, quæ Dei sunt. Origenes, quamvis in eo studio vitam consumpsisset, diebus, ac noctibus obsecrandum esse, ait, (*homil. 12. in Exod.*) ut veniat Agnus Dei, & ipse librum signatum dignetur aperire. Mare enim est divina Scriptura, inquit Ambrosius, (*Ep. 44. ad Conc.*) habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum. Unde Basilius (*proœ. in Isai.*) præter vitæ puritatem, magna in Scripturis exercitatione opus esse, ait, ut majestas, & arcanum divinorum eloquiorum perpetua meditatione animo imprimatur. Namque ideo Deum tenebras offudisse testatur, Nazianzenus, (*in Carm. ad Nemes.*) ut quod non sine labore, ac negotio acceperunt homines, studiose quoque conservent, ac retineant. Numquam, ait Hieronymus, (*in Epist. ad Eph.*) ab adolescentia aut legere, aut doctos Vi-

ros, quæ nesciebam, interrogare cessavi, aut me ipsum habui magistrum. Si enim, inquit alibi, (*Ep. ad Paul.*) David tantus Propheta tenebras ignorantiæ profitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactantes inscitiæ nocte circumdari? Cui Augustinus consonans, (*cap. 3.*) Tanta est, inquit, profunditas litterarum Christianarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere: quibus affinia scribit in locis plurimis; Chrisostomus: Non ait, (*hom. 40. in Joan.*) legite Scripturas, sed scrutamini; divina enim summa indigent diligentia. Inumbra siquidem majoribus illis non abs re loquutus est. Idcirco effodere profundius jubet, ut quæ alte delitescunt, invenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tamquam thesaurus profunde reconditur. Quid Gregorius Papa? Sancta, inquit, Scriptura, quia divinitus inspirata est, tanto sublimius etiam præclara hominum ingenia superat, quanto ipsi præclari homines Deo inferiores sunt, & nihil in illa spirituali sublimitate conspiciunt, nisi quod eis divinæ dignationis bonitate revelatur. Nemo igitur in ejus scientia ita perfectus est, ut proficere ultra non possit, quia inferior est omnis profectus hominis divinitatis altitudine eam inspirante. Omitto in re tritissima innumera & horum, & aliorum testimonia. Quis enim non eadem, quum de divinis Scripturis disserit?

2. Firmatur etiam ratione propositio; nequit enim obvius esse, atque apertus omnibus sensus eorum librorum, in quibus agitur de rebus suapte natura sublimibus, & verbis, ac loquutionibus nusquam alibi usitatis, tropisque, ac figuris frequentibus; at in libris Scripturarum, si rem quidem spectes, agitur de Creatione Mundi, de lapsu Angelorum, & hominum, de mysterio Trinitatis, & Incarnationis, quæ Angelicum captum superant, nedum humanum, de Prædestinatione, de Ecclesia, & reliqua Theologia, ac præterea de eventibus futuris per ænigmata, & figuras obscurissimas: si autem verba considerentur, innumera occurrunt ambigua, trunca, inversa, sibi invicem in specie adversantia, figurata, & figuris quidem in Prophetis, Job, Psalmis, Canticis, & Proverbiis aut raro, aut nunquam alibi usitatis, ut experimento patet legentibus: ergo. Quid? quod ipsimet Protestantes (ut semper mentitur sibi, & sibimet contradicit iniquitas), ipsimet, inquam, contrariam suis deliramentis, veramque sententiam apertissime tradiderunt. Lutherus Reformatæ Religionis author, Nolim, inquit, (*in Præf. Ps.*) ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum, & doctissimorum, id est Psalterium in omnibus legitimo suo sensu intellige-

re,

Digitized by Google

re, & docere. Sat est aliquos, & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus, quo nos semper discipulos habeat, multa solum ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat. Et infra: Scio, esse imprudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus intellectum. Similia Brentius: (*in Conf. Wirtemb. c. de S. Script.*) Patet, quod donum interpretandæ Scripturæ non sit humanæ prudentiæ, sed Sancti Spiritus; Spiritus Sanctus autem liberrimus est, nec ad certum genus hominum obligatur. Similia Kemnitius; (*in Exam. 4. S. Conc. Trid.*) Deus voluit, in Ecclesia exstare donum interpretationis, quod sicut alia dona curationum &c. omnibus commune non est. Et infra: Grati, ait, & reverenter utimur Sanctorum Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca commentariis suis utiliter illustrarunt. Similia Magdeburgenses Centuriatores: (*Cent. l. 2. c. 4.*) Senserunt, inquiunt, Apostoli, Scripturas intelligi non posse sine Spiritu Sancto, & Interprete.

3. Denique, si adeo clara, atque aperta Scriptura Protestantibus est, quorsum tot expositiones, tot Commentaria, tot versiones ipsorum sibi invicem oppositæ? Adeo ut Luthero ipso clamante (*lib. 1. cont. Zuvin. & Oecolamp.*) si diutius mundus steterit, iterum necessarium erit propter diversas, quæ nunc sunt Scripturæ interpretationes, ut ad conservandam fidei unitatem Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus. Potuitne aliquid simplicioribus, aut clarioribus verbis enuntiari, quam illud: Hoc est corpus meum? Et tamen ea verba non nisi figurate dicta volunt Zuingliani, & Calviniani. Quid apertius illis: Bibite ex eo omnes? Et tamen Catholici quidem vere ad omnes Apostolos id dictum interpretantur: Lutherani ad omnes fideles adultos: alii ad fideles omnes, etiam parvulos, & alius fortasse ad omnes omnino homines etiam Paganos, etiam Turcas. Scriptura, inquit Lutherus, confitetur simpliciter Trinitatem Dei, & humanitatem Christi: nihil hic obscuritatis, aut ambiguitatis. Quo ergo tot decisiones, tot Concilia, tot Patrum scripta ad fidem contra Arianos, & Nestorianos adstruendam, totque alios Trinitatis, & Incarnationis hostes?

4. Nec argumenta, quæ pro se opponunt Protestantes, difficile est solvere, ut sunt primo loca illa omnia, in quibus præcepta Domini oculos illuminare dicuntur, legem lucem esse, lucernam fidem, regnum Dei Urbem supra montem positam, & his similia plurima. Dicitur vero, vel hic solum esse sermonem de præceptis Domini; vel si de tota Scriptura sermo sit, ut in postremis locis, ea quidem dici de verbis Domini recte, saneque intellectis, quæ oculos mentis illuminant, gressusque nostros in viam salutis dirigunt.

 5. Op-

Digitized by Google

5. Opponunt & illud: (*Deut. c. 30.*) Mandatum, quod ego do tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in Cœlo situm, neque trans mare, ut non sit opus (inquit malignè Brentius) Romam ire pro interpretatione Scripturarum. Item illud Pauli: (*2. ad Cor. c. 4.*) Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excœcavit oculos, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi. Primum tamen ex iis locis nonnulli Patres exponunt de facilitate implendi præcepta divina, eo sensu, quo in Evangelio dicitur: (*Luc. c. 17.*) Regnum Dei intra vos est. Ita Tertullianus, (*lib. 4. cont. Marcion.*) Augustinus, (*lib. de perf. Just. resp. penult.*) Ambrosius, (*In c. 10. ad Roman.*) Origenes, Chrysostomusque: & ita videtur etiam intelligisse Hieronymus. Alii autem de facilitate cognitionis accipiunt, sed non Scripturarum, quæ tunc fortasse nullæ erant, quum ea dicta sunt, sed de facilitate cognoscendi præcepta Decalogi, quum ab natura ipsa dictata, atque animis impressa videantur, & præcipue quum Hebræi Moysem ipsum ea sibi proponentem, atque explicantem audivissent. Paulus autem non de Evangelio scripto, sed de prædicato, aut ore tradito, ut ex contextu liquet. Neque adhuc prædicatum ideo dicitur manifestum esse credentibus, quod mysteria non contineat abstrusissima, atque eadem, quæ Scriptum, sed quia credentes dono fidei accepto, & captivantes intellectum in obsequium Christi facilius intelligunt plura, quæ pravis affectionibus excœcati, aut humana scientia inflati intelligere nequeunt.

6. Opponunt tertio illud Isaiæ: (*c. 54.*) Ponam universos filios tuos doctos a Domino: quæ verba usurpans Christus Redemptor: Scriptum est, ait, (*Joan. c. 6.*) in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei (Græce θεοδίδακτοι, id est, docti a Deo:) non ergo plebs Christiana Scripturarum Interprete, aut doctore alio indiget. Unus est enim omnium magister, qui in Cœlis est, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (*Matth. c. 23.*) At enim, si Deo dumtaxat interius instruente homines erudirentur ad vitam, nec Scriptura opus esset, multoque minus versionibus, prædicatione, miraculis, justorum exemplis &c. Fateamur ergo, quod Calvinus ipse fateri coactus est, promiscuam esse Evangelii prædicationem reprobis, atque electis; sed electos solos ad Christum accedere, qui exterius lecta, aut audita, Deo interius docente, atque inspirante cognoscunt, & pio amplectuntur affectu, donec (ut exponit D. Augustinus) (*de Serm. Domini in mon. lib. 2. c. 6.*) facta separatione justorum ab injustis, ita inhabitet justos Deus, ut non sit opus quemquam ab homine doceri, sed sint omnes, ut scriptum est, docibiles Dei.

7. Op-

Digitized by Google

7. Opponunt quarto nonnulla Patrum testimonia, inter quæ potissimum illud Augustini: (*2. de doctr. Christ. c. 6.*) Magnifice, & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurrerit; obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscurioribus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur. Et item: (*Ibid. 3. c. 26.*) Ubi apertius ponuntur, ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris. Consonat Chrysostomus, qui postquam dixit, (*hom. 3. de Lazar.*) Philosophos fere semper obscure, atque ambigue fuisse loquutos, Apostoli, inquit, contra, & Prophetæ omnia fecerunt manifesta, claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt nobis, veluti communes Orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur ex sola lectione. Et item alibi: (*hom. 3. in 2. ad Thess.*) Quid opus est concionatore? Omnia plana sunt, & clara ex Scripturis divinis; sed quia delicatuli estis auditores, delectationem audiendo venantes, propterea Concionatores quæritis &c.

8. Respondeo: in his, quæ ad fidei summam, & rectam vitæ instituendæ rationem spectant, illud Augustini effatum universim verum esse, nec enim omnia in Scripturis obscura esse, atque abstrusa dicimus; at plurima sunt intellectu difficilia, & quæ nusquam alibi apertius exposita inveniuntur, exempli gratia locus ille ex 1. ad Corint. Siquis autem superædificat &c. quem Augustinus ipse fatetur, unum ex illis esse, de quibus Petrus monuit, ut taceam de magna Apocalypsis parte, de Cantico Canticorum, de principio, & fine Ezechielis, aliisque hujusmodi pluribus. Jam vero Chrysostomus ad eorum torporem excitandum, qui Scripturarum obscuritate deterriti earum lectionem negligebant, ea per quamdam amplificationem dixit. Sic autem ipse suam mentem aperte exposuit paulo superius: (*cit. hom. 3. de Lazar.*) Quid igitur, inquiunt, si ea, quæ in libris continentur, non intelligamus? Maxime quidem. Nam etiamsi non intelligas, quæ ibi sunt recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Et infra: Sume librum, lege historiam omnem, & quæ intellexeris, memoria tene: quæ autem obscura, & intellectu difficilia, frequenter percurre. Quodsi non possis assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem &c.

9. Opponunt quinto: Patres sine aliorum commentariis Scripturas intellexerunt. 6. Patres iidem ex Scripturis sententias suas eliciunt, firmantque; sed minus nota ex magis notis probanda sunt, non autem contra: ergo notiores sunt Scripturæ, quam Patrum sententiæ. 7. Summa totius Scripturæ in præceptis Decalogi, Symbolo Fidei, Oratione Dominica, & Sacramentis continetur; sed hæc omnia aper-

tiſſimis ipſius Scripturæ teſtimoniis nituntur: omnia ergo in Scriptura aperta ſunt, & perſpicua. 8. Vetus Teſtamentum erat liber ſignatus, quem Chriſtus, Agnus Dei, moriens aperuit, & ſolvit ſignacula ejus: (*Apoc.* 5.) unde moriente Domino, (*Matth.* 27.) Velum Templi ſciſſum eſt, quod de patefactis Scripturarum Veterum arcanis Patres interpretantur, & præcipue Hieronymus: (*in Ezech. c.* 44.) ergo poſt Chriſti mortem, & Apoſtolorum prædicationem nulla eſſe poteſt Scripturarum obſcuritas.

10. Reſpondeo ad quintum, vetuſtiores Patres, uti Clemens Romanus, Dionyſius, Ignatius, Polycarpus, Hermes, Cajus, Papias, commentariis opus non habuiſſe ſcriptis; habebant enim commentaria viva Apoſtolos, aut eorum diſcipulos, primitias ſpiritus habentes, & qui a principio ipſi viderant, aut miniſtri fuerant ſermonis. Qui hos ſequuti ſunt Irenæus, Juſtinus, Tatianus, Tertullianus commentaria ſcribere cœperunt, quæ evolventes Clemens Alexandrinus, Baſilius, Nazianzenus, & reliqui Doctores divinæ Scripturæ ſtudio incumbebant, earumque intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex majorum ſcriptis, atque authoritate ſequebantur, quos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat, ut de Baſilio, & Gregorio ſcribit Ruffinus. (11. *hiſt. c.* 9.) Sextum argumentum Lutheri eſt, & laborat æquivoco. Quum enim dicitur, minus notum ex magis noto probari debere, non id dicitur de eo, quod per ſe magis eſt, aut minus evidens, ſeu de claritate, aut perſpicuitate ſententiæ, ſed de eo, quod nobis magis, aut minus notum eſt, ſive de intima perſuaſione, & ſecuritate aſſenſus, quaſi diceretur, minus certum ex magis certo probari debere. Certiora autem nobis ſunt, & majori aſſenſu credimus ea, quæ in Scripturis dicuntur, quam quæ habentur ex Patribus, quamvis verba, ſenſusque Scripturarum abſtruſiora ſint, quam ſenſus, & verba Patrum.

11. Septima argumentatio in multis deficit. Ea enim ſumma doctrinæ eſt Chriſtiano homini neceſſariæ, non ſimpliciter ſumma Scripturarum niſi per modum finis; in quo ſenſu dictum eſt a Chriſto Domino: (*Matth. c.* 22.) In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ. Et a Paulo; (*ad Rom. c.* 13.) Plenitudo legis eſt dilectio. Etſi autem ad illa quodammodo referantur omnia, quæ habentur in Scripturis, in ſe tamen hæc ſatis obſcura ſunt. Minor etiam fallit; quia ſi de omnibus articulis fidei, & Sacramentis, apertiſſima (ut dicitis) exſtant teſtimonia, unde pene de ſingulis graves, nedum cum Hæreticis, ſed etiam inter ejuſdem ſectæ homines, fuiſſent, eſſentque etiamnum controverſiæ? Nonne impiorum juſtificatio unus eſt ex fidei articulis? At de ea ſolum inter ſuos viginti numerat Oſiander ſententias. (*in reſpons. ad ſer. Phil.*) Ad octavum reſpon-

Digitized by Google

spondemus, inter Vetus, Novumque Testamentum hoc esse discrimen, quod ipsæ res gestæ in Veteri enarratæ, quatenus erant figuræ futurorum, post Christi adventum, & mortem in sua sunt significatione completæ, ut immolatio Agni paschalis, exitus Israel de Ægypto, Sacerdotium Melchisedech, & his similia: quo sensu dixit Hieronymus de Septuaginta Senioribus loquens: (*præf. in Pentat.*) Illi interpretati sunt ante adventum Christi, & quod nesciebant, dubiis protulere sententiis; nos vero post passionem, & resurrectionem ejus non tam prophetiam, quam historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur: quod melius intelligimus, melius & proferimus. Non tamen ideo verba ipsa, aut sententiæ Scripturarum obscuritatem omnem suam amiserunt, in his præcipue, quæ adhuc fortasse restant complenda; de quibus intelligendum, quod ipsemet Hieronymus asserit, manere adhuc velamen non solum in facie Moysis, sed etiam in facie Apostolorum, & Evangelistarum.

PROPOSITIO XV.

Verborum Scripturæ non unus sensus est.

1. PRopositionis hujus veritatem iis omnibus, qui divinas Scripturas suscipiunt, ac venerantur, certam, atque exploratam, in dubium revocare conati sunt posteriorum sæculorum Scriptores nonnulli. Erasmus enim (*in præf. Paraph. ad Imp.*) totum hoc Verbi Dei explicandi genus, atque ipsas Patrum mysticas expositiones vix non subsannat, atque irridet, nec procul abest Abulensis, (*in c. 2. Matth.*) qui nullum mysticum sensum de Spiritus Sancti mente esse asserit, sed hominum imaginationes, & Concionatorum figmenta. Hi tamen primo apertissimis ipsius Scripturæ testimoniis confutantur. Siquidem (*Exodi Cap. 12.*) *Os non comminuetis ex eo* ad litteram de agno Paschali scriptum fuisse præceptum, negaverit nemo. At in Christo Domino id fuisse completum, Joannes Evangelista testatur. (*cap. 19.*) Similiter: (*Deut. 25.*) *Non alligabis os bovi trituranti*, ad litteram de bobus præceptum esse, liquet; at in sensu morali intelligendum esse, monet Paulus: (*2. ad Cor. c. 9.*) An, inquit, de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt &c. Quid illud: (*Exod. 16.*) *Qui plurimum non abundavit, & qui modicum non minoravit*; nonne tropologice intelligendum esse, monuit Paulus idem (*in 2. Cap. 8. ad Corinthios?*) Item illud: (*Ps. 18.*) *In omnem terram exivit sonus eorum* &c. quod de Apostolorum prædicatione interpretatur. Item; *Ego ero ei in Patrem*; quod ad litteram de Salomone dictum, de Christo Paulus intellexit. (*ad He-*

Hebr. c. 1.) Similiter illa: (*Ps. 94.*) *Si introibunt in requiem meam*. Et: (*Genes. cap. 2.*) *requievit die septimo*; unde concludit: (*ad Heb. c. 4.*) Itaque relinquetur sabbatismus populo Dei &c. Jam vero quid in hac parte apertius adduci possit, non video, quam ejusdem Pauli illa duo: (*Genes. 16.*) Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit &c., quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta &c. Itemque illud: (*Galat. c. 4.*). Nolo autem, vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt &c. (*1. Corint. c. 10.*) Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta vero sunt ad correctionem nostram. Omitto alia plurima, quæ Novum Testamentum legenti passim occurrunt.

2. Confutantur secundo SS. PP. testimoniis. Horum enim sensuum diversitatem agnoverunt Author libri de Ecclesiastica Hierarchia, (*cap. 3.*) uterque Clemens, Cyrillus, Ambrosius, Nazianzenus, Basilius, Hieronymus, Hilarius, Augustinus, Gregorius, Bernardus, quorum omnium ore D. Thomas simul (ut ipsi mos est) & causam assignans, & rei naturam penitus investigans, Dicendum, inquit, (*1. p. q. 1. art. 10.*) quod Author Sacræ Scripturæ Deus est, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideo quum in omnibus Scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res per voces significatæ aliquid aliud significant. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est historicus, seu litteralis. Illa vero, qua res significatæ per voces ulterius aliquid significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litterali fundatur, & illum supponit. Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur. Sicut enim dicit Apostolus ad Hebræos 7. Lex Vetus figura est novæ legis, & ipsa nova lex, ut Dionysius dicit in Ecclesiastica Hierarchia, est figura futuræ gloriæ. In nova etiam lege ea, quæ in Capite gesta sunt, signa sunt eorum, quæ in nobis fieri, aut quæ nos facere debemus. Secundum ergo quod ea, quæ sunt Veteris legis, significant ea, quæ sunt legis novæ, est sensus allegoricus. Secundum vero quod ea, quæ in Christo facta sunt, vel in his, quæ Christum significant, est sensus moralis, prout significant ea, quæ nos agere debemus; prout vero significant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus Anagogicus. Pressius dici potest, sensum Allegoricum esse de credendis, Moralem de agendis, Anagogicum de sperandis: quod vulgo fertur illis versiculis

> Littera gesta docet; quid credas, Allegoria:
> Moralis, quid agas; quo tendas, Anagogia.

Aliæ

Digitized by Google

Aliæ sunt sive in plura, sive in pauciora membra Patrum, aut Doctorum divisiones, sed quæ ad dictam facile reducuntur, sicut sensum Analogicum, & Parabolicum D. Thomas (*loc. cit.*) ad Litteralem reducit.

3. Notarunt vero Patres, ex solo litterali sensu argumenta ab Theologis esse sumenda; numquam enim, ait Hieronymus, (*lib. 2. Mathæi*) parabola, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere: Unde Mysticam Theologiam argumentativam non esse, dixit sapienter Dionysius. (*In epist. ad Polycarp. ut citant alii.*) Ratio est, quia omnis alius sensus in litterali fundatur, isque solum ex verbis nobis innotescere potest, ex quo solo, inquit D. Thomas, (*loc. cit.*) potest trahi argumentum, non autem ex his, quæ secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in Epistola ad Vincentium Donatistam. Id vero intelligendum est de mystico sensu privato judicio, atque authoritate elicito. Nam mysticus sensus ab Authore Canonico declaratus, aut traditione divina, aut communi Ecclesiæ consensu receptus, vel concordi Patrum sententia explicatus, rejici non potest, genuinusque, & verus; atque ab Spiritu Sancto intentus habendus est. Argumentum igitur ab eo desumptum est validum. Siquis igitur illo Psalmi versiculo: *Ego ero ei in Patrem* &c. ad Christi divinitatem, & æternam generationem suadendam uteretur, argumentaretur optime ex sensu quidem mystico, sed Pauli authoritate confirmato.

4. Sensus porro litteralis in quocumque Scripturæ loco invenitur; neque audiendi sunt qui, quod nonnullorum præceptorum, aut cæremoniarum causam, & rationem sive physicam, sive moralem, finemve invenire non possunt, ea omni litterali sensu carere contendunt. Fatemur namque, quum dicitur: (*Deuth. c. 25.*) *Non alligabis os bovi trituranti:* (*ibid. c. 22.*) *Non arabis in bove, & asino*; (*Cap. 14. Deut.*) *Non coques hædum in lacte matris suæ:* (*Deuth. c. 22.*) *Non indueris vestimento, quod ex lino, lanaque contextum est*; mysticas ibi, & spirituales latere intelligentias, & quidem pulcherrimas; at negandum non est, ea omnia ab Israelitis ad litteram intelligenda, ac servanda fuisse, ut non metaphorice solum, aut symbolice dicta. Quamvis etiam si non in sensu proprio, & simplici, sed in figurato, & metaphorico dicta fuissent, non ideo litterali sensu carerent. Nam & illa Christi Domini: (*Joan. c. 15.*) *Ego sum vitis, vos palmites:* (*ejusd. c. 10.*) *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili*, & hujusmodi plura, figurate dicta sunt, & tamen litteralem sensum habent.

5. At vero sensus mysticus, aut spiritualis non ubique invenitur, uti quum dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est: Diliges*

Do-

Digitized by Google

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo : In principio erat Verbum, & istiusmodi plura, ut ex Patribus Origene, Hieronymo, Augustino, & Gregorio firmat Azor. (*lib. 8. Inst. c. 2. q. 9.*) Similiter litteralem sensum solum habent ea fere omnia, quæ ex impiorum sententia in Scripturis dicuntur, aut quæ in eis narrantur scelera, & peccata. Unde Hieronymus (*in Os. c. 10. & Ezec. 12.*) eos reprehendit, qui res male, & turpiter gestas allegorice exponunt, ut Origenes. (*hom. 5. in Gen.*) Dixi, *fere omnia*, multa enim ex iis ipsi Patres mystico sensu explicuerunt, ut Gregorius Papa (*3. Mor. c. 21.*) adulterium Davidis, sicut Ambrosius, (*Apol. Dav. c. 3.*) Cassiodorus, (*in Ps. 50.*) & Eucherius. (*in 2. Reg. c. 7.*) Hieronymus ipse (*Ep. ad Ruffin.*) factum duarum meretricum, quod in 3. Regnm narratur, allegoricê exposuit. Judæ quoque, & Thamaris concubitum mystice interpretati sunt Ambrosius, (*loc. cit.*) & Augustinus. (*in Ps. 57.*) Sunt qui Jephte sacrificium, Noemi ebrietatem, & Lothi incestum ad mysticam significationem traduxerint. Non igitur passim omnibus licet scelera, & flagitia in Scripturis narrata mystice interpretari. At si authoritatem patrum sequutus, eorum mystica interpretatione utatur, reprehendi jure non poterit. Aliquando enim, inquit Augustinus, (*lib. 2. cont. Faust. c. 42.*) factum in Scriptura narratum quum refertur, prophetia est; quando factum fuit, flagitium fuit. Aliud enim intendunt ii, qui fecerunt; aliud Deus, qui hoc fieri permisit, ut aliquid inde monstraret pro significatione futurorum.

6. Porro ejusdem litteræ, aut textus Canonici plusquam unum litteralem sensum esse posse, non Bellarminius solum, (*tom. 1. controvers. 1. lib. 3.*) Canus, (*lib. 2. c. 11.*) Driedo, (*Eccle. dogmat. cap. 2.*) Catherinus, (*lib. de clar. Scrip. Sac.*), sed etiam Augustinus, (*lib. 3. de doct. Christ. c. 27. lib. 2. de Confes. c. 26.*) & Thomas (*loc. cit.*) tradiderunt, cujus posterioris hæc sunt verba : Quia vero consensus litteralis est, quem author intendit, author autem Sacræ Scripturæ est Deus, qui omnia simul intellectu suo comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus in 12. Confessionum, si etiam secundum litteralem in una littera Scripturæ plures sunt sensus. Multis enim in locis, inquit Chrysostomus, (*hom. 7. in 1. ad Cor.*) duplices sunt prophetiæ, quæ facile ab assuetioribus deprehendi possunt. Quum ergo quispiam dicit, (ait Augustinus) (*2. Confes.*) hoc sentit Scriptor Sanctus, quod ego, & alius: immo illud, quod ego; religiosius me arbitror dicere: Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et siquid tertium, & siquid quartum, & siquid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur is, per quem unus Deus Sacras litteras vera, & diversa visuris multorum sensibus temperavit? Addit autem

Vaz-

Digitized by Google

Vazquez, (*in 1. parte*) id intelligendum, si ea sit rerum convenientia & inter se, & cum ipsis vocibus, ut unum & aliud significare eidem litteræ, aut verborum contextui dissonum non sit, sive si uterque sensus contextui conveniat, nec inter se dissideant; alioqui, quum inter se dissidentium alterutrum falsum esse oporteat; ab Spiritu Sancto esse non posset. Existimo propterea, non plura hujus rei exempla in Sacris litteris invenienda facile, & si qua, potius in Hebraico textu propter multiplicem vocum significationem, quam in Græcis, aut Latinis Versionibus: quod etiam adnotavit Bonfrerius. (*In proloquiis cap. 16. & 20.*) In hujus duplicis litteralis sensus lectionem, & exemplum adduci solet illud: (*Habac. cap. 3.*) *In medio annorum*, quod etiam legi potest: *In medio duorum animalium;* quam utramque lectionem suscipit æque, & veneratur Ecclesia.

7. Quisnam autem sit sensus alio præstantior, inquirendum non puto. Sæpe enim mysticus sensus de sublimioribus est, veluti quum ea, quæ de Isaac, aut David dicuntur, trahuntur ad Christum. Sæpe contra, uti quum illa, quæ de Christo dicuntur, ad Corpus ejus mysticum, sive ad Ecclesiam referuntur. Illud observandum, ut nec adeo mysticis sensibus eruendis incumbamus, ut ea, quæ proprie accipienda sunt, intelligamus figurate (quo in genere reprehenditur Origenes); nec item ea, quæ allegorice exponenda sunt, tamquam simpliciter dicta accipiamus, ut Papias ille fecit, qui millenarium Christi in terris regnum primus dicitur, asseruisse, quem nonnulli sunt ex Patribus sequuti. Media igitur tenenda via est inter eos, qui crassiori ingenio sunt, & eos, qui nimio contemplationis, & anagogiæ studio abripiuntur, ut nec prorsus inertes, ac torpidi maneamus, nec rursum curiosiores simus, quam par sit. Alterum enim Judaicum quodammodo, alterum vero ineptum, ac somniorum conjectore dignum: paremque utrumque reprehensionem meretur. Hunc in modum de his rebus neque absurde, neque ridicule disseremus, inquit Gregorius Nazianzenus. (*orat. 2. in Pascha.*)

8. De Accomodatitio hic sensu (si tamen ita vocari fas est) nonnihil addendum videtur. Accommodate autem Scripturam tractari dicimus, quum neque juxta litteralem, vel spiritualem sensum quicquam ex illa eruitur, sed per extensionem quamdam verba Scripturarum iis rebus applicantur, quas Sacer Scriptor neque significavit, nec intendit. Quod genus ne quisquam omnino putet contemnendum, Ecclesia sæpissime, & pulcherrime usurpat, Scripturæ verba concinnans, atque ex iis suas laudes, preces, antiphonas, & omnem Lyturgiæ, & Officiorum Ecclesiasticorum rationem contexens, ut quum de Joanne, & Paulo MM.: *Isti sunt*, inquit, *duæ Olivæ, & duo candela-*

Digitized by Google

delabra lucentia ante Dominum: quod de Jesu, & Zorobabele dictum est ab Zacharia (*cap. 4.*) Plura sunt in toto Breviario, & Missali Romano hujusmodi accommodationum exempla: quod etiam fecere ex Patribus magna cum venustate nonnulli. Ambrosius, parcius ille quidem, & gravius, sed non infrequenter Scripturæ verba suis intermiscet; at Bernardus adeo in ea re est frequens, ut aliquorum reprehensionem incurrerit. Omnes enim fere tractatus suos, Conciones, Epistolas verbis ex Divina Scriptura mutuatis compingit. Et quidem sacræ Orationes mirifice his flosculis ex Scriptura delibatis ornantur, atque illustrantur. Sermo enim est piorum ad pios, quorum gustus ad divina cogitanda magnopere acuitur ejusmodi condimentis, modo caste, sobrie, ac debita cum dignitate adhibeantur. Quapropter, ut luxuriantibus ingeniis limites quosdam præscriberet Tridentina Synodus, Ses. 4. temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, sortes, divinationes, & libellos etiam famosos, mandat, ac præcipit, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare. Utque omnes hujus generis homines temeratores, & violatores Verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur. Hæc ibi. Videsis pulcherrimum Josephi Acostæ S. J. Opusculum de vera interpretandi ratione, ex quo isthæc magis necessaria prælibavimus.

PROPOSITIO XVI.

Neque Scriptura sui ipsius, neque privatus spiritus judex esse potest, sed Ecclesia.

1. EST hæc omnium Catholicorum assertio in Hæreticos posteriorum temporum, quorum dux Lutherus: Quo judice, inquit, (*in ass. ad Leon. X.*) finietur quæstio, quando de Scripturarum sensu dissensio oritur? Resp. Oportet, Scriptura judice, sententiam ferre... Ipsa enim per se certissima, facillima, apertissima, sui judex &c. Quod aliquantulum emolliens Philippus, (*ad Imp. cit.*) Ipsum Dei Verbum, inquit, judex est, & accedit consensus veræ Ecclesiæ. Ut tamen notat Bellarminius, (*lib. 3. de Verb. Dei c. 3.*) quum per veram ille Ecclesiam non Prælatos, neque majorem fidelium partem, sed paucos sibi consentientes intelligat, privatum unumquemque judicem facit. Quare apertissime Brentius: (*in prol. contra Sotum.*) Ad unumquemque, inquit, privatum hominem pertinet de doctrina Religio-

ligionis judicare, & veram a falsa internoscere. Similia Calvinus; (4. *Inst.* 9.) & alii eorum sectatores, quamvis alicubi Calvinus contrarium scripserit. Nam in eo, quem contra Tridentinam Synodum scripsit libro, ita inquit: (*ad Ses.* 4.) Equidem fateor, sicut non privato hominum arbitrio allata est prophetia, ita indignum esse, ut ad privatum cujusque sensum trahatur. Quare, si de obscuro loco ambigatur, non alia via meliori ad veram intelligentiam posse perveniri, quam si pii Doctores religiosa disceptatione in commune inquirant.

2. Fatentur ergo authores isti nobiscum id, quod in sua secunda Epistola (*cap.* 1.) Petrus Apostolus clarissime præmonuit: Hoc intelligentes primum, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: Non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines. Ostendo igitur primo, Scripturam ipsam suimet judicem esse non posse. Maxima enim, & prima quæstio, quæ de Scriptura fieri potest, illa est: An sit aliqua Scriptura Divina, seu Verbum Dei scriptum? Sed dubium hoc ex ipsa Scriptura resolvi non potest, ut patet: ergo. Secundo: Etiam dato, aliquos esse divinos libros, dubitari potest, ac debet: quinam illi sint? Sed nec illa quæstio ex ipsa Scriptura definiri potest, ut ex terminis liquet: ergo. Tertio: Etiam suppositis, ac designatis libris Sacris aliquibus, de aliorum authenticitate dubitari potest, verbi gratia, an libri Machabæorum sint Canonici? Hanc nobis litem ex Scriptura definiant. Definiant item, Epistolam ad Hebræos, aut primam Joannis esse Canonicam, de quibus Lutheranorum est, & Calvinistarum adversus Anabaptistas dissidium. Quarto: Dum de aliquo Scripturarum loco ambigitur, nequit quæstio ex alio ejusdem Scripturæ loco definiri, nisi certo constet, locum illum, ex quo definitio eruitur, recte, ac de Sacri Scriptoris mente, sive eo sensu, atque spiritu, quo scriptus fuit, esse expositum, sed hoc ex ipsamet Scriptura haberi non potest: ergo nulla hujusmodi quæstio ex sola Scriptura terminari potest. Minor patet ex ipsis Adversariorum dissensionibus. Hæc enim simplicissima verba: *Hoc est corpus meum*, Lutherus nobiscum proprie, ac simpliciter accipienda esse censet, Zuinglius figurate. Unde ergo haberi potest ex solamet Scriptura, Lutherum, non Zuinglium (*in lib. de potest. Papæ.*) recte interpretari, ac divinu spiritu duci? Profecto Lutherus ipse de nullo, inquit, privato homine certi sumus, habeat nec ne revelationem Patris.

3. Ex quo etiam secunda pars assertionis manifeste convincitur. Nequit enim mihi certo, atque infallibiliter Scripturæ sensus innotescere, nisi certissime constet de assistentia divini Spiritus in Exponen-

nente; sed de nullo privato homine id nobis constare potest, ut Lutherus, & Calvinus totidem verbis fatentur: ergo in expositione Scripturarum privata cujusvis authoritate duci non possumus. Secundo: In humana legislatione stultissimus haberetur, qui controversiam de legis sensu exortam privatorum quorumcumque judicio definiendam permitteret: ergo multo magis id indignum esset in legislatione divina. Nam humanæ legis sensuum quivis homo ipso rationis lumine capere, atque exponere potest; non vero in Scriptura divina, ubi plura supra hominis captum mysteria continentur. Tertio: Judicis certa esse debet, atque explorata authoritas; sed nemo privatus certam habet in Ecclesia authoritatem, quam alius sibi quivis arrogare jure non possit: tot ergo judices erunt, quot capita: tot sententiæ, quot placita. Me enim Spiritum Dei jactante, illud merito ingereres, quod olim Pseudoprophetæ ad Michæam: (*2. Par. 8.*) Et per quam viam pertransivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?

4. Restat igitur, solam Ecclesiam judicem esse completentem, atque infallibilem in controversiis Scripturarum: quod etiam & exemplis, & verbis Scriptura ipsa nos docet. Moyses enim de omnibus ad Religionem spectantibus consulebatur a populo. (*Exod. 18.*) Deinde Ecclesiastica hierarchia stabilita, sic statutum est: (*Deuter. 17.*) Si difficile, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam & causam . . . & Judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et (*in 2. Paralip.*) sic legitur: Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in Urbibus suis inter cognationem, & cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cœremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Dominum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias, filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea erit, quæ ad Regis officium pertinent.

5. In Lege profecto Evangelica id ipsum & exemplorum inductione, & testimoniis patet. Orta enim controversia de observatione Legalium, Concilium Hierosolymitanum coactum est, ubi Petro primum loquuto, deinde Jacobo, definitum est illis verbis. (*Act. 15.*) Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c. Cujus Concilii decisionem observandam Paulus, ubicumque prædicavit, indixit. Paulus, uti ad Galatas, (*cap. 2.*) quamvis Evangelium non ab homine, neque per hominem accepisset, ascendit Hierosolymam cum Barnaba, & contulit cum illis Evangelium, quod prædicabat in Gentibus; seorsum autem iis qui vi-

videbantur esse aliquid, ne forte in vanum curreret, aut cucurrisset. Similiter controversia de celebratione Paschatis in 2. Sæculo a Victore Papa post multa Concilia definita est. In III. controversia de Rebaptizatione ab Stephano. In IV. Ariana, & Macedoniana hæresis in Conciliis Nicæno, & Constantinopolitano sub Silvestro, & Damaso. In V. Nestoriana, & Eutychiana in Conciliis Ephesino, & Chalcedoniensi sub Cœlestino, & Leone. Item in eodem Pelagiana cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ Innocentio, & Zozimo, cooperantibus Episcoporum Africanorum litteris condemnata, & convicta est, inquit Augustinus. (*lib. 2. Retractat. c. 50.*) In VI. multæ hæreses ab quinta Synodo damnata. In VII. Monothelitæ ab sexta Synodo OEcumenica sub Agathone. In VIII. Iconomachi ab Nicæna secunda sub Adriano. In IX. ab Octava Synodo sub Adriano Secundo. In XI. Berengarius in Concilio Vercellensi, & Romano sub Leone Nono, & Nicolao Secundo. In XII. Gilbertus Porretanus in Rhemensi Concilio sub Eugenio Tertio. In XIII. Joachimi Abbatis errores ab Lateranensi Concilio sub Innocentio Tertio, & Græcorum in Lugdunensi sub Gregorio Decimo. In XIV. Beguardi ab Concilio Viennensi sub Clemente Quinto. In XV. Wiclephistæ, & Hussitæ ab Synodo Constantiensi sub Martino Quinto. In XVI. Lutherus, & sui ab Leone Decimo, & deinde in Tridentina Synodo sub Pio Quarto. In XVII. sæculo Jansenistæ, sive Jansenii propositiones quinque ab Innocentio Decimo. In XVIII. Quesnelliani errores ab Clemente XI. proscripti: de quibus omnibus pleniorem notitiam dedimus in Synopsi prævia, quum Pontificum, & Conciliorum, tum Hæresum, & Hæresiarcharum.

6. Nititur autem constans hæc, atque uniformis Ecclesiæ praxis testimonio ipso Scripturarum. Rogavi, inquiunt, (*Lucæ c. 22.*) pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ad Petrum ergo, ut Catholicæ Ecclesiæ Caput, cujus fidei indeficiens est, pertinet reliquos omnes fratres suos in fide, & pietate confirmare. Verum de hoc latius, cum de Ecclesia, & ejus capite agendum nobis erit. Item: In Ecclesia certum est, exstare Interpretationem Sermonum; at in privato hominum nemine existere nobis constare potest, nisi ex ejusdem Ecclesiæ testimonio, & approbatione. Siquidem alii datur (*1. Corint. c. 12.*) per Spiritum Sermo Sapientiæ, alii Sermo Scientiæ secundum eundem Spiritum, alii genera linguarum, alii interpretatio Sermonum, quæ operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis, pro ut vult, nam ubi vult, spirat: ergo nullius privati hominis interpretatio authentica est, nisi solius Ecclesiæ, cui Spiritum Dei inesse, certum est, quippe quæ columna est, & firmamentum veritatis. Tertio: Privatorum hominum spi-

Digitized by Google

spiritus probandus est. Dicitur enim: (*1. Joan. 4.*) Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probare Spiritus, si ex Domino sint; sed non est probandus alterius privati judicio, qua de illo eadem esset quæstio, quum par in parem non habeat imperium: ergo judicio Ecclesiæ, quam siquis non audierit, sicut Ethnicus, & publicanus habendus est. (*Matth. c. 18.*) Quum autem audire Ecclesiam jubemur, non universus Fidelium cœtus intelligendus est, neque enim fieri potest, ut omnes per totum Orbem dispersi judicaturi conveniant; sed Prælatorum Congregatio, aut Summum Ecclesiæ Caput, de quo tamen alibi fusius agemus.

7. Nunc ulterius probatur assertio nostra Patrum testimoniis, quorum primus disertissime nos docet Ireneus: (*lib. 3. c. 3.*) Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem omnes alias Ecclesias convenire oportere, hoc est, omnes qui sunt undique fideles, in qua semper ea, quæ ab Apostolis est, traditio conservata est. Audiatur Gregorius Nazianzenus: (*Orat. de abs. ma.*) Vos oves nolite pascere pastores, neque super terminos eorum elevamini. Satis vobis est, si recte pascamini. Nolite judicare judices, nec legem ferre legislatoribus. Nec enim aliunde hæreses obortæ sunt, inquit Cyprianus, (*Ep. 3. lib. 1.*) quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur. Quis porro abnuat, inquit Ambrosius, (*Ep. ad Valentin. 32.*) Episcopos solere de Imperatoribus judicare, id est, de eorum fide, non Imperatores de Episcopis? Et infra: Si conferendum est de fide, Sacerdotum debet ista collatio esse. Hinc Hieronymus, (*de Nom. hypost.*) Vir sui ævi in Scripturis doctissimus, ad Damasum scribens: Obtestor, inquit, Beatitudinem tuam, ut mihi epistolis tuis sive dicendarum, sive tacendarum hypostaseων detur authoritas. Videlicet, quia Scripturam Sacram non uno, eodemque sensu omnes accipiunt . . . ut pene quot sunt homines, tot illic sententiæ erui posse videantur, multum necesse est propter varios tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur, inquit Vincentius Lirinensis. (*in Commonitorio*) Proinde quisquis falli metuit, ait Augustinus, (*cont. Crescent. c. 33.*) obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura Sacra demonstrat. Et quoniam Divina Providentia, ut Urbanum alloquitur Anselmus, (*De Verb. Inc.*) Romani Pontificis elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, siquid contra Catholicam fidem in Ecclesia oritur, ut ejus authoritate corrigatur. Dignum namque, Bernardus ait,

Digitized by Google

ait, (*Ep. 190. ad Inn. II.*) ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Plura alia vide apud Theologos in Tractatu de Romanæ Ecclesiæ, & Summorum Pontificum authoritate: de quo fusius alibi.

8. Accedant postremo etiam Imperatorum testimonia. Et primo quidem Aurelianus, quamvis Gentilis, domum quamdam eis adjudicari jussit, Paulo Samosetano pulso, de quibus Italiæ Sacerdotes, Episcopusque Romanus scripsissent, ut est apud Eusebium. (*hist. lib. 7. c. 30.*) Exstat etiam apud eundem (*De vita Constat. lib. 3.*) Constantini Epistola, ubi Imperator, quidquid, inquit, in Sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum Divinæ voluntati debet attribui. Ut videlicet, ait Gratianus, item Augustus, (*Ep. ad Ep. Aquilej.*) a quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab iisdem (nimirum Episcopis) discordis eruditionis repugnantia solveretur. Unde Theodosius Junior: (*Epist. ad Synod. Ephe.*) Deputatus est, inquit, Candidianus transire ad sanctissimam vestram Synodum, ac in nulla earum, quæ habendæ sunt de piis dogmatibus, quæstionum communicare. Illicitum namque est, eum, qui non sit ex ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus. Martianus vero, injuriam, ait, (*leg. nemo c. de S. Trin.*) reverendissimæ Synodi judicio facit, qui semel judicata revolvere, & disputare contendit. Hæc enim disputare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, non nostrum (Imperator loquitur Basilius) (*in 8. Syn.*) qui pasci debemus. Similia Valentinianus Senior apud Sozomenum: (*lib. 6. c. 7.*) Mihi, inquit, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari: Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocumque voluerint loco, conveniant. Theodoricus item quamvis Arianus, ad se nihil præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere, testatus est. (*In 4. Syn. Rom.*)

9. His omnibus attentis recte, ac sapienter Sacrosancta Synodus Tridentina decernit, (*Ses. 4.*) ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum, interpretari audeat. Ecclesia enim, ipsomet fatente Luthero, ipsa est, de qua dubitare non licet.

10. Plura sunt, quæ in sui confirmationem erroris congerunt Adversarii. Primum illud Jeremiæ: (*cap. 31.*) Dabo legem meam in cordibus eorum, & non docebit ultra Vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim scient me a minimo usque ad maximum.

ximum. Secundo illud: (*Joel.*) Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Item 3. (*1. Joan. 2.*) Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est. Item 4. (*Joan. 10.*) Oves meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequuntur. Item 5. (*Joan. 7.*) Siquis voluerit facere voluntatem ejus, qui misit me, agnoscet de doctrina mea; utrum ex Deo sit. Item 6. (*ad Thessal. 5.*) Omnia probate, quod bonum est, tenete. Item 7. (*1. Joan. 4.*) Probate spiritus, si ex Deo sint. Octavo denique: (*1. ad Cor. 4.*) Spiritualis judicat omnia, & ipse a nemine judicatur: atque his consonantia, & similia multa.

11. Hæc tamen omnia non de privata revelatione, sed de interioris gratiæ effectu accipienda sunt, per quam disponimur, & movemur tam ut veritati auditæ, & traditæ assentiamur, quam ut legi propositæ inhæreamus, mandata nimirum exequentes. Unde Augustinus (*in libro de Spiritu, & littera cap. 24.*) ita primum explicat, ut divina mandata non sciamus solum, sed etiam impleamus. Illud autem: *Et non docebit &c.* vel ad præmium beatitudinis referendum cum eodem Augustino ibidem: vel dicendum cum Bellarminio, (*lib. 3. de Verb. Dei. c. 10.*) ibi non de mysteriis abstrusioribus, sed de cognitione unius Dei, ejusque attributorum sermonem esse, quam futuram communem gentibus in Novo Testamento prædicit per gratiæ exuberantiam; ex qua fit, ut septennis puer, aut rudis Vetula de Deo, ac divinis rebus plura, & perfectius agnoscat, quam Tullius, aut Lucretius, Carneades, aut Plato. Secundum autem locum de adventu Spiritus Sancti interpretatus est Petrus Apostolus. (*Act. c. 2.*) Tertium ita explicant Canus, & Bellarminus, ut dicant, Joannem de iis dogmatibus loqui, quæ jam per Apostolorum prædicationem exterius acceperant, & Deo interius operante crediderant. Addit Canus, (*lib. 2. c. 8.*) non Apostolum cum indoctis quibusque, sed cum toto cœtu fidelium, & ipsorum pastoribus loqui, non quasi ignorantibus veritatem, sed eam scientibus. Vel etiam dicendum, unctionem non simpliciter omnes de omnibus edocere, sed quemque de iis, quæ sunt ei pro sua conditione ad salutem necessaria, & de his quidem docere interius, postquam exterius hominum ministerio ad nostram notitiam pervenerunt, nam fides ex auditu. Quomodo autem audient sine prædicante? (*Rom. c. 10.*)

12. Quod vero quarto loco dicitur, intelligendum est non solum de interna inspiratione, sed etiam de externa prædicatione, quam ii scilicet avidius audiunt, & amplectuntur libentius, qui oves Dei sunt, de quibus dicitur: Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam, ut apud Bellarminum (*lib. 3. de Verb. Dei Interpret. c. 10.*) interpretatur Augustinus. Quintum ita interpretor, ut

ut bona voluntas, & pia animi affectio, quæ etiam donum Dei est, hominem ita disponat, ut facilius rectam doctrinam discernat, eamque amplectatur, sicut (inquit Canus) (*loc. cit.*) gustus bene affectus saporum differentias facile discernit. Sextum, & Septimum intelligunt communiter de privatorum Spiritu, & doctrina, quæ ad normam Catholicæ regulæ examinanda est; non ita vero, ut quilibet privatus sibi sit regula. Deinde id præcipitur non fidelibus quibusvis, sed iis, ad quos ratione sui muneris spectat. Id vero, quod ultimo loco affertur: Spiritualis autem &c. per contrapositionem ad id, quod præmissum fuerat, dictum est: (*1. Corinth. c. 2.*) Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, sed solum terrena, & carnalia, Spiritualis autem judicat omnia, id est, tam terrena, quam cœlestia; tam carnalia, quam spiritualia: non autem horum generum omnia; nam & Elisæus: (*4. Reg. c. 4.*) Dominus, inquit, celavit hoc a me. Et Apostoli non intelligebant, quæ dicebantur. (*Luca 18.*) Et Petrus hæsitavit intra se, quidnam esset visio, quam vidisset. (*Act. c. 10.*)

13. Opponunt secundo illud Joannis, (*cap. 5.*) ubi Dominus: Ego, inquit, ab homine testimonium non accipio; sed Pontifex, & Concilia tota homines sunt: ergo. 2. illud ejusdem Joannis Epist. 1. Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei majus est. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se: ergo externo hominum testimonio non indiget. 3. Beræenses (*Act. 17.*) scrutabantur Scripturas, an ita essent, quæ dicebantur a Paulo: licet ergo privatis, doctrinam Pastorum in examen vocare. 4. Spiritus Sanctus dividit singulis, prout vult: (*1. Corinth. cap. 12.*) ergo interpreratio sermonum, quum sit gratia gratis data, non est alligata Ponrifici, aut Concilio. Hæc tamen debiliora sunt. Primi enim loci sensus est, Jesum humano testimonio non indigere; tamen eo uti quandoque ad ipsorum audientiam utilitatem, uti quum dixit: (*Act. c. 1.*) Eritis mihi testes in Jerusalem &c., & his affinia plurima. Secundum Joannis testimonium ita est intelligendum, ut quamvis externa hominum suasione, aut signis, aliave ex causa ad credendum feramur, majus tamen his omnibus, & præcipua fidei nostræ ratio est Dei testimonium, quod in se proculdubio habet, qui ipso Dei instinctu, atque interna inspiratione permotus credit in filium Dei. Nemo enim per fidem venit ad filium, nisi Pater per interiorem gratiam traxerit eum. (*Joan. c. 6.*) In tertio magnum est discrimen; Beræensibus enim ignotus erat Paulus, novaque ejus doctrina, quam propterea, utrum Scripturis congrueret, in examen vocabant. At Christiani de Ecclesiæ authoritate certi sunt, ipsa enim est (ait Lutherus) (*lib. de Potest. Papæ.*) de qua dubitare non licet: Ad quartum: Non dicimus,

interpretationis gratiam ita esse Concilio alligatam, ut Spiritus Sanctus cuicumque privato eam communicare non possit; id solum asserimus (quod & Lutherus ipse concedit) (*loco cit.*, *& art. 115. & in loco de notis Eccles.*) de nullo privato nobis constare, habeat, necne revelationem Patris, & interpretationis gratiam. At in Ecclesia talem exstare gratiam, & authoritatem, certissimi sumus. Nullo ergo privatorum, sed publico tantum Ecclesiæ judicio assertam Scripturæ interpretationem ut authenticam haberi debere, contendimus.

14. Opponunt tertio: Si Pontifex, aut Ecclesia de divinis Scripturis judicaret, esset eis Superior, certiorque eorum, quam Verbi Dei authoritas: quod dicere est impium 2. Si ab judicio Ecclesiæ Scripturarum interpretatio pendet: ergo etiam fides nostra, atque adeo parum solido nititur fundamento; nam, ut ait Augustinus, (*2. cont. Cresc. c. 21.*) Christus solus semper veraciter judicat: Ecclesiastici autem judices, sicut homines, sæpe falluntur. 3. Si hæc ita sint, in hujus quæstionis explicatione circulus committitur: quod argumentationis vitium est maximum. Interrogati namque Catholici, unde habemus, hunc esse genuinum Scripturæ sensum? respondemus, quia Ecclesia infallibili judicio ita decernit. Quum vero interrogamur: Unde habemus, judicium Ecclesiæ in rebus fidei esse infallibile? respondemus, quia ad id credendum infallibili Scripturarum authoritate convincimur. Ita argumentantur Heterodoxi.

15. Hæc tamen omnia vim habent nullam. Non enim, si Prætor, aut Magistratus de Regia lege judicat, ea superior est; sed judicare dicitur, vel quia rescriptum regium verum, ac legitimum a falso, & supposititio discernit: vel quia hoc, & non illo sensu intelligendum esse textum, statuit. Ita, inquit Bellarminius, (*lib. 3. de verb. Dei interpret. c. 10.*) divina Scriptura nec firmitatem, nec robur accipit ab Ecclesiæ judicio, sed intelligentia nostra. Non enim Scriptura verior, aut certior est, quia sic ab Ecclesia exponitur, sed mea, aut tua sententia tunc credenda est Scripturæ conformis, atque adeo verior, certiorque, quando ab communi Ecclesiæ judicio non exorbitat. Ad secundum distinguo primum consequens: ergo etiam fides nostra tamquam a primaria, & ultima, vel formali ratione credendi, nego; tamquam a medio, per quod nobis divina veritas innotescit, concedo. Nec ideo parum solido a fundamento pendet. Non enim verbum, aut judicium Ecclesiæ quicquam de fide proponentis, verbum est, aut judicium hominis; neque nos quum accepissemus verbum auditus fidei, accepimus illud, ut verbum hominum, (*ad Thessal c. 2.*) sed sicut est vere, ut Verbum Dei. Locus autem Augustini non est ad rem. Ibi enim loquitur de Ecclesiasticis judiciis in rebus facti, non fidei. Ecclesiæ porro authoritatem quis un-

Digitized by Google

unquam novit melius, aut clarius asseruit Augustino, cujus illa vox est notissima: (*lib. cont. Epist. fundam. c. 5.*) Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret authoritas. Ad tertium dicitur, tunc circulum committi, quando ita argumentaremur apud eos, aut adversus illos, quibus utrumque esset æque incertum; ut si Pagano Scripturam ex Ecclesia, & Ecclesiam ex Scriptura probare vellem. Quum vero in eum argumentamur, qui alterum admittit, ex concesso ad negatum argumentari semper licuit sine circulo. Sic admittenti causam, & neganti effectum, demonstrabo effectum ex causa, contra vero admittenti effectum, & neganti causam, demonstrabo causam ex effectu. Sic adversum Judæos disputantes, Novum Testamentum commendamus, & probamus ex Veteri; adversum Manichæos autem Vetus probamus ex Novo. Quum ergo nostrorum temporum Hæretici Scripturas non respuant, ex iis & Ecclesiam, & infallibile ipsius in rebus fidei, morumque judicium illis demonstrabimus, ut in Tractatu de Ecclesia, & ejus authoritate explicatur fusius.

PROPOSITIO XVII.

Scripturæ non ex proprio sensu, sed ex mente Patrum exponendæ sunt.

1. Convincitur assertio primo testimoniis ipsarum Scripturarum. Ita enim ubique nos docent: (*Deuth. c. 32.*) Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi, majores tuos, & dicent tibi. Item: (*Eccli. 8.*) Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Item: (*Prov. 22.*) Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui. (*Eccli. 41.*) Sapientiam omnium antiquorum exquiret . . . . narrationes Virorum nominatorum conservabit &c. Adde illa ex Novo Testamento: (*ad Rom. 12.*) Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Quod fit, inquit Antoninus, (*p. 2. tit. 11. cap. 1.*) dum quis doctrinis ab Ecclesia approbatis, & quæ communiter tenentur, non acquiescit, novas inveniens, quod prohibetur in Cap. *Relatum* dist. 37. Item illud Pauli ejusdem: (*1. ad Corinth. cap. 14.*) Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Non est autem dissensionis Deus, sed pacis. An a vobis Verbum Dei processit? Aut ad vos solos pervenit? Clarius illud: (*ad Ephes. c. 4.*) Et ipse quidem dedit alios . . . Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum

in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c.

2. Probatur 2. Patrum teſtimoniis, quorum primus Clemens Romanus, cujus verba habentur in Cap. *Relatum* nuper citato ex Antonino, ſic inquit: Relatum eſt, quoſdam docere non ſecundum traditionem Patrum, ſed juxta ſenſum ſuum .... Ideo diligenter eſt obſervandum, ut lex Dei non ſecundum propriam intelligentiam doceatur .... Et ideo oportet ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum, qui eam a majoribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſervat. Alibi etiam, nimirum libro Recognitionum decimo a Petro ſe edoctum fuiſſe, ait, traditionem majorum Verbi Dei clavem eſſe. Et quidem merito; Agnitio namque vera, inquit Irenæus, (*lib. 4. c. 56.*) Apoſtolorum eſt doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in univerſo mundo .... ſecundum ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam condiderunt, quæ pervenit uſque ad nos cuſtodita ſine fictione, teſtimonio, & tractatione Scripturarum pleniſſima &c. Clemens vero Alexandrinus: (*Strom. 7.*) Gloriæ, inquit, deſiderio abripiuntur, qui ea, quæ ſua natura ſermonibus divinitus inſpiratis convehiunt tradita a beatis Apoſtolis, & magiſtris, ſua ſponte fallaci ſapientiæ æmulatione corrumpunt, humanis doctrinis divinæ traditioni reſiſtentes. Ideo, uti Origenes monuit, (*Tract. in Matth. 29.*) illis (ejuſmodi nimirum falſis Doctoribus) credere non debemus, nec exire a prima, & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis. Utinam hanc ipſe in omnibus tenuiſſet viam, & non liberis, ut inquit Hieronymus, (*5. Comm. in Iſai.*) allegoriæ evagatus ſpatiis, ingenium ſuum feciſſet Eccleſiæ Sacramenta! Servemus igitur, ait Ambroſius, (*lib. 3. de fide ad Gratian. cap. 9.*) Majorum præcepta, nec hereditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus. Imperitorum namque hoc vitium eſt, ſcribit Hieronymus, (*in Dan. 120.*) Scripturæ Sanctæ intelligentiam abſque Dei gratia, & doctrina majorum ſibi vendicare. Quid enim temerariæ ſuperbiæ plenius, clamat Auguſtinus, (*lib. de utilit. cred. ad Honor. cap. 7.*) quam divinorum Sacramentorum libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere? Certe, inquit alibi. Terentium ſine magiſtro attingere non auderes. Aſper, Cornutus, Donatus, & alii requiruntur innumerabiles, ut quilibet Poeta poſſit intelligi; tu in Sanctos libros ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam. Dionyſius: (*de Cæleſt. Hier. lib. 1.*) Ad ſanctiſſimarum intelligentias Scripturarum, prout eas a Patribus accepimus, contuendas &c. Gregorius. (*9. Moral. cap. 6.*) Dum per Sanctos Doctores diebus ſingulis

Digitized by Google

lis magis scientia cælestis aperitur, quasi interni novi luminis vernum tempus ostenditur, ut novus Sol eorum verbis nobis cognitus se ipso quotidie clarior micet. Alibi etiam (*lib. 28. Moral. cap. 9.*) similia inculcat exponens illud: *Super quo bases illius solidatæ sunt*. Prætereo Epiphanium, Vincentium Lirinensem, Cassiodorum, Bernardum, & alios, quorum testimonia forsan dabimus alibi, dum de Traditionibus agetur.

3. Probatur tertio ex communi praxi, & testimoniis Conciliorum, de quorum infallibili authoritate alibi agitur. In Ephesina namque Synodo, inquit Vincentius Lirinensis, (*in Commonit.*) Catholicissimum, felicissimum, atque factu optimum, hoc visum est, ut in medium sententiæ proferrentur Patrum, quorum alios Martyres, alios Confessores, omnes vero Catholicos Sacerdote fuisse, constabat, ut scilicet rite, atque solemniter ex eorum consensu, atque decreto, antiqui dogmatis religio firmaretur, & profanæ novitatis damnaretur blasphemia. In sexta Synodo OEcumenica (*Sess. 11.*) damnati sunt Origenistæ, quod multa contra Apostolicam, & paternam traditionem assererent. Trullana Synodus decernit, (*can. 19.*) oportere eos, qui Ecclesiis præsunt, populum docere ex divina Scriptura colligentes sententias, & non transgredientes jam positos terminos, & divinorum Patrum traditionem. Simile exstat decretum Quintæ Synodi apud Ivonem, (*tit. 11. lib. 2. cap. 14.*) & Nicenæ Secundæ. Merito igitur Clemens V. in Viennensi Concilio, Nos inquit, (*habetur Clement. 1. de Sum. Trinit.*) ad Sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes &c. Et in Concilio Lateranensi (*Act. 11.*) præcipitur omnibus, qui populum docturi sunt, ut Sanctam Scripturam juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, explanent, nec quicquam eis proprio sensu, contrarium, aut dissonum adjiciant, sed illis semper insistant, quæ a præfatorum Doctorum interpretationibus non discordant. Denique Tridentina Synodus ad coercenda petulantia ingenia decernit, (*sess. 4.*) ut nemo contra eum sensum, quem tenet Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrum Sacram Scripturam interpretari audeat.

4. Quarto id ipsum celebriorum Doctorum exemplo convincitur. Basilius siquidem, & Gregorius Nazianzenus divinarum Scripturarum intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis, & authoritate sequuti sunt, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligentiæ regulam sumpsisse, constabat, ut scribit Ruffinus. (*lib. 11. Eccles. hist.*) Quid porro de se Hieronymus? Numquam ab adolescentia, inquit, (*Præf. ad Eph.*) aut legere, aut doctos viros interrogare cessavi, aut me ipsum magistrum habui. De-

nique nuper ob hanc maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia, sciscitarer. Idem in cunctis fere Commentariorum prologis Veteres commemorat, quos sit in expositione sequuturus. Quid Augustinus? Nonne passim Veterum Tractatorum usurpat testimonia? Præstat tamen ejus audire verba contra Julianum disputantis: Non omnium, inquit, (*lib. 1.*) hac de re sententias commemorabo, sed pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere, & cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit. Et alibi: (*lib. 2. in eund.*) Hoc probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum, ac per hoc non est consequens, ut falsum sit. Tales quippe, ac tanti viri secundum Catholicam fidem hoc verum esse, confirmant, ut vestra fragilis, & argutula novitas sola illorum authoritate conteratur. Præterquam quod ea dicunt, ut se per ipsos loqui veritas ipsa testetur. Sed nunc authoritate primum eorum vestra audacia comprimenda est, ut dum tales homines Dei in fide Catholica errare potuisse, non creditis, ausus præcipites refrænetis. Et infra: Sanctos, & in Sancta Ecclesia illustres Antistites Dei (non Platonicis, vel Aristotelicis, aut Zenonicis, quamquam & in iis nonnulli ex eis docti fuerunt), verum omnes Sacris litteris eruditos, nominatim, sicut oportebat, expressi, ut timeas, in eis non ipsos, sed eum, qui sibi illos utilia vasa formavit. Et item: Usque adeo permiscuit ima summis longus dies, ut videant Pelagius, Cœlestius, Julianus, & cœci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & Cyprianus?

5. Quibus in verbis rationes nonnullas Augustinus strictim tetigit, quibus etiam assertio nostra fulcienda est. Et primo quidem: Quum Sacra Scriptura multis in locis obscura sit, atque intellectu difficilis (ut supra statutum est prop. 16.), ex eaque potissimum fidei Christianæ mysteria haurienda, & confirmanda sint, eos in studio Scripturarum duces sequamur, necesse est, qui ob magnam animi puritatem, & vitæ sanctimoniam ita affecti erant, ut divinæ illustrationis digniores fuerint, atque aptiores, & qui excellenti ingenio, summoque studio, ac diligentia Scripturis scrutandis incubuerint; sed tales sunt Sancti Ecclesiæ Patres: eos igitur duces, atque interpretes sequamur, oportet. Primam profecto minoris partem non est cur suadendam suscipiamus, nullo etiam ipsorummet Hæreticorum refragante. Ecclesiæ enim totius consensu, ac testimoniis obruantur necesse est, quæ Clementem, Ignatium, Justinum, Irenæum, Cyprianum, ac deinceps reliquos eximia in Deum fide, charitate, & religione insignes veneratur. Quum ergo Scripturas eo, quo scriptæ sunt, spiritu legendas, atque exponendas esse, ipsi fateantur adversarii, quos-

nam

Digitized by Google

nam potius hoc Dei spiritu afflatus, plenosque credamus, quam tot Viros Sanctissimos, atque animi puritate præstantes? Aliud etenim est, ut Nesterus Abbas apud Cassianum, (*Collat. 14.*) facilitatem oris, & nitorem habere sermonis; aliud venas, & medullas cœlestium intrare dictorum, ac profunda, & abscondita sacramenta purissimo mentis oculo contemplari, quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio sæcularis, sed sola puritas mentis per illuminationem Sancti Spiritus obtinebit. Quod aliis verbis Bernardus: (*ad Fratres de mte Dei.*) Nunquam ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus, & studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis. Jam vero eorumdem Patrum ingenio dignum afferre quis poterit? Hieronymus porro, quum Lactantii, Arnobii, Justini, Irenæi, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Hilari, Clementis Alexandrini, aliorumque meminisset, Omnes hi, inquit, (*Epist. ad Mag. orat.*) in tantum Philosophorum doctrinis, ac sententiis suos referciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an Scientiam Scripturarum. Ipse vero Hieronymus Hebraice, Chaldaice, Græce, Latineque eruditus, & qui, teste Augustino, quotquot exstabant, libros legisse videbatur. De Augustino autem quid dicam, nisi quod ipse de se Deum alloquens fatetur? (*lib. 18. de civit. Dei c. 43.*) nimirum, quidquid de arte loquendi, & disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum, & de Musicis agitur, & de numeris, nullo hominum tradente intellexisse. Nec sentiebam, inquit, artes illas etiam ab studiosis, & ingeniosis difficillime intelligi; nisi quum eis easdem conabar exponere, & erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur.

6. De studio vero, ac labore, quem in divinarum litterarum investigatione posuerunt, quid attinet diserere? quum illis se totos dederint, in iis consenuerint, iisque se ita immerserint, quasi præterea legissent, aut didicissent nihil. Hieronymus porro in Ciceronis, Virgilii, Juvenalis, Homeri, Demosthenis, Teophrasti, Livii, uno verbo, Scriptorum omnium utriusque linguæ politiorum deliciis innutritus, quindecim, inquit, (*lib. 3. comment. ad Galat.*) anni sunt, ex quo non ascendit in manus meas profanarum litterarum quicquam, & siquid aliquando in mentem, aut in os venit, quasi per longi umbras somnii recordamur. Basilius, & Nazianzenus ad monasterii solitudinem, otiumque confugientes, tredecim annos solidos, remotis omnibus Græcorum sæcularium libris, solis Scripturæ voluminibus operam dederunt, ut scribit Ruffinus. (*lib. 2. de Eccl. Hist. c. 9.*) His, sicut Origeni, Clementi Alexandrino, Eusebio, Hilario, Ambrosio, idem vitæ finis, atque sacrorum studiorum fuit. Leo, Gre-

go-

Digitized by Google

gorius, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, quamvis Episcopalis officii occupationibus distenterentur, usque ad extremam senectutem libros in Scripturæ explanationem ediderunt. Quis unquam Recentiorum ita aut ardenter, aut indefesse Scripturis evolvendis incubuit?

7. Quis præterea paribus ad scribendum præsidiis instructus accessit? Ut enim etiam illud addamus, quo prædicta omnia maxime confirmantur, dubitandum non est, Apostolos ea, quæ ab Christo Domino audierant, ac didicerant, præsertim post resurrectionem, quum per dies quadraginta apparens eis de regno Dei, id est, de Ecclesia stabilienda loquebatur, & Scripturarum in se completarum sensum eis aperiebat, hæc, inquam, dubitandum non est, Apostolos suis auditoribus tradidisse Polycarpo, Ignatio, Clementi, Dionysio, Papiæ, Apollinari, atque aliis, qui deinde suis quoque discipulis partim verbo, partim etiam scripto, quæ acceperant a Petro, Joanne, Paulo, & reliquis, fideliter tradiderunt. Itaque quo propius Sancti illi Patres ab Apostolicis temporibus abfuerunt: eo copiosior ad eos, puriorque, & incorruptior Scripturarum intelligentia venerit, necesse est. Quare, etsi cæteris omnibus recentiorum sæculorum Scriptoribus pares haberentur, (quibus multo sunt superiores) hoc sine controversia vincebant, quod præstantiores habuerint magistros, & germanum scripturarum sensum ex ipsis incontaminatis Divini Verbi fontibus ebiberint. Unde Dionysius, seu quis est Author libri de Cœlesti Hierarchia, JESUM, inquit, (*cap. 1.*) invocantes . . . ad Scripturarum intelligentias, prout ipsas a Patribus accepimus, accedamus, & quas illi nobis vel per signa, vel per intelligentia sacratioris arcana tradiderunt, cœlestium Spirituum distinctiones, & ordines, in quantum possumus, speculemur.

8. Tertio: Ut ex Hieronymo argumentatur Canus, (*lib. 7. cap. 3.*) Apostolorum discipuli auditum ab ipsis Evangelium accipiebant, non ut Verbum hominum, sed (ut erat vere) ut Verbum Dei: ergo vel ea ipsa, quæ audierant, posteris tradiderunt, vel non? Si primum: ergo ex libris, & traditione Patrum veram habemus intelligentiam Verbi Dei: quod erat intentum. Si secundum: ergo Ecclesia secundi, ac tertii Sæculi verum Dei Verbum, ac Evangelium non accepit; siquidem verum Dei Evangelium non est in verbis Scripturarum, sed in sensu: non in littera, quæ occidit, sed in spiritu, qui vivificat: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Ecclesia, inquit laudatus Hieronymus, (*in Commen. sup. 1. c. Epist. ad Gal.*) quæ a posteris Apostolorum audivit fidem, non accepit hominis Evangelium, sed Dei. Doctores enim Ecclesiæ non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus, qui ad Sanctos loquitur, . . . Qui Dii sunt, tradunt

Dei

Digitized by Google

Dei Evangelium, & non hominis. Marcion, & Basilides non habent Dei Evangelium, quia carent Spiritu Sancto, sine quo humanum fit Evangelium, quod docetur. Nam neque putemus, in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Quodsi primorum sæculorum Ecclesia verum Dei Evangelium non habuit: ergo nec posteriorum sæculorum Ecclesia, quæ ab primis illis & credendi formam, & vivendi rationem haurire debuit. Quarto: sequentium sæculorum Pastores, & Doctores doctrinas illas, quas omnium præcedentium consensu confirmatas videbant, populis tradiderunt. Ea enim prædicabant, & docebant, quæ acceperant, ex iisque peregrinas vocum novitates, & hæreticorum dogmata confutabant. Sic Cyrillus Nestorium, Hieronymus Elvidium, Basilius Amphilochium, Augustinus Julianum, Leo Eutychem, Agathon Monothelitas, Bernardus Gilbertum, & hujusmodi alii. Si ergo veteres omnes Patres in alicujus expositione loci ad fidem, aut bonos mores spectantis erravisse, contigerit, totam Ecclesiam veterem, ac deinde eam, quæ per recentiora sæcula subsequuta est, consequenter errasse, necesse est. Catholica autem, sive universa Ecclesia errare non potest; est enim Columna, & firmamentum veritatis, & de cujus testimonio dubitare non licet, ut ipse fatetur Lutherus: ergo communi omnium Patrum consensu firmata expositio falsa esse non potest.

9. Et Sanctorum quidem Patrum errorem ab errore Ecclesiæ sejunctum esse non posse, ipsi etiam intellexerunt Heterodoxi. Nestorius enim totam Ecclesiam errasse jactabat, quod, ut ille ajebat, ignaros, errantesque doctores esset sequuta. Contra vero, fidem Patrum ab Ecclesiæ ipsius fide sejungi non posse, eadem, in qua Nestorius ille damnatus est, Synodus agnovit, de qua Vincentius Lirinensis, Necesse est, inquit, (*in Commonit.*) omnibus Catholicis . . . . ut Sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur. Concilio enim Ephesino divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibi consentiens sanctorum Patrum tenuisset authoritas. Agnovit Synodus Sexta Constantinopolitana, quæ, necesse est, inquit, (*Action 12.*) non solum secundum sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed etiam iisdem cum illis vocibus uti, ac nihil penitus innovari. Et item Sanctorum Patrum dogmata tanquam legem suscipi ab Sanctis Dei Ecclesiis. Agnovit Synodus Lateranensis sub Martino V. Quæ enim, inquit, (*Can. 12., & 13.*) omnes Ecclesiæ Patres respuunt, ea Catholica, & Apostolica Ecclesia respuit, & quæ credunt, credit. Agnovit Augustinus inquiens: (*lib. 2. adv. Julian.*) Eos, qui Sanctos Patres rejiciunt, universam Christi Ecclesiam rejicere. Et merito; ut enim inquit Hieronymus:

(*in*

Digitized by Google

(*in verb. Dei Paul. ad Philemo.*) Quicumque Deo credit, aliter ejus fidem recipere nequit, nisi credat & in Sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta fides, quæ in ministros ejus infidelitate tenuatur. Agnovit Septima Synodus ita loquens; (*Action. 1.*) Qui doctrinas Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ traditionem contemnunt, quique causantur, & voces Arii, Nestoris, Eutychis, & Dioscori jactant, dicentes, quod nisi satis ex Veteri, & Novo Testamento instructi essemus, Sanctorum patrum, & Catholicæ Ecclesiæ traditiones sequeremur; iis anathema. Et alibi: Quomodo ea, quæ Sancti Patres non probaverunt, nos, qui ut discipuli eorum nominemur indigni sumus, recipiemus?

10. Accedit, quod (ut etiam adnotavit Canus idem) in iis, quorum cognitio ad populum non spectat, fides Ecclesiæ non alia est a fide Sapientium, atque Doctorum: ergo quum mysteriorum fidei intelligentiam ab ipsomet Scripturarum fonte petere plebis non sit, ut supra habitum est, prop. 16. Patrum certe, & priscorum Doctorum intelligentia Ecclesiæ intelligentia ipsissima est. Si igitur omnes Patres, priscique Doctores in hujusmodi erraverint, Ecclesia erravit profecto, idque authore Deo, qui nos Prælatos, & Sacerdotes audire jubet, dicens: (*Luc. c. 10.*) Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et item: (*Malach. c. 2.*) Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem de ore ejus requirent, adjuntis aliis, quæ supra dedimus.

11. Quantum autem, & quibus in rebus Sanctorum Patrum authoritati sit deferendum, sex propositionibus complexus est Melchior Canus, (*loc. cit.*) quas hic subtexere ad plenam hujus rei tractationem operæ pretium duxi, si tamen illud præmisero, tria dubiorum genera distingui oportere. Alia enim sunt pure Philosophica, aut ad eas facultates pertinentia, quæ, seclusa fide, solo rationis lumine obtineri possunt. Alia sunt in rebus etiam Theologicis, & ad Sacrorum librorum interpretationem spectantibus, in quibus (ut Augustinus loquitur) (*1. contr. Jul. c. 2.*) aliquando inter se doctissimi, atque optimi Regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant. Alia denique, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta. In primis ergo Sanctorum authoritas, sive plurium, sive paucorum, certum argumentum non suppeditat, sed tantum pollet, quantum ratio naturæ consentanea persuaserit.

12. Secunda Cani, & communis Theologorum assertio talis est: In quæstionibus etiam secundi, & tertii generis, authoritas unius, alteriusve ex Patribus probabile quidem argumentum facit, certum non facit. Solis enim Scripturarum libris didicimus ex Augustino (*2. de bap. c. 3.*) hunc honorem deferre, ut nullum eorum Autho-

rem

Digitized by Google

rem inscribendo errasse, firmissime credamus. Patres igitur cum reverentia quidem, sed cum delectu legendi sunt velut homines. Lapsi sunt enim innonullis etiam ad fidem spectantibus, ut facile exemplis adductis in superioribus monstrari posset, & partim ex hucusque dictis, partim ex dicendis planum fiet.

13. Tertia propositio; Plurium Sanctorum authoritas, reliquis, licet paucioribus, refragantibus, si Ecclesiæ judicium pro neutra parte steterit, certum argumentum non facit.

14. Quarta: Omnium etiam Sanctorum Patrum authoritas in quæstionibus secundi generis fidem quidem probabilem facit, certam non facit. Ut enim toties laudatus Vincentius Lirinensis scripsit: (*adver. proph. novationes.*) Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus Divinæ legis quæstiunculis, sed solum in fidei regula magno studio nobis & investiganda, & sequenda est.

15. Quintam assertionem his verbis enuntiat Canus: In expositione Sacrarum litterarum communis omnium Sanctorum Veterum intelligentia certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas conclusiones roborandas.

16. Sexta denique: Patres simul omnes in fidei dogmate errare non possunt.

17. Restat, ut nonnullis objectionibus fiat satis. Opponitur enim 1. testimonium Augustini id ipsum sæpe inculcantis, (*Epist 19. ad Hieron.*) alios quoslibet Scriptores præter Canonicos ita esse legendos, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putetur aliquid, quia ipsi ita senserunt, aut scripserunt. Secundo testimonium D. Thomæ ajentis: (*1. p. q. 1. a. 8.*) Sacra doctrina utitur authoritatibus Doctorum Ecclesiæ tamquam propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt; non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus factæ. Tertio: Sancti Doctores non Spiritu Sancto afflati, sed proprio Spiritu, atque humano more, ingenioque scripserunt: infirma ergo eorum authoritas censenda est. Quarto: Sancti fere omnes verba Genesis de Operibus sex dierum ita intelligunt, ut non eodem die, sed diversis creatio perfecta fuerit. Augustinus contra eodem die creata, ornata, absoluta vult omnia. Similiter Moysem Dei substantiam aperte vidisse contra communem Patrum consensum tuetur, quem D. Thomas sequutus est. Quinto: Nullus Patrum Virginem Deiparam ab originalis peccati labe dixit exemptam, immo plures in Adamo peccasse disertis verbis tradiderunt; sed ex hoc Patrum consensu firmum argumentum non ducitur, immo contraria sententia pie, tuteque defenditur. ergo. Ita Erasmus.

18. Ad

Digitized by Google

18. Ad primum tamen horum respondemus, id quidem vere, & sapienter ab Augustino dictum, si cujusvis in se Doctoris Ecclesiastici dicta inspiciantur, non si omnium simul attendatur consensus, Sic enim Ecclesiæ Veteris ore loquuntur, quæ falli non potest, ut supra explicatum est, & amplius suo in loco dicetur. Hoc autem satis magnum est inter Canonicos, & non Canonicos authores discrimen. Eodem modo intelligendus est D. Thomas, cujus sententia Augustini authoritati innititur: & similiter tertium argumentum solvendum, quod etiam de Conciliis, totaque Christi Ecclesia factum supra diluimus. Quartum, & quintum, quum in quæstionibus primi, & secundi generis versentur, quæ ad fidei summam non spectant, sententiam nostram, & communem Catholicorum non labefactant, confirmant potius. Et de quinto quidem fusius alibi agendum nobis erit.

19. Quæres hic cum Azorio: An liceat Sacram Scripturam non quidem contra, verum præter Sanctorum omnium mentem interpretari, sive non adversos, & repugnantes Patribus, diversos tamen sensus eruere? Respondet citatus Author (*lib. 8. c. 2. q. 3.*) cum Banez, (*1. p. q. 1. ar. 10.*) licere id quidem. Nec enim prohibet Synodus, quo minus Ecclesiasticus Doctor e Thesauris Scripturarum nova proferat, & vetera, dum talia non sint, ut unanimi Sanctorum sententiæ repugnent, confirmatque & exemplo, & doctrina Augustini ajentis: (*1. de Genes. ad litter. c. 18.*) Si qua scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide, qua imbuimur, aliis, atque aliis patere sententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, quum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle, debeamus.

IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER QUARTUS.

DE VERBO DEI NON SCRIPTO,

SIVE

De Traditionibus.

PRÆFATIO.

PLura hic a nobis tamquam certa supponenda sunt, quæ in sequentibus stabiliuntur. Disputamus enim adversus eos, qui se Christianos profitentur, & tam Veteris Testamenti, quo de actum est superiori libro, quam Novi, de quo alibi agetur, testimoniis fidem præstant. Fuit autem hæc quum Veterum, tum Recentiorum hæreticorum indoles, ut quum ex Scripturis arguuntur, inquit Irenæus, (*lib. 3. advers. hæres. c. 2.*) in ipsarum accusationem convertantur, quasi non recte habeant, neque sint ex authoritate, & quia varie sunt dictæ, nec possit ex iis inveniri veritas ab iis, qui traditionem nesciunt . . . Quum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæque per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni . . . Evenit itaque, nec Scripturis jam, nec traditioni consentire eos. Adversus tales certamen nobis est. De hoc argumento Canus *in 3. de Locis Theologicis*, Bellarminius *tom. 1. Controv. lib. 4.*, Natalis Alexander *dissert. 16. in Eccles. histor. Sæcul. Secundi*, Gotti *de Vera Christi Ecclesia adversus Picenn.*, aliique apud ipsos.

PROPOSITIO I.

Traditionum veritas, necessitas, authoritas utriusque Testamenti testimoniis stabilitur.

1. PRimo quidem ex illo Exodi: (*Cap. 19.*) Narrabis filio tuo in die illo dicens: hoc est quod fecit Dominus. 2. Ex illo Deuteronomii: (*Cap. 32.*) Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi. Quando dividebat &c. Tertio ex illo Job: (*Cap. 8.*) Interroga generationem pristinam, & diligenter inve-

vestiga patrum memoriam. 4. Ex illo Judicum: (*Cap. 6.*) Ubi sunt mirabilia, quæ narraverunt nobis patres nostri? 5. Ex illo (*Psalm. 17.*) Deus, auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es &c. Et psalmi item. (*77.*) Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt ea filiis suis. 6. Ex illo Ecclesiastici: (*Cap. 8.*) Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim audiverunt a patribus suis; & his similia plura.

2. Clarius autem necessitas, & authoritas Traditionum ex Novi Testamenti Authoribus colligitur. Paulus enim sæpenumero traditionem in suis Epistolis commendat. Laudo vos, inquit, (*1. ad Cor. 11.*) quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Quem locum adducens Basilius. Arbitror, inquit, (*lib. de Spir. S. c. 29.*) Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. Et ex eodem loco Epiphanius: (*hæres. 61.*) Traditione quoque opus est, neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, alia traditione sanctissimi Apostoli nobis reliquerunt, quod ipsum ita Paulus affirmat. Sicut tradidi vobis. Ergo & sine scripto, inquit Chrysostomus, (*hom. 26. in 1. ad Cor.*) multa tunc illis tradebat, quod etiam aliis locis indicat. Ex qua Sanctorum expositione corruit Novatorum solutio, qui nomine traditionis scriptam solum doctrinam in Apostoli locis intelligi volunt.

3. Efficitur 2. Ex illis aliis Pauli ejusdem: (*in cit. Epist.*) Ego autem accepi a Domino, quod & tradidi vobis &c., ubi doctrinam de Eucharistia, antea verbo traditam, se nunc litteris commendare testatur, ac deinde subdit: Cætera, quum venero, disponam. Unde intelligi datur, inquit Augustinus, (*Epist. 118.*) quia multum erat, ut in Epistola totum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur. Neque enim de omnibus poterat, ait Theodoretus, (*in eum loc.*) sed quum scripsisset de magis necessariis, reliqua præsentiæ reservavit.

4. Efficitur 3. Ex illo ejusdem Apostoli apertissimo: (*2. ad Thes. c. 2.*) Itaque fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Ex quo loco Chrysostomus: (*hom. 4. in eand. Epist.*) Hinc perspicuum est, inquit, quod non omnia per Epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque fide digna sunt. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem fide dignam esse, censeamus. Est traditio. Nihil amplius quæras. Quam sententiam iisdem fere verbis expressit Damascenus. (*lib. 4. de fide cap. 17.*) In eadem etiam Epistola hæc

subdit

Digitized by Google

subdit Apostolus: Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre deambulante inordinate, & non secundum Traditionem, quam acceperunt a nobis.

5. Efficitur 4. ex illo 1. *ad Timotheum*: Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. Quid est autem depositum? inquit Vincentius Lirinensis. (*in Common. 1. c. 27.*) Quod tibi creditum est, non quod a te inventum. Quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis. Quod quidem depositum non solum de scripta doctrina, sed etiam de voce tradita intelligendum esse, idem Paulus ad eundem Timotheum expressit, dicens: Formam habes sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum. Et item: Quæ audisti a me per multos testes, id commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. Atque iterum: Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.

PROPOSITIO II.

Necessitas, & authoritas Traditionum ex Patribus evincitur.

1. SIt horum primus Ignatius Martyr, de quo Eusebius: (*lib. 3. histor. c. 36.*) Quum per Asiam sub arctissima satellitum custodia duceretur, Civitatum, quas ingrediebatur, Ecclesias sermonibus suis confirmans . . . . hortabatur, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam scriptis mandare, necessarium existimavit. Ignatii ergo tempore nonnulla erant ab Apostolis tradita Ecclesiis, non adhuc litteris consignata. Ignatio suppar Dionysius, sive quis est Author libri de Ecclesiastica Hierarchia, certe antiquissimus, id solum disertissime adstruit, ita scribens: (*cap. 1.*) Necessario primi illi nostri Sacerdotalis muneris duces . . . . visibilibus signis cœlestia sacramenta operuerunt, atque in iis, quæ nobis sunt familiaria, summa illa, & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, juxta quod Sacræ definiunt leges, nobis tradiderunt.

2. Tertius Papias Joannis auditor, (*ap. Euseb. Hist. lib. 6. c. 39.*) Nec pigebit, inquit, quæ quondam a Senioribus didici, ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris scribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur . . . . Illos enim semper sectatus sum, qui Domini mandata in figuris tradita, & ab ipsa veri-

tate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum Senioribus versatus esset, ex eo curiose sciscitabar, quænam essent Seniorum dicta? Quid Andræas, quid Petrus dicere soliti essent? Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse, existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce. Joannis item auditor Polycarpus, ut de illo scribit Irenæus, (*apud Euseb. histor. lib. 5. cap. 20.*) de miraculis, & doctrina Domini, ut ab iis, qui Verbum vitæ ipsi conspexerunt, acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Sacra Scriptura consentiens. Quæ, subdit Irenæus, ego, divina mihi largiente gratia, tunc studiosius audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens, eademque per Dei gratiam assidue repeto, ac revolvo.

3. Irenæus porro ipse locupletissimus est traditionum non scriptarum testis, & assertor. Traditionem, inquit, (*3. adv. hær. cap. 3.*) Apostolorum per totum mundum manifestatam in omni Ecclesia perspicere licet omnibus, qui vera velint audire. Deinde Clementem Romanum, ait, vidisse ipsos Apostolos, & contulisse cum eis, quum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet. Tum recensita Romanorum Pontificum serie, hac inquit, ordinatione, & successione, eaquæ ab Apostolis est traditio, & præconizatio, pervenit usque ad nos, & hæc plenissima est ostensio unam, & eandem vivificam fidem esse, quæ ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate .... Non igitur oportet quærere ab aliis veritatem, quam facile est ab Ecclesia petere .... Quodsi aliqua disceptatio sit, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & in quas (inquit alibi) velut in depositorium dives plenissime omnia, quæ veritatis sunt, contulerunt? Quid autem, si neque Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quem tradiderunt iis, quibus Ecclesias committebant? Cui ordinationi obsequuntur plures Barbarorum gentes, quorum, qui in Christum credunt, sine charta, & atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes &c., Clemens Alexandrinus Pantœnum præceptorem suum laudat apud Eusebium, (*lib. 6. hist. c. 12.*) quod quæcumque a majoribus accepisset, & traditiones, quas posteris reliquissent, exponeret. Dein alibi duas distinguit traditiones, alias scriptas, alias non scriptas. Et arcana, inquit, (*lib. 1. Strom.*) sicut Deus, verbo creduntur, non scripto. Et item: (*lib. 6.*) Cognitio (Græce γνῶσις) perfecta ea est, quæ ab Apostolis per successionem sine scriptis tradita ad nos usque pervenit. Et infra: (*lib. 7.*) Vita Gnostici, sive ejus, qui vera cognitione præditus est, nihil est aliud, quam facta, & verba Domini traditio-

ditioni conformia. Nota hic obviter, Gnosticos a Clemente, sicut ab aliis Patribus, vocari Viros Spirituales, & in scientia Dei perfectos: quod nomen, quum per summam impudentiam sibi tribuerent Hereticorum impudicissimi, eo deinde Christiani Scriptores abstinuerunt.

4. Clementi præceptori adsonat Origenes inquiens: (*in prol. ad 1. Periar.*) Quoniam ex iis, qui se in Christum credere profitentur, plures non in minimis solum, sed in maximis sæpe discordant .... necessarium videtur, prius de his singulis certam lineam, manifestamque regulam proponere. Quænam autem sit hæc regula, deinde aperit, dicens: Servetur Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens. Illa enim solum credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat. Et alibi: (*hom. 29. in Matth.*) Exire non debemus a prima, & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis. Item alibi: (*in cap. 6. ad Rom. lib. 5.*) Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Atque item: (*lib. 1. Exposit. in Evan. S. Math.*) Sicut ex traditione accepti de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Ecclesia, quæ sub Cœlo est, citra controversiam admittuntur &c. Scripturas igitur ostendit traditio; traditionem autem Ecclesiæ consensus.

5. Origeni suffragatur Serapion apud Eusebium, (*lib. 6. hist. c. 12.*) qui de Evangelio Petri loquens, quod Martianus quidam hæreticus confinxerat, Nos, ajebat, Petrum, & reliquos Apostolos, perinde ac Christum ipsum suscipimus; sed quæ nomen illorum falso præseferunt, repudiamus, quippe qui compertum habeamus, ea nos a majoribus minime accepisse.

6. Tertullianus porro in Traditionibus firmandis totus est. (*lib. de Corona Militis c. 3. & 4.*) Quæramus, inquit, an traditio, nisi scripta, non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Deinde recensitis pluribus Christianæ Ecclesiæ observantiis, hæc subdit: Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem quæras Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix ... His igitur, & similibus exemplis manifestum est, posse etiam non scriptam traditionem in observatione defendi confirmatam consuetudine .... Consuetudo autem etiam in rebus civilibus pro lege suscipitur, quum deficit lex; nec differt, scripturane, an ratione consistat, quando & legem ratio commendat. Et alibi: (*lib. de carne Christ. c. 2.*) Porro quod traditum erat, id erat verum, uti ab iis

Digitized by Google

traditum, quorum erat tradere : ergo quod erat traditum rescindens, quod verum erat, rescidisti. Similia habet in toto, quem de Præscriptionibus inscripsit, libro, ex quibus ita demum concludit: Si hæc ita se habent, ut veritas adjudicetur nobis, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos Hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem; quos sine Scripturis probamus, ad Scripturas non pertinere. Insigniorem ejusdem Authoris locum infra dabimus.

7. Eandem doctrinam a Tertulliano, quem Magistrum appellabat, Cyprianus desumpsit, qui de Eucharistia loquens: Admonitos nos scias, inquit, (*Ep. 63.*) ut in Calice offerendo Dominica Traditio observetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus aqua offeratur.

8. Accedit Eusebius, quum in aliis locis, tum clarissime in libro contra Marcellum, ubi de formula Baptismi disserens, quæ, inquit, (*lib. 1. cap. 1.*) præterquam quod sunt divinis litteris consignata, sunt etiam adhuc majorem in modum confirmata per traditionem Catholicæ Ecclesiæ Dei a finibus ad fines terræ, quæ ex non scripta traditione Sacrarum Scripturarum testimonia confirmat.

9. Athanasius item: In negotio, inquit, (*Ep. de Sy. Ar.*) Paschatis Patres, quod ad Ecclesiæ praxim pertinebat, ita loquebantur: Visum est nobis, de fide vero non scripserunt, Visum est nobis, sed: Sic credit Ecclesia Catholica . . . Ut ostenderent; non novam esse eam sententiam, sed Apostolicam, & quæ ipsi scripsissent, non sua esse inventa, sed documenta Apostolorum.

10. Apertissime Basilius: (*lib. de Spir. S. cap. 27.*) Dogmata, & instituta quædam habemus e doctrina scripto prodita; quædam rursus ex Apostolorum traditione: quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Deinde plura exempla subjungit: Ut signo Crucis signemur: ut ad Orientem conversi oremus, quis scripto docuit? Item de Spiritus Sancti glorificatione loquens, ita concludit: (*c. 29.*) Si nihil aliud sine Scripturis receptum est, ne quidem hoc recipiatur; sin plurima arcana sine scripto recepta nobis sunt, cum aliis pluribus & hoc recipiamus.

11. In eadem est sententia Basilii frater Gregorius Nissenus. Ac ne mihi, inquit, (*3. contr. Eunom.*) aliquis obstrepat, quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus sit, atque argumentis roborandum, sciat is, satis esse nobis ad nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos a majoribus traditionem habemus,

mus; velut hereditatem quamdam ab Apostolis per successionem; continuata per sequentes Sanctos serie transmissam.

12. Similia Epiphanius, qui de Purgatorio, & mortuorum suffragiis disputans, Necessario, inquit, (*hæres. 75.*) facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit. Dicitur enim: Audi, filii, sermones patris tui, & ne repellas legem matris tuæ. Quibus Patrem, hoc est, Deum, declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse; matrem vero nostram Ecclesiam decreta quædam penes se retinuisse, quæ dissolvi, evertique non possint.

13. Quid Hieronymus? Quamvis, inquit, (*dialog. contra Lucifer.*) Scripturæ authoritas non subesset, totius Orbis hanc in partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & alia multa, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.

14. Augustinus vero quam sæpe ex non scripta traditione adversus Donatistas, aliosque hæreticos argumentatur? Sufficiat illud de non repetendo Baptismo: (*de bapt. c. 23.*) Apostoli nihil exinde præceperunt; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse, credenda est, sicut multa sunt, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamvis scripta non reperiantur. Ejusdem ea tritissima regula est: (*Epist. 118. ad Januarium*) illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri.

15. Huic affinis illa alia regula est Vincentii Lirinensis: (*com. 1. c. 3.*) Magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum. Hoc est etenim vere, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat. Quod ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Mitto posteriorum sæculorum Patres, Concilia, & Theologos, qui apud citatos Authores videri possunt.

PROPOSITIO III.

Necessitas Traditionum Theologicis rationibus firmatur.

1. PRimam, eamque invictissimam supra tetigimus, quum de Revelationis necessitate ageremus. Demonstratum est enim, Religionem, sive quocumque nomine vocetur veri Dei cultus, sine revelatione stare non posse; sed extitit ab Adamo usque ad Moysem

veri Dei cultus: extitit igitur revelatio aliqua; sed non scripta, quæ gratis fingeretur: ergo per annos plus quam bis mille veri Dei cultus traditionibus constitit non scriptis. Nec dissimulaverim, Traditionum osores ita hanc posse difficultatem evadere, ut dicant, extitisse quidem ante Moysem scripturas aliquas, sed injuria temporum periisse. Neque id gratis fingi, siquidem scripsisse septimum illum ab Adamo Henochum, supra cum Augustino statuimus, (*lib. 2. prop. 27.*) ejusque prophetiam usque ad tempora Apostolorum conservatam fuisse, constat ex Epistola Judæ Canonica. Cur ergo non alii quoque revelationem aut sibi, aut aliis factam litteris consignare non potuerint? Hoc tamen effugium vim argumentationis non omnino enervat. Semper enim Traditioni locus est, nisi primum hominem & mundi, & sui ipsius creationem historiam scripsisse dicant: quod nemo dixerit. Quantolocumque autem tempore veri Dei cultus sine scriptura constiterit, satis nobis est, ut Traditionem ad fidem simpliciter necessariam esse, dicamus; Scripturas vero ideo adhibitas, & inventas, ut Traditio facilius, fideliusque ad posteros derivaretur.

2. Secundo: Quodcumque fuisset sive ante, sive post Moysem Verbum Dei scriptum, illud non nisi Abrahami, & Jacobi posteris notum erat, quibus credita sunt eloquia Dei secundum Paulum; (*ad Rom. c. 3.*) sed erant præter Israelitas veri Dei cultores plurimi, ad quos illæ Scripturæ non pervenerant, ut de Melchisedecho, Jobo, & amicis ejus perspicuum est: stetit ergo, & stare etiamnum potest sine Scripturis per solam traditionem veri Dei cultus: quod etiam post Christi adventum de nonnullis gentibus testatur supra citatus Irenæus. Neque dicas, potuisse Hebraicas Scripturas etiam ad gentes alias propinquas derivari, maxime ad Ægyptios, & Phœnices, atque ex iis ad Syrios, Arabes, Græcos. Ut enim id ante Moysem factum concederemus, non nisi ad raros, & longo post confusionem linguarum tempore id accidere potuit, quum etiam nunc non nisi ad paucissimarum gentium linguas Scripturæ paucorum hominum opera, atque studio, nec sine ingenti labore translatæ sint.

3. Tertio: In ipsa Israelitica gente, licet Scripturæ post Moysem exstarent, tamen magis traditione Judæi, quam Scripturis regebantur. Nam neque hæ ante Esdram ad librorum formam erant redactæ, nec nisi paucissima erant illarum exemplaria, adeo ut volumen Legis Domini longo tempore delituisse, & Josia regnante, inventum cum ingenti populi commotione lectum fuisse, narretur (*lib. Regum quarto. cap. 22.*) Confirmari id potest Hebræorum sapientiorum testimonio, qui Legem dividunt in *Scriptam*, & *Oralem*, id est, ore, aut voce traditam. Hanc autem rursus in duas dividunt, alteram, quæ *Masora*, alteram, quæ *Kabala* appellatur, de quibus supra dictum

est:

est: ubi Origenis, & Hilarii testimonia dedimus. (*lib. 2. Prop. 9.*) Libet autem hic Hilarii verba repetere ad præsentem controversiam apertissima: Moyses, inquit, (*apud Picum in expos. Ps. 2.*) quamvis Veteris legis verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis Legis sacratiora mysteria Septuaginta Senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat .... Hi itaque libros hos transferentes, & spiritualem secundum Moysem traditionem occultarum cognitionum adepti, ambigua lingua Hebraica dicta, & varia quædam ex se nuntiantia secundum virtutes rerum certis, & propriis verborum significationibus transtulerunt, sermonum multimodam illam intelligentiam doctrinæ scientia temperantes. Vide quæ ibidem fusius de his explicuimus.

4. Quarto; Non omnia, quæ aut proponuntur credenda, aut agenda Christiano populo præcipiuntur, in Sacris Scripturis continentur: ergo præter Scripturas necessaria est traditio; alias non satis humanæ infirmitati provisum esset. Antecedens patet in multis. Nam 1. homines a primo eorum parente originale peccatum contraxisse, fide certum est. Item certum est, plures quum in Naturali lege, tum in Scripta Deo placuisse, & sancte obiisse, atque adeo æterna beatitudine perfrui: ergo ante mortem ab originali peccato mundatos illos fuisse, oportet; sed nihil, nedum in Lege Naturali, sed neque in Mosayca institutum reperitur, per quod homines ab originali labe mundarentur: ergo rem adeo humano generi necessariam sola traditione constitisse, fatendum est. Et quidem de Lege Naturali minor constat. Sub Lege autem Scripta dices, peccati originalis remedium fuisse circumcisionem. Verum id primo quidem gratis dicitur, quia aptius aliquid non occurrit. Deinde, quamvis pro masculis octavum diem prætergressis id verum esset; at fœminæ, & masculi, qui ad octavum diem non pervenerant, quomodo sanabantur? At Jobus, & reliqui, qui extra Israeliticum populum Deum colebant, quomodo mundabantur?

5. Item: ad fidem spectat, ut credamus, esse aliquod Dei Verbum scriptum: sed hæc veritas ex ipsismet Scripturis probari nequit, ut patet: ergo ante omnem Scripturam Traditio Ecclesiæ intelligenda est, per quam sua libris Canonicis constet authoritas. Hinc illud tritissimum Augustini: (*lib. cont. Epist. fundam. c. 5.*) Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret authoritas: cui similia ex Serapione, & Origene supra dedimus. (*lib. 3. Prop. 17.*) Urget hoc argumentum egregie Tertullianus in libro de Præscriptionibus per hæc verba: Hæresis quasdam Scripturas non recipit, & quas recipit, non integras; quodsi integras, nihilominus diversas expositiones commentata convertit ... Quid promovebis, exercitatissime Scriptura-

Digitized by Google

rum, quum siquid defenderis, negetur: siquid negaveris, defendatur? Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in iis constituendum certamen, in quibus nulla, aut incerta victoria est, aut incertæ par. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo, per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani? Quum igitur hæc omnia per ipsas Scripturas probari non possint, ante omnem Scripturam necesse est, viguisse Traditionem, per quam Scripturis honor suus, atque authoritas servaretur.

6. Præterea: Beatissimam Deiparam post partum Virginem permansisse, Baptismum parvulorum ratum esse, dari Purgatorium, aliaque hujus generis plurima in credendis, sicut in agendis illa: Jejunandum esse in Quadragesima, Vinum aqua miscendum pro Eucharistia, & alia hujusmodi, nequidem ipsi Hæretici, aut saltem non hæc omnia omnes negaverunt. At hæc nusquam in Scripturis reperiuntur, aut non adeo clare, ut eis solis probari possint: ergo sola Ecclesiarum traditione roboris habent firmitatem. Quæ quidem argumentatio eam quoque solutionem occupat, qua dici posset, ante Scripturas necessariam fuisse traditionem, non vero ea nunc opus esse, quum est jam Dei Verbum litteris consignatum.

7. Quinto: Si Scripturæ ad fidelium instructionem essent omnino necessariæ, Jesus Christus Author, & Consummator fidei, Apostolis injunxisset, ut scriberent; atqui nusquam id præcepit, sed illud solum: (*Marc. c. 16.*) Euntes in mundum universum prædicate Evangelium .... Docete omnes gentes &c. Ergo. Confirmatur ex ipsius Domini verbis: (*Joan. c. 16.*) Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: eaque esse credendum est, quæ post resurrectionem suam ipsius aperuit per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei; (*Act. c. 1.*) sed de his, quæ post resurrectionem fecit, aut docuit Dominus, paucissima scripta sunt ab Evangelistis, & de omnibus generatim, quæ ante, vel post resurrectionem fecit, vix tantilla par scripta est, quæ si scriberentur per singula, inquit Joannes, (*c. 21.*) non ipsum, arbitror, mundum capere posse eos, qui scribendi essent, libros: ergo plurima viderunt, atque audierunt Apostoli, quæ litteris consignata non sunt, atque adeo sola traditione constabant.

8. Sexto, id ipsum hac inductione probat Bellarminius: (*lib. 4. c. 5.*) Omnes profanæ Respublicæ magna ex parte non scriptis legibus reguntur. Atheniensium siquidem, & Romanorum cultissimæ gentes partim scripto, partim non scripto jure gubernabantur, ut Pericles

de

Digitized by Google

de Atheniensibus apud Thucydidem statuit, & ex ipsis Romanorum legibus constat. Lycurgus Lacedœmonas suos consuetudines observandas ubique inculcabat, ut testatur Plutarchus: quod de Galliæ populis etiam scribit Cæsar. Hodie etiam in Galliæ regno præscriptæ cujusvis Provinciæ consuetudines pro legibus sunt. Idem in Jure Canonico sanctum, firmumque habetur. Cur ergo non vigeat in Ecclesia, quod in omni viget bene constituta Respubblica? Hoc argumentum urgent egregie Tertullianus, & Basilius, cujus hæc sunt verba: (*lib. de Sp. S. c. 29.*) Si apud Tribunal probationibus, & scripto destituti multos vobis testes produceremus, nonne sententiam absolventem a vobis consequeremur? Ego quidem arbitror: In ore siquidem duorum, aut trium Testium stabit omne verbum. Quodsi etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostenderemus, an non videremur vobis probabilia dicere? Hæc Basilius.

9. Ex quo etiam hanc aliam non contemnendam rationem adjicit Bellarminius: Scilicet ad sacrorum mysteriorum dignitatem id pertinere, ut non promiscue omnibus, palamque exponantur, sicuti non omnia, quæ in Templo erant, passus est Moyses, omnibus esse pervia, probe sciens, inquit laudatus Basilius, (*ib. c. 27.*) res usu tritas expositas esse contemptui; cæterum ei, quod sepositum est, ac rarum, huic natura conjunctam esse summam admirationem, atque studium. Ad hunc ergo modum, qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque Mysteriis suam servaverunt dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares, & vulgares aures affertur. Et hæc ratio est, cur quædam citra scriptum tradiderunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo in contemptum veniret.

PROPOSITIO IV.

Hæreticorum objectionibus ab Scriptura desumptis occurritur.

1. Prima objectio petitur ex illo Deuteronomii: (*cap. 4.*) Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et ad eandem sententiam Paulus: (*ad Galat. 1.*) Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit; sed per has traditiones non scriptas aliquid additur Verbo Dei præter id, quod ab Apostolis evangelizatum est: ergo hujusmodi traditiones a Moyse, & a Paulo damnatæ sunt. 2. Ex illo Joannis: (*cap. 20.*) Multa quidem & alia signa fecit Jesus, quæ non sunt in hoc libro scripta. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habea-

beatis in nomine ipsius: ergo quæ scripta sunt, ad fidem, & vitam æternam sufficiunt, atque adeo nullis traditionibus opus est. Confirmatur id ipsum ex verbis Apostoli: (*Ep. ad Tim. 3.*) Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis quippe Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

2. Ad primum horum respondeo, locum illum Moysis non de Verbo Dei scripto solum, sed etiam de tradito intelligendum esse; non enim ait de verbo, *quod scribo*, sed de verbo, *quod loquor*, proceditque contra Pseudoprophetas, aut falsos Legis Doctores, qui dicunt: Hæc dicit Dominus, quum Dominus non miserit eos: (*Ezech. c. 13.*) de quo additionis genere dictum est: (*lib. 3. prop. 15.*) Ne addas quicquam verbis illius, ne arguaris, inveniarisque mendax. (*Proverb. c. 30.*) Aliud est autem additionis genus, quo Apostoli, & Patres usi sunt, quum ex thesauris Scripturarum arcanos sensus, & vulgo impervios patefaciunt, & complent ea, quæ desunt fidei nostræ; de quibus dictum est: (*Matt. c. 13.*) Omnis Scriba doctus in regno Cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.

3. Nec alius sensus est verborum Pauli. Loquitur enim de iis additionibus, quæ vim faciunt Evangelio, ipsumque evertunt: quod proprium est superborum, atque imperitorum hominum, qui his nituntur, inquit Tertullianus, (*lib. de Præscript. c. 17.*) quæ ipsi composuerunt, & quæ de ambiguitate acceperunt. Constat solutio 1. Augustini expositione ajentis: (*Tract. in Joann. 98.*) Admonitio beatissimi Apostoli de cordibus vestris non recedat: Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit. Non ait: plus quam accepistis, sed *Præter quod accepistis*. Nam si illud diceret, sibi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defuerant. Sed qui supplet, addit quod minus erat, non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam, non in via accedit, sed a via recedit. Quod itaque ait Dominus: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, adjicienda illis fuerant, quæ nesciebant, non quæ didicerant, evertenda. Constat solutio 2. Ex ipso Pauli argumento. Præmiserat enim: sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt subvertere Evangelium Christi: Atqui illi, inquit Chrysostomus, (*hom. 1. Epist. ad Galatas.*) unum, aut alterum præceptum induxerant, Circumcisionem, & dierum observationem innovantes. Verum, ut ostenderet Paulus, quod pusillum quidem perperam admixtum totum corrumpit, dixit, subverti ab illis Evangelium.

lium . . . Non enim dixit: Si contraria annuntiaverint, aut totum Evangelium subverterint; verum: si vel paululum evangelizaverint præter Evangelium, quod accepistis, vel si parum quidvis labefactaverint, anathema sit. In eundem sensum Theophylactus: (*in Comm. ad Galat.*) Non dixit: Si contraria prædicent, sed si parum quiddam annuntient præter id, quod annuntiavimus. Quæ, sicut Theophylacti omnia ab Chrysostomo desumpta sunt, eodemque modo intelligenda.

4. Secundum argumentum nimis probat. Si enim quæ in Joannis Evangelio scripta sunt, ad instructionem, & salutem fidelium sufficiunt: ergo nec aliis tribus Evangeliis, nec reliquis Novi Testamenti libris opus erit. Sensus ergo verborum Joannis est: Hæc scripta sunt, ut ex iis reliqua, quæ scripta non sunt, & quæ vobis annuntiantur, credatis, & credentes &c. Exempli gratia: Audisti, inquit Augustinus, (*Tract. in Joan. 49.*) quod Dominus Lazarum mortuum resuscitavit. Sufficit tibi, ut credas, quia, si vellet, omnes mortuos resuscitaret. Non est ergo traditionibus non scriptis contrarius Augustinus, quum ait: Electa sunt, quæ scriberentur, quæ ad salutem fidelium sufficere videbantur. Nec Cyrillus inquiens: (*lib. 13. in Joan. c. ultimo.*) Illustriora scripta sunt, per quæ maxime possent auditores ad incorruptam fidem firmari, & tam morum, quam dogmatum doctrina institui. Solum enim docent, gesta, & verba Christi, quæ scripta sunt, satis esse, ut nobis de reliquis præceptis, & dogmatibus Evangelicis, quum scriptis, aut scribendis, tum traditis, aut tradendis fidem facerent.

5. Tertium argumentum etiam contra arguentem militat. Nam litteræ, quas Timotheus ab infantia noverat, erant solum libri Veteris Testamenti, siquidem Timotheo puero libri Novi fœderis nondum exarati fuerant, at si de libris Veteris Testamenti loquitur Paulus: ergo omnes Novi Testamenti libri supersunt, nec illis opus erat: quod neque Kemnitius, neque Brentius dixerunt, quorum illa est objectio. Fatemur igitur, omnes Veteris Testamenti libros, de quibus Paulus loquitur, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum utiles esse; sed ad omnium Catholicorum dogmatum probationem, ad omnium errorum confutationem Scripturas per se solas non sufficere.

6. Secundo argumentatur: Christus Dominus, atque Apostoli Judæorum traditiones damnabant: ergo quia ad Verbum Dei scriptum nulla est adjicienda traditio. Antecedens patet ex pluribus Novi Testamenti locis, quale est illud: (*Matt. c. 15.*) Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Et iterum: (*Marc. c. 7.*) In vanum colunt me, docentes mandata, & doctrinas hominum. Petrus etiam

Digitized by Google

etiam: Redempti eſtis, inquit, (*1. Epiſt. c. 1.*) a vana converſatione paternæ traditionis. Paulus ſimiliter in ſeipſo reprehendit, ſupra modum extitiſſe paternarum traditionum ſuarum ſectatorem. (*Galat. c. 1.*) Et ad Coloſſenſes: (*c. 2.*) Videte, ne quis vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditiones hominum.

Ad argumentum diſtinguo antecedens: Judæorum, id eſt, Phariſæorum, & Sectatorum hujuſmodi vanas, ſuperſtitioſas, obſcænas traditiones damnabant, concedo; Moſaycas, & legitimas, nego. Vocat præcepta hominum, inquit Irenæus, (*lib. 4. c. 26.*) non legem per Moyſem datam, ſed traditiones, quas fingebant Preſbyteri, & quas vindicantes fruſtrabantur legem Dei. Hæc ſunt, ait Tertullianus, (*de Præſcrip. c. 7.*) doctrinæ hominum, & Dæmoniorum prurientes auribus, natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in ipſius etiam Philoſophiæ confuſionem elegit. De iiſdem loquens Hieronymus, (*Ep. ad Alga.*) Quantæ ſint, inquit, Phariſæorum traditiones, & quam aniles fabulæ, evolvere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia ſunt, ut erubeſcam dicere. Idem Hieronymus, (*in c. 8. Iſai.*) & Epiphanius (*de Hær. Ptol.*) earum traditionum authores præcipuos aſſignant Kiba, ſive Akibam, Killel, Sammai, ſeu Simeonem, Judam, & Aſamonæi filios, ex quorum ſententiis, & Commentariis conflata eſt Deuteroſis illa, ſeu ſecunda Traditio, de qua Juſtinianus in Novellis: (*nov. 146.*) Deuteroſim, ſive ſecundam Traditionem in univerſum interdicimus, ut quæ Sacris libris comprehenſa non ſit, neque deſuper tradita per Prophetas, ſed excerpta quædam Virorum contineat, qui terrena dumtaxat loquantur, nec quicquam divini in ſe habent numinis.

PROPOSITIO V.

Objectiones ex Patribus petitæ diluuntur.

1. OPponunt 1. Irenæum ajentem: (*lib. 3. c. 1.*) Id quod tunc prædicaverunt, (ſcilicet Apoſtoli) poſtea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt. 2. Origenem, qui Neceſſe eſt, inquit, (*in c. 3. ad Rom. & alibi*) nobis, Scripturas Sanctas in teſtimonium vocare. Senſus quippe, & enarrationes noſtræ ſine his teſtimoniis non habent fidem. 3. Cyprianum: (*Epiſt. 74. ad Pompei.*) Ea facienda, quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur ad Jeſum Nave dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, ſed meditaberis in eo die, ac nocte, ut obſerves facere omnia, quæ ſcripta ſunt in eo..... Si ergo aut Evangelio præcipitur, vel Apoſtolorum Epiſtolis, aut

Acti-

Digitized by Google

Actibus continetur, ut a quacumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illi imponantur ad pœnitentiam, servetur divina hæc, & sancta traditio &c. 4. Athanasium ajentem: (*in orat. cont. Gent. pag. 1.*) Sufficiunt sanctæ, & divinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem. Et alibi: (*in Epist. Festali. 39.*) In his solis pietatis scola beatè annuntiatur. Et aliis in locis similia.

2. Hæc tamen non urgent. Primum enim Irenæi solum probat, Apostolos nihil scripsisse, quod prius non prædicassent, non vero quæcumque prædicaverant, aut viva voce docuerant, scripsisse. Nam neque omnia, quæ provectioribus communicabant, prædicabant. Si enim omnia scribebant, quid illa significant: (*1. ad Cor. 11.*) Cætera, quum venero, disponam? Et item: (*Joan. c. 2.*) Multa habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum. Spero enim, me futurum apud vos, & os ad os loqui. Secundo responderi potest cum Bellarminio, (*lib. de verb. Dei non scrip. c. 11.*) scripsisse Apostolos omnia, quæ prædicaverant; non autem prædicasse, nisi ea, quæ ad fidem explicitam pertinebant, & quibus omnes Christiani promiscue imbuendi erant, non omnino omnia: sicut (inquit) multa modo in Scholis inter Sapientes disputantur, quæ in populari concione prætermittuntur, de quibus illud ejusdem Apostoli (*2. ad Timot. c. 2.*) intelligendum est: Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.

3. Ad secundum respondet Bellarminius idem, Origenem loqui de obscurissimis illis, & cardinalibus (ut ita dicam) fidei quæstionibus, quales, ut plurimum, inquit, non sunt illæ, quæ testimonium habent traditionis in tota Ecclesia receptæ. Agit enim ibi de verbis Jeremiæ. Ecce ego constitui te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas &c., quæ de Christo Domino intelligenda esse, testimoniis Scripturarum ostendere aggreditur. Sensus ergo Origenis est, ut in expositionibus, sive enarrationibus Scripturarum, quæ de hujusmodi mysteriis loquuntur, nihil dicatur, nisi quod cum reliquis circa idem in Scriptura revelatis cohæreat, ex iisque fulciatur.

4. Ad tertium est responsio, Cyprianum non improbare, nisi traditiones illas, quæ ex Apostolorum, & antiquissimis Ecclesiæ statutis non descendunt. In harum autem numero ipse habebat consuetudinem illam de non baptizandis iis, qui ab hæresi ad Ecclesiam redibant. Sed in hoc erravit, ut alibi fusius explicatur. Ad quartum respondeo, Athanasium solum dicere, Scripturam satis esse ad ejus, de qua agebat, veritatis indicationem. Agit autem ibi de vanitate idolorum, & Oratio inscribitur: *Quod idola non sunt Dii*. Ad hujus autem, & similium (uti diximus) Cardinalium fidei dogmatum probationem satis est Scriptura, non vero ad *omnis*, ut Kemnitius addidit,

dit,

dit, veritatis indicationem. Addit ibidem Athanasius, plurimos libros a sanctissimis Magistris scriptos esse, quos siquis evolvat, intelliget aliquomodo Scripturarum mentem. Quibus verbis Kemnitii objectionem aperte diluit. Et quidem, hoc Viros doctos non animadvertisse, miratur Natalis. (*Sec. 2. dis. 16.*) Sed animadvertit Bellarminius, (*lib. 4. c. 11.*) Vir bone, quem tu profecto legeras, quippe qui ab eo præcipua capita objectionum ex Scriptura, & Patribus, nec non solutiones transcripsisti.

5. Opponunt item Basilium dicentem: (*in Serm. de fidei confess.*) Manifestissimum infidelitatis argumentum fuerit, siquis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut quæ scripta non sunt, introducere. Quibus similia aliis in locis habet. Secundo Chrysostomum, qui Nihil, inquit, (*hom. in Ps. 95.*) sine testibus dicere oportet. Nam siquid absque Scriptura dicatur, auditorum cogitatio claudicat nunc annuens, nunc hæsitans &c. Et alibi: (*hom. 49. in Mat.*) Oro vos omnes, ut relinquatis quid huic, vel illi videatur, & ab Sacris Scripturis hæc inquirite. Similia alibi. Chrysostomo consonat Epiphanius inquiens, (*hæres. 61.*) Uniuscujusque quæstionis inventionem non ex propriis ratiocinationibus, sed ex Scripturarum consequentia discere possumus. Adde Cyrillum, qui Necessarium, inquit, (*in lib. de recta fide ad Reginas*) nobis est divinas sequi litteras, & in nullo ab earum præscripto discedere. Tum alibi: (*hom. 5. in Lev.*) Per hoc biduum duo Testamenta possunt intelligi, in quibus omne Verbum, quod ad Deum pertinet, requiri, ac discuti, atque ex ipsis omnium rerum scientiam desumi necesse est. Siquid autem fuerit, quod non Scriptura divina decernat, nullam aliam debere tertiam Scripturam ad authoritatem scientiæ recepi. Adde Theophilum, qui Diabolici spiritus esse, ait, (*Epist. 2. Paschali*) aliquid extra Scripturarum sanctarum authoritatem putare divinum.

6. Respondeo ad singula; & primo quidem Basilium solum loqui de adjectionibus ab Scripturarum sensu alienis, & cum eo pugnantibus; non tamen de illis, quæ, licet in Sacrosancta Scriptura non reperiantur, a pio tamen, & Sacris litteris consentaneo sensu neutiquam abhorrent, quas semet adversus Hæreticos adhibuisse, testatur. Unde de privatis traditionibus loquitur, non de iis, quas ab Apostolis per successionem Episcoporum Ecclesia accepit. Deinde agebatur de asserenda in Divinis una, aut triplici hyposthasi: qua in re quum utrimque inter Catholicos prætenderetur traditio, & essent ambiguæ Patrum sententiæ, standum esse, ait, arbitratui Sanctæ Scripturæ, & apud quos inveniantur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.

7. Respondeo ad secundum, Chrysostomum ita esse intelligendum, ut

Digitized by Google

ut non cuivis ex propria sententia, aut inventione loquenti credendum sit, nisi ea, quæ dixerit, sint Scripturis Conformia. Addit enim propterea: Neque oportet aliquid dicere sine testibus ex sola animi cogitatione. In secundo autem loco agit Chrysostomus de contemptu divitiarum, qua super re non hominum opinationibus, sed Scripturarum doctrinæ standum esse, decernit. Ultimus ex citatis locis non Chrysostomi est, sed Authoris imperfecti in Matthæum Commentarii, qui vel Arianus est, vel ab Ariano quopiam fœdissime deturpatus, ut alibi ostensum est.

8. Epiphanius porro nihil contrarium asseruit. Solum enim adstruit, ut nihil dicatur Scripturæ non congruum, & cohærens, quasi diceret: quidquid asseritur scripto non congruens, sive scriptum, sive non scriptum rejiciendum est. Consequuntur autem, deducique possunt ex Scripturis plurima, quæ in iisdem diserte, & explicite non continentur, ut Purgatorium, auricularis confessio, & alia hujusmodi. Cyrilli porro neutrum testimonium Traditiones impugnat. In primo enim solum monet, ut ab iis, quæ scripta sunt, non recedatur. Fieri autem non potest, ut vera Traditio Apostolica, aut Ecclesiastica ab Scriptura recedat. In secundo vero solum excludit tertiam Scripturam, quæ possit in testimonium vocari, non autem legitimam, & Scripturæ consonam Traditionem. Præterea: homiliæ in Leviticum Cyrilli opus non sunt, sed vel depravatum, & interpolatum opus Origenis, vel posterioris alicujus; de quo alibi dictum. Eadem est interpretatio verborum Theophili disputantis contra Origenem, qui Philosophorum argutias propriis Tractatibus immiscens, & in fabulas, ac deliramenta procedens, Christianum dogma jocum, & ludum fecit, nequaquam divinæ doctrinæ veritate usus, sed humanæ mentis arbitrio, se ipso magistro adeo superbia intumescens, ut imitari Apostolum noluerit, qui cum prioribus Apostolis Evangelium contulit, ignorans, quod Dæmoniaci spiritus esset &c., quæ nobis objecta sunt, & quæ ex præcedentibus quo sensu intelligenda sint, patet perspicue.

9. Opponunt, 3. plura loca Hieronymi, & Augustini, quorum primus (*in Aggæum cap. 1.*) Alia, inquit, quæ absque testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, percutit gladius Dei. (*Et in Matthæum cap. 23.*) Hoc, quia de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Et alibi: (*Psal. 86.*) Dominus narravit. Quomodo? Non verbo, sed Scripturis. Et infra: Populorum, & Principum, qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quodcumque aliud postea dicetur, abscindatur. Et (*in Epistola ad Titum cap. 1.*) Sine testimoniis Scripturarum garrulitas non habet fidem. Et. (*in Michæam Cap. 1.*)

Non

Digitized by Google

Non est egressa (Ecclesia) de finibus suis, id est, de Scripturis Sanctis. Augustinus autem (*in 2. de Doctrina Christiana c. 9.*) In his, inquit, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi. Idem (*in 2. de Peccatorum meritis cap. 36.*) Credo, inquit, quod etiam divinorum eloquiorum clarissima authoritas esset, si homo illud sine dispendio suæ salutis ignorare non posset: ergo eorum omnium, quæ homo sine suæ salutis dispendio ignorare non potest, clarissima divinorum eloquiorum authoritas est. Idem (*de Bono viduitatis cap. 1.*) Sancta Scriptura doctrinæ nostræ Regulam figit . . . Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere, & de iis, quod Dominus dederit, disputare. Item (*in libro contra Maximinum 3. cap. 14.*) Nec ego hujus (Nicæni) nec tu illius (Ariminensis) authoritate detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcumque propriis, sed utrique communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

10. Facile tamen hæc omnia solvuntur. Primo enim Hieronymi locus traditiones non damnat, nisi sponte repertas, & confictas, quales erant Montanistarum, & Encratistarum, quas ibidem in exemplum adducit. Secundus locus ejusdem sensus est. Agit enim contra eos, qui Zachariam Joannis patrem a Judæis occisum, narrabant, quia Salvatoris prædicaverat adventum, id (uti prius dixerat) ex quibusdam Apocryphorum somniis approbantes, tum verba subjungit citata: *Hoc quia de Scripturis &c.* Tertius locus traditiones improbat, non Apostolicas, sed ab Apostolorum doctrina, & scriptis alienas, & cum ipsis non cohærentes. Ad quartum eadem est responsio. Disputat enim ibi Hieronymus adversus Hæreticos, qui domos suas, inquit, non in Scripturis, sed in vicinia Scripturarum construxerunt. Ad quintum dico, garrulos ab Hieronymo vocari, non qui Apostolicas traditiones sequuntur, sed qui ex male intellectis Scripturis dogmata inducebant Apostolicæ doctrinæ contraria. Hi sunt, inquit, de circumcisione Judæi, qui nascentem Christi Ecclesiam subvertere nitebantur, & introducere præcepta legalia . . . Tales homines Doctor Ecclesiæ Scriprurarum ratione superare debet.

11. Jam vero Augustinus in lib. de Doct. Christ. nihil aliud intendit, nisi omnia, quæ fidelibus explicite credenda proponuntur, ut articuli Symboli, & quæ in genere ad mores hominum informandos spectant, inveniri in iis, quæ aperte in Scriptura posita sunt. Non enim præcipit Scriptura, nisi charitatem, nec culpat, nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Non igitur omnia præcepta morum in specie reperiuntur in Scripturis, sicuti nec omnia omnino fidei mysteria, de quibus, quatenus explicite credenda

da

Digitized by Google

da proponuntur, intelligendus est etiam Augustinus in 2. loco de Peccatorum meritis. In libro autem de Bono Viduitatis de regula particulari, & inadæquata, non de adæquata & generali loquitur, velut si dicerem, Pyrenæos montes esse terminos Hispaniæ, quod solum de ejus parte Septemtrionali intelligendum est. In quarto loco agitur de voce ομοουσιον, ubi cum utrimque traditio, & Conciliorum Nicæni, & Ariminensis exhiberetur authoritas, solis Scripturarum testimoniis certandum esse, decernit Augustinus.

12. Opponunt ultimo Rivetus, Dallæusque geminum ejusdem Augustini locum tritissimum, alterum (*ex Epist. 19. ad Hieronymum*,) quem dedimus supra, alterum (*ex 11. contra Faustum, cap. 5.*) ubi: In Scripturis, inquit, posteriorum, quæ . . . nullo modo illi Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar authoritas. Itaque in eis liberum habet lector, auditorve judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit. Addunt etiam D. Thomæ testimonium supra a nobis allatum. Sed quid hinc contra Traditiones fieri possit, non video. Augustinus enim, & Thomas, ut supra explicuimus, de singulorum Patrum authoritate, non de omnium communi sententia loquuntur. Id autem solum ab Apostolis traditum esse censemus, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper in Christiana Ecclesia observatum est, aut creditum, ut Vincentius Lirinensis monuit.

PROPOSITIO VI.

Argumenta a ratione solvuntur.

1. ARguitur enim contra 1. Quod mutationi obnoxium est, certa fidei regula esse non potest. Nam fidei regula est, ut Tertullianus ajebat, (*de Vel. Virg. cap. 1.*) una omnino, sola, immobilis, & irreformabilis, sed Traditiones etiam Apostolicæ mutationi obnoxiæ sunt: ergo fidei regula esse non possunt. Minor propositio multis firmatur exemplis. 1. Ab Apostolorum tempore Laici sub utraque specie communicabant: quod nostra ætate prohibetur. 2. Baptismus trina immersione perficiebatur: quod inter Apostolicos Canones habetur, & Ambrosius, (*lib. 2. de Sacramen. c. 7.*) Hieronymus, (*lib. 2. in Epist. ad Ephes. ad cap. 4.*) Gregoriusque (*lib. 1. Epist. 41.*) testantur. 3. Lac, & mel prægustabant baptizati, ut scribunt Tertullianus, (*lib. de Corona Milit. c. 3.*) & Hieronymus. (*c. 55. Isa.*) 4. Eucharistiam antiqui Christiani accipiebant in manibus,

Digitized by Google

domumque deferebant pro libitu ſumpturi. 5. Publica pœnitentiâ peccata expiabantur. 6. Eccleſia Orientalis ab Joanne edocta Paſcha cum Judæis celebrabat: quod nunc qui faciendum cenſeret, hæreticus haberetur. 7. Quadrageſimale jejunium ex Apoſtolica fertur traditione deſcendere; at modis innumeris in diverſis temporibus, atque Orbis partibus obſervatur. 8. Nihil adeo creditur ex Apoſtolorum a Chriſto edoctorum traditione deſcendere, quam Eccleſiaſticorum Ordinum gradus, & diſtinctio; ſed in horum graduum dignitate, & diſtinctione infinita eſt Antiquorum, & Recentiorum ſæculorum varietas: ergo.

2. Ad argumentum diſtinguo minorem: Traditiones, quæ ad diſciplinam, Cæremonias, & externam Eccleſiæ poliſiam, & regimen ſpectant, mutationi ſunt obnoxiæ, concedo, quæ ad fidei ſummam, & Ethicæ Chriſtianæ regulam, nego. Unde patet ſolutio ad probationes. Communio enim ſub utraque, aut una ſpecie ad ſolam diſciplinam pertinet. Trina in Baptiſmo immerſio, lactis & mellis prægustatio ad merum ritum ſpectant, cæremoniamque, ſicut & modus accipiendæ, & conſervandæ Euchariſtiæ ſive domi, ſive in Templo: quod erat quartum. Pœnitentia publica res erat meræ diſciplinæ, nec in Univerſa Eccleſia viguit; Græcis enim numquam in uſu fuit. Similiter ad ſolam ſpectabat diſciplinam Paſchatis celebratio, circa quam aliter Petrus, aliter Jacobus, & Joannes gentes ſibi commiſſas inſtituit, Judaizante adhuc in multis Eccleſia, nec ſubito valentibus Apoſtolis omnem Legis obſervantiam, quæ a Deo inſtituta fuerat, abolere, ut Wilfridus inquit apud Bedam. (*hiſt. Angl. lib. 3. c. 27.*) Adde, eam conſuetudinem non totius Eccleſiæ fuiſſe, ſed Eccleſiarum Aſiæ Minoris quarumdam, nam univerſam Græciam, Diœceſimque Aſiaticam, Pontum, & Ciliciam, idem, quod Romæ fiebat, una & conſentiente ſententiâ conſervaſſe, teſtatur Conſtantinus Magnus in Epiſtola ad Eccleſias apud Euſebium, (*in 3. de Vit. Conſtant. c. 16.*) quamvis Cilices inter eos, qui in cauſa fidei claudicant, & Paſcha cum Judæis celebrant, numerat Athanaſius. (*Ep. de Sy. Ar. & Seleuc.*)

3. Ad ſeptimum reſpondeo jejunium quadrageſimale ad meram diſciplinam pertinere: & tamen omnium Chriſtianorum in eo obſervando conſenſionem, quamvis alii aliter inchoaverint, aut finierint, Apoſtolicæ Traditionis validiſſimum eſſe argumentum. Ad octavum dicitur, eam graduum diſtinctionem inferiorum ad externam Eccleſiæ politiam, & regimen, non ad fidem ſpectare: & tamen Superiorum graduum dignitatem ſemper eandem in Eccleſia fuiſſe, nimirum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, alibi fuſius demonſtrabitur.

At-

Digitized by Google

Atque hæc de singulis probationis capitibus dixisse, sit satis. Suis enim locis unumquodque postmodum erit discutiendum, ex quibus magis solutio data firmabitur...

4. Oppones tamen instando: Nulla traditio magis ad fidem spectat, quam ea, per quam libri Canonici a non Canonicis discernuntur; sed in hac discretione librorum recentioribus Sæculis plurimum est immutatum, plures enim nunc habentur Canonici, qui tales prius non habebantur: ergo. Secundo: Siqua res maxime per Traditionem Apostolorum ex institutione Christi ad nos devenit, ea est materia Sacramantorum; sed in aliquibus eorum nulla est universæ Ecclesiæ consensio, siquidem Latini in azymo, Græci in fermentato Eucharistiam conficiunt, nec Chrismatis materia apud Latinos, & Græcos, Europæos, atque Americanos est eadem: ergo.

5. Respondeo ad primum, distinguendo minorem: plurimum est immutatum, ita ut universa Ecclesia librum semel receptum postea rejecerit, aut semel rejectum postea receperit, nego; ita ut librum, de quo prius aliqui Patres dubitaverint, accedente postmodum Ecclesiarum consensu, Canonicum declaraverit, concedo. Quid autem inde contra authoritatem Traditionum, quæ nisi universitate, antiquitate, consensione munita sit, non subsistit? Ad secundum respondeo, distinctionem illam azymi, & fermentati ad materiam Sacramenti non pertinere. Fatemur enim, rite consecrari sive in azymo, sive in fermentato, licet unaquæque Ecclesia ritum suum servare jubeatur. Similiter, quamvis Chrisma ex oleo, & balsamo confectum sit materia Sacramenti Confirmationis, tamen Græci aromata alia Chrismati admiscent propter mysticam significationem; quæ rituum solum, & cæremoniarum est varietas, ut suis quæque in locis fusius explicabuntur.

6. Arguit 3. Dallæus: Veterum Christianorum fides, & mores nisi per eorundem temporum Scriptores nobis innotescere non possunt; sed nec adeo certa sunt, nec adeo perspicua antiquorum Patrum, aut Ecclesiasticorum Scriptorum loca, ut non de eorum authoritate, vel sensu plerumque ipsi Catholici merito dubitare possint, ac dubitent: ergo nullo modo potest pura ad nos traditio, ac sincera descendere. Minorem probat Dallæus per tota undecim capita libri primi de vero Patrum usu: Primo quidem: Quia in tribus prioribus sæculis paucissimi eorum Doctorum, qui primitias spiritus habebant, aliquid litteris consignarunt. Eorum etiam, qui scripserunt, ut Cajus, Egessippus, Aristides, Quadratus, Papias &c., vix nuda supersunt nomina, aut fragmenta paucissima. Ea vero, quæ non perierunt, ab nostrorum temporum controversiis alienissima sunt. Quis

Digitized by Google

enim eorum de Primatu Romani Pontificis, de Auriculari Confessione, de Transubstantiatione scripsit? Hæc ille toto cap. 1., & 2.

7. Capite 3. multis probat exemplis, eos, qui nunc Patrum nomine circumferuntur, libros plurimos vel Hæreticorum fraude, vel ignoratione Exscriptorum, vel propriæ Religionis studio; vel ingeniorum ambitiosorum malis artibus, Patribus affictos, ac suppositos esse; præsertim quum rudes Monachi, & Clerici partium studio abrepti, exscribendorum librorum curam sibi desumpsissent. Capite 4. probat, etiam certa, & genuina Veterum Scripta ob easdem causas non pura, & sincera ad nos pervenisse, sed corrupta, & fœde interpolata: quod in Liturgiis, in Legendis, seu Actis Sanctorum, in Missalibus, in Breviariis, & Euchologiis iidem ipsi Ecclesiæ Romanæ Theologi sæpius agnoscunt, & conqueruntur: Isidori Mercatoris; Dionysii Exigui, Gratiani ad manum sunt exempla quam plurima.

8. Capite 5. ostendere nititur, etiam in sinceris, & non interpolatis Patrum Scriptis difficillimum esse in iis quæstionibus, quas non pro dignitate tractabant, sed velut obviter, & per transennam attingebant, eorum sententiam investigare, quum propter linguarum diversitatem, idiotismosve, aut variam vocum significationem, vel translationes verborum, tum quod ante natam de quovis articulo controversiam innocenter quædam, & minus caute loquebantur, ut ex Hieronymo vidimus, & quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare. Adde, quod in his, quæ coram Ethnicis, aut Cathecumenis disputabant, quasi verborum caligine sententiam suam artificiose involvere conabantur: Vehemens etiam cum adversariis contentio facit, ut nonnumquam modum excedant: quod iis, qui arbores colunt, evenire solet; incurvam enim plantam non solum ad rectam normam exigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum statum perducatur, ut Theodoretus inquit, (*dialog. 3.*) Augustinusque, & alii adnotarunt. Adde, diversa rebus nunc imposita nomina, & retentorum variatam significationem. Nam *Pappa*, *Patriarcha*, *Pœnitentia*, *Indulgentia*, etiam ab antiquis dicebatur; tanto tamen diversa significatione, quanto illorum ætas ab nostra differt. Quid? quod Patres in Commentariis cum aliorum expositionibus sæpe miscent suas: in concionibus ad populi captum se accommodare student, & rudioribus, ac minus exactis utuntur & similitudinibus, & exemplis, & loquutionibus: in Polemicis vero cum fortissimis etiam debilissima quæque argumenta congerunt, ut adversarium obruant, & coguntur interdum loqui, inquit Hieronymus ad Pamachium scribens, non quod sen-

sentiunt, sed quod est causæ necessarium, dum dicunt adversus ea, quæ Gentiles calumniantur.

9. Capite 7. probare conatur, Patres non in eadem semper stetisse sententia: ætate, & studio dedicisse plurima. Ruffinum Hieronymus impense laudavit. Idem postmodum insectatus est acerbissime. Septuaginta Interpretes, Aquilam, Symmachum Theodotionem alibi laudat, alibi carpit. Quid Augustinus? Quanta retractavit? Quanta post Pelagianam hæresim melius explicuit? Capite 8. ita arguit: Ut Patrum sensa nobis innotescant, scire opus est, an aliquid uti dogma fidei, an veluti probabilem opinionem docuerint: quod sæpe non explicant. Item ait Capite 9. Scire oportet, an fuerit singularis eorum opinio, an communis Ecclesiæ illius temporis: quod sæpe discernere non possumus. Scire etiam oportet, ait Capite 10., an alicujus particularis Ecclesiæ, ut Græcæ, vel Latinæ, an universæ sive Catholicæ sententia sit: quod non semper exprimunt. Tum quod Ecclesiæ Catholicæ nomine vel intelliguntur omnes omnino fideles, vel solum Pastores, & Clerus; sed quoquo modo intelligatur, satis constare non potest, an omnes illi cum Justino, Augustino, aut Gregorio senserint: ergo Veterum scripta non sunt certi, ac securi Traditionum Ecclesiasticarum, aut Apostolicarum traduces. Hæc ille Capite ejus libri undecimo.

10. Respondeo ad singula. Primo: in tribus sæculis prioribus non adeo paucos fuisse Scriptores, ut non ex eorum vel integris Operibus, vel fragmentis invicta pro nostra fide testimonia erui possint: 2. Licet controversas hodie quæstiones prisci illi Scriptores pro dignitate non tractaverint, tamen ex iis, quæ obviter dicunt, manifestissima pro nostris etiam quæstionibus haberi posse testimonia. Quid? Nonne ex Homero, Hesiodo, Tullio, aut Horatio plurima eruuntur de priscorum Græcorum, & Latinorum Religione, de ritu Nuptiarum, funerum, Conviviorum, legumque, & morum, quamvis ii Authores de rebus ab his alienissimis scripserint? Ad tertiam probationem respondeo, libros Patribus suppositos non minus Heterodoxis notos esse, quam Catholicis, quorum qui emunctioris sunt nasi, non utuntur nisi iis testimoniis, quæ nullomodo infirmari possint. Ad quartum simili modo respondetur, fragmenta, aut voculas scriptis Veterum nonnumquam assutas Eruditos nostros non latere, nec iis uti, nisi quæ ex probatissimis Codicibus eruunt, quum de rebus fidei adversus Hæreticos disputant. In quo Dallæum mirari satis non possum, qui quum omnia fere Sanctorum Patrum Opera fœdissime corrupta, ac deturpata hic velit, alibi Baronium, Bellarminium, aliosque Romanos Theologos reprehendit, quod aliquando Patrum lo-

ça sibi objecta, addita ab Heterodoxis, aut interpolata esse, respondeant.

11. Ad quintum dicitur, eandem linguarum diversitatem in profanis Authoribus, idiotismosque, & verborum translationes, maxime in Poetis inveniri, & tamen plura de suorum temporum Religione, & moribus inde apertissime deduci ex iis, quæ obviter, & quasi aliud agentes hac, illac disseminant. Quæ vero minus caute interdum Patres loquuntur, facile emendari possunt ab iis, qui in eorum scriptis versati sunt, ex locis aliis, in quibus diligentius, ac luculentius loquuntur. Idemque dicendum de illa disputationis vehementia, qua interdum abrepti in contrariam partem quasi ex impetu ferri videntur. Ambages porro verborum ad mysteria obvelanda quæsitæ occurrunt rarissimo, eaque ex aliis eorum scriptis, in quibus loquuntur liberius, facile dissipantur. Similiter dicendum est de iis loquutionibus, aut comparationibus, quibus quandoque utuntur, ut rudiorum captui se accommodent, deque illis argumentationibus debilioribus, aut de falsis quibusdam, quæ interdum assumunt, vel supponunt, quando ad hominem (ut iu Scholis dicitur) cum adversario disputant. Quid vero? Suntne hæc propria Sanctorum Patrum, & non omnibus omnium gentium, ac temporum Scriptoribus communia, ut inde nihil certi ex Patrum Operibus erui posse contendas?

12. Jam vero quænam illa vocum est diversitas, aut significationis varietas adeo decantata? Sive Synaxis, sive Agape, sive Cœna, sive Eucharistia, sive Communio dicatur, quid interest, quum de re constat apertissime? Papa, aut Pappas ab antiquis Romanis dicebatur Senex pædagogus, aut nutritius, quem pueri patrem, sive Pappam balbutiendo appellant. Inde Pastores, & Episcopi ab Christianis dicti Pappæ: quod nomen his temporibus de solo Summo Pastore, sive Romano Episcopo usus obtinuit, ut dicatur. Quid aliud sonuit, aut sonat Indulgentia, nisi concessionem veniæ, aut relaxationem pœnæ? Quid Pœnitentia, nisi vel dolorem de culpa commissa, vel Sacramentum, quo peccata deleantur, vel pœnæ sive injunctæ, sive sponte susceptæ exequutionem? Quænam in his significationis varietas, ut homini, non inquam erudito, sed vel rudissimo, obscuritatem in Patrum scriptis, aut difficultatem pariat? Nonne has acceptiones nostri Theologi notant, & distinguunt clarissime?

13. Ad Caput argumenti septimum respondeo, Traditionem, quæ de Fidei rebus est, non erui ex privata alicujus Doctoris sententia, sive illam mutaverit, sive constanter tenuerit, nisi accedat cæterorum Patrum, & Sæculorum, atque adeo totius Ecclesiæ consensus. Un-

Unde simultaneam mundi creationem nemo inter Traditiones recensuit, quamvis eam mordicus tenuerit, & toties inculcaverit Augustinus. Ad octavum dicitur: quo sensu Patres loquantur, non difficulter cognosci posse 1. ex aliorum Patrum testimoniis, & communi Ecclesiæ consensu, aut separatim, aut in Conciliis congregatæ. 2. ex damnatione erroris contrarii. 3. ex eorum Catechesibus, sive instructionibus ad populum. 4. ex formulis, quibus passim utuntur: *Ita edocti sumus*, *Traditum est ab Apostolis*, *ut a majoribus accepimus*, *ut universa tenet Ecclesia*, & aliæ his similes. Ad nonum similiter respondeo, particularem, privatamque opinionem a publica Traditione clarissime distingui tum ex aliorum Patrum consensu, Conciliorumque decretis, tum ex aliis indiciis, formulisque loquendi. Quæ etiam responsio valet ad decimum, ut singulari cujusdam Ecclesiæ traditio ab Catholicæ Ecclesiæ doctrina, & traditione discernatur. Quod autem ultimo loco Dallæus opponit, frigidum est omnino, atque elumbe. At tu non scies, Græcos, & Romanos, Jovem, aut Junonem coluisse, nisi singula capita, aut singulos illius gentis Sacerdotes interrogaveris? Nonne satis id tibi persuadent Thucididis, & Livii, Demosthenis, & Tulli, Homeri, & Virgilii testimonia?

14. Insurgit tamen iterum Dallæus: Patres vel narrant quasi testes, quid sui temporis observabat, & credebat Ecclesia: vel tamquam Doctores quid agendum, aut credendum sit, explicant? Sed utroque modo errare possunt: erraruntque nonnunquam ergo. Minor probatur. 1. Scire, quid universa sui sæculi observet Ecclesia, quidve doceat, res facti est; sed in rebus præsertim, quæ facti, non juris sunt, Patres errare, ut homines potuerunt: ergo. 2. id probat multis exemplis; nam Philastrius plura, uti dogmata fidei tradit, & contrarias opiniones, ut hæreses damnat, quæ ex ipsorum Catholicorum confessione tales non sunt. Hieronymus (*Epist. 61. de errorib. Joan. Hierosol. & lib. 2. apol. cont. Rufin.*) animam simul creari, & corpori infundi, tamquam dogma fidei tradidit, de quo Augustinus ambigit. Joannes Thessalonicensis Ecclesiam censere, ait, (*Actio 5. Synodi 7.*) Angelos non omnino incorporeos, & invisibiles esse. Augustinus Ecclesiæ universæ consuetudinem fuisse, inquit, (*lib. 18. de civit. Dei c. 43.*) ut baptizati ab Hæreticis absque novo baptismo reciperentur, quod Cyprianus, & Firmilianus negaverant. Idem Augustinus ait, Ecclesiam Christi Versioni τῶν Septuaginta nullam præferendam censuisse quod falsum esse convincit sequentium sæculorum usus, qui Hieronymianam Versionem prætulit. Fulgentius: Firmissime tene, inquit, (*lib. de fide ad Petrum Diacon. c. 27.*) & nullatenus dubites, parvulos, qui sine baptismate de hoc sæculo transeunt,

Digitized by Google

seunt, ignis æterni supplicio puniendos. Atqui id non firmissime tenendum posteriorum sæculorum Theologia docet. Beda ut dogma fidei tradit, (*lib. de tempor. ratio. c. 45.*) *de quo nulli*, inquit, *dubitare licet Catholico*, Christum plusquam tres, & triginta annos in carne vixisse, & Luna decimaquinta feria sexta crucem ascendisse: quæ tamen ad Ecclesiæ fidem non pertinent:

15. Confirmatur; quia Patres non fuerunt, cum scriberent, Spiritu Sancto afflati. 2. Quia ipsimet suis scriptis sine prævia discussione fidem haberi noluerunt, & aliorum Scripta magna cum libertate quandoque perstringunt. Cyprianus, inquit Hieronymus, (*Epist. 5. ad Paulinum*) de Scripturis divinis nequaquam disseruit. Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest. Lactantius utinam tam nostra confirmare potuisset, quam aliena destruxit! Arnobius inæqualis, & nimius est, & absque sui operis partitione confusus.. Hilarius Gallicano cothurno attollitur, longis periodis involvitur, & a lectione simplicium fratrum procul est. 3., quia eorum errores in Philosophia: Historia, Grammatica, & aliis disciplinis, tum etiam in Theologia, & rebus ad fidem spectantibus, satis indicant, pleraque aut oscitanter scripsisse, aut effudisse ex tempore. 4., quia in aliquo ex his Theologicis erroribus, ut in millenario Christi regno, non duo, aut tres Patres, sed plerique, sed trium priorum sæculorum fere omnes consenserunt, sicut in corporeitate Angelorum, & eorum creatione ante mundum corporeum Græci fere omnes, & ex Latinis, quod ad primum spectat, plurimi. 5. denique, quia Patres in causa fidei testes nulla pars recipit. Non Catholici, qui passim adversariorum objectionibus respondent, opus illud spurium esse: fragmentum illud assutum, id quidem, sed ex errore dixisse, illud retractasse, ut ex Cajetano, Bellarminio, Cano, Petavio, Natali, & aliis Romanæ Communionis Theologis tomus exemplorum istiusmodi conflari posset integer. Non Heterodoxi, quibus hæc eadem Catholici objiciunt: ergo Patres, aut antiqui Scriptores; quum de Traditionibus agitur, idonei testes non sunt.

16. Distinguo primam minorem argumenti: errare possunt, & errarunt fortasse, singuli, concedo; omnes, nego. Ad primam probationem distinguo majorem: res facti meri est, nego; facti cum jure connexi, concedo, & conversis terminis ad minorem. Exempla in secunda probatione adducta, licet vera omnino supponantur, singularium Patrum cum sint, datam solutionem non enervant, sicut nec prima Confirmatio. Si enim Spiritu Sancto afflante scripsissent Patres, errare nequidem singuli, & re in nulla potuissent. Secunda confirmatio solum probat, Patres se homines agnovisse, & errori obnoxios, quod idem de aliis existimabant. Ad tertiam: nævos quosdam

etiam

Digitized by Google

etiam Theologicos in Scriptis Veterum, quamvis modestioribus oculis, videmus tamen & Catholici, non illos quidem tot, ac tales, quot ipsis affingunt Heterodoxi; nec vero id oscitantiæ, aut incuriæ tribuimus, sed humano ingenio, sed ingentibus, quibus distinebantur, occupationibus, ut de Ambrosio inquit Augustinus. Quodque interdum non adhuc ad unguem castigatas orationes, aut lucubrationes eorum Studiosi divulgarent, uti non semel Augustinus ipse conqueritur.

17. Ad quartam respondeo, Chiliastarum errorem multos Patres fuisse sequutos, aliis tamen reprobantibus: nec ullus eorum, qui eam sententiam tuebantur, talem esse Catholicæ Ecclesiæ doctrinam asserere, ausus est umquam. Idem dictum esto de Angelorum corporeitate, quamvis hæc opinio non immediate ad fidem spectet, multoque minus illa de eorundem creatione ante mundum corporeum, quam nec D. Thomas ipse improbabilem judicavit, ut sequenti in Libro dicetur. Ad ultimam Confirmationem nego minorem in prima ejus parte. Quamvis enim Catholici Opuscula plura Patrum nominibus falso adscripta, plura assuta fragmenta, nævosque aliquos, & sententiæ diversitatem, aut ambiguitatem agnoscant, in iis tamen, quæ communi Eruditorum consensu ipsis tribuuntur, & quæ intemerata existimantur Opera, quandocumque omnes, aut fere omnes uniformiter diversis in locis, ac temporibus idem docent, id enimvero tamquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, & Christianæ fidei regulam suscipiunt, ac deosculantur.

IN-

Digitized by Google

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI I.

PROP. I. DEus est. *pag.* 3
PROP. II. Deus æternus est. 11.
PROP. III. Deus est omnino simplex. 25
PROP. IV. Deus perfectiſſimus est. 31
PROP. V. Deus unus est. 34
PROP. VI. Deus est simpliciter infinitus. 39
PROP. VII. Deus est intelligens. 41.
PROP. VIII. Deus cognoscit alia a se propria, & distincta cognitione. 48
PROP. IX. Deus cognoscit singularia, sive sint, sive non. 57
PROP. X. Deus cognoscit futura contingentia libera. 59
PROP. XI. Scientia Dei est causa rerum. 72
PROP. XII. Est in Deo voluntas. 79
PROP. XIII. Est in Deo libera voluntas. 85
PROP. XIV. Deus est potens. 94
PROP. XV. Deus immensus est. 107.
PROP. XVI. Justus Deus, & Sanctus est. 103
PROP. XVII. Deus ab creata mente comprehendi nequit, nec videri in se ipso solo natura lumine. 118
PROP. XVIII. Mens creata supernaturali lumine elevata Dei essentiam intueri potest. 126
PROP. XIX. Deus beatus est. 153
PROP. XX. Deus Providus est. 155.
PROP. XXI. Deus colendus est. 169.
PROP. XXII. Revelatio necessaria est prorsus. 171
PROP. XXIII. Revelatio non repugnat. 180
PROP. XXIV. Deus loquutus est, sive est aliqua Dei revelatio. 186.

INDXE

PROPOSITIONUM LIBRI II.

PROP. I. VErbum Dei Scriptum in iis libris continetur, quos Canonicos Catholici vocamus. *pag.* 187
PROP. II. Libri Protocanonici Veteri Testamenti hi numerantur &c. 189
PROP. III. Pentateuchi Author est Moyses. 190
PROP. IV. Liber Josue Canonicus

cus est, & ab ipso Joſue ſcriptus. 206

PROP. V. Liber Judicum Canonicus est, incerti tamen Authoris; ſed qui Salmanassaris captivitatem præceſſerit. 208

PROP. VI. Liber Ruth Canonicus est, ſed Authoris incerti. 220.

PROP. VII. Libri Regum quatuor Canonici sunt; non omnium certus Author. 221

PROP. VIII. Libri duo Paralipomenon Canonici sunt: Author incertus. 230

PROP. IX. Libri Esdræ primus, & ſecundus Canonici sunt; tertius, & quartus Apocryphi. 234.

PROP. X. Liber Job Canonicus est, historia certa, Author incertus. 247

PROP. XI. Psalmorum Liber Canonicus est, Authores certi David, atque Asaph, alii, si qui sunt, incerti. 251

PROP. XII. Liber Proverbiorum Canonicus est: Author Salomon. 255

PROP. XIII. Liber Eccleſiaſtis Canonicus est: Author Salomon. 256

PROP. XIV. Canticum Canticorum divinæ authoritatis est: Author Salomon. 257

PROP. XV. Liber Isaiæ divinæ authoritatis est. 258

PROP. XVI. Jeremiæ Liber Canonicus est. 259

PROP. XVII. Liber Ezechielis Canonicus est. 260

PROP. XVIII. Liber Danielis Canonicus est. 261

PROP. XIX. Duodecim Prophetarum Libri Canonici sunt. 263.

PROP. XX. Libri Deuterocanonici Veteris Testamenti numerantur. 264

PROP. XXI. Liber Esther cum omnibus suis partibus Canonicus est. ibid.

PROP. XXII. Liber Tobiæ Sacer est. 275

PROP. XXIII. Liber Judith Canonicus est. 276

PROP. XXIV. Sapientia, & Eccleſiaſticus Libri sunt Canonici. 282

PROP. XXV. Liber Baruch Canonicus est. 283

PROP. XXVI. Quæ vulgo Danielis Additamenta dicuntur, divinæ authoritatis sunt. 286

PROP. XXVII. Libri duo Machabæorum Canonici sunt. 290

I N D E X

PROPOSITIONUM LIBRI III.

PROP. I. De fide Hebraici Textus. 299

PROP. II. Versiones Orientales ab Theologo non magni æstimandæ. 306

PROP. III. Versio τῶν 70. an pri-

prima fuerit, incertum est. 310.
PROP. IV. An solum Pentateuchum, an totum Canonem verterint, incertum est. 313
PROP. V. Historiam universam Translationis τῶν 70. ut fabuloſam rejicere æquum non est. 315
PROP. VI. Prima, & pura Verſio τῶν 70. Canonica est, quippe quæ singulari Spiritus Sancti auxilio, ductuque elaborata. 318
PROP. VII. De varietatibus, quæ inter Versionem illam, Textumque Hebraicum, & Vulgatam inveniuntur. 320
PROP. VIII. Reliquæ omnes Græcæ Versiones privatæ dumtaxat authoritatis sunt. 330
PROP. IX. Antiquioris Vulgatæ Author incertus; Recentioris fere totius Hieronymus habetur. 334
PROP. X. Vulgata authentica est. 340.
PROP. XI. Reliquæ Catholicorum Versiones privatæ solum authoritatis sunt. 345
PROP. XII. De Latinis Protestantium Versionibus. 349
PROP. XIII. De Vulgarium Versionum lectione, atque usu. 351.
PROP. XIV. Scriptura per sese non ubique clara, & perspicua est. 355
PROP. XV. Verborum Scripturæ non unus sensus est. 361
PROP. XVI. Neque Scriptura sui ipsius, neque privatus Spiritus judex esse potest; sed Ecclesia. 366.
PROP. XVII. Non ex proprio sensu Scripturæ, sed ex mente Patrum exponendæ sunt. 375

INDEX

PROPOSITIONUM LIBRI IV.

PROP. I. Traditionum veritas, necessitas, authoritas utriusque Testamenti testimoniis stabilitur. 385
PROP. II. Idem ex Patribus. 387
PROP. III. Idem Theologicis rationibus firmatur. 391
PROP. IV. Hæreticorum objectionibus ex Scriptura desumptis occurritur. 395
PROP. V. Objectiones ex Patribus petitæ diluuntur. 398
PROP. VI. Argumenta a ratione diluuntur. 403

FINIS.

	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 58. lin. 13.	cognoscere (in præc.)	leg. *dele* (in præc.)
98. n. 10. lin. 22.	Superfaonraliter.	leg. Supernaturaliter.
100. n. 12. lin. 14.	aut vi act cta.	leg. aut vi activa.
121. lin. 7.	ejusdem eum Deo.	leg ejusdem cum Deo.
135. n. 12. lin. 16.	non rolum.	leg non solum.
167. lin. 5.	cæxiſtit æternitati.	leg. coexiſtit æternitati.
171. n. 1. lin. 1.	Colendum eſt.	leg. Colendus eſt.
213. lin. 13.	Ahialon anni 8.	leg. Ahialon anni 10. Abdon anni 8.
214. n. 11. lin. 2.	immo nos nos.	leg. immo nos non.
Ibid. lin. 4.	ita non legimus.	leg. ita nos legimus.
217. n. 16. lin. 13.	qua solvitur parricidio.	leg. quæ solvitur parricidio.
225. n. 7. lin. 1.	Quanto impugnari.	leg. Quarto impugnari.
228. n. 13. lin. 8.	quod ante Dæmonum.	leg. quod arte Dæmonum.
Ibid. lin. 10.	Dæmoni consulitur.	leg. Dæmon consulitur.
272. lin. 1.	Atque adeo non sui.	leg. Atque adeo non suo.
Ibid. lin. 22.	debnit denigrari.	leg. debuit deſignari.
Ibid. lin. 28.	ad Persarum.	leg. de Persarum.
Ibid. n. 16. lin. 11.	Regem Persatnm.	leg. Regum Persarnm.
293. n. 8. lin. 8.	montem consciverunt.	leg. mortem consciverunt.
302. n. 7. lin. 3.	ex editionem.	leg. ex editione.
304. n. 9. lin. 8.	dictione pro dictione.	leg. dictionem pro dictione.
321. n. 2. lin. 15.	atque corruptam.	leg. atque correctam.
367. lin. 1.	Calvinus. (4 inſt. 9.)	leg. Calvinus Spamhemus. (4. inſt. 9.)
393. lin. 8.	Cognitionum adepti.	leg. Cognitionum Scientiam adepti.
404. lin. 12.	poliſiam.	leg. politiam.
409. lin. 10.	pravitamque.	leg. privatamque.
Ibid. lin. 13.	singulari.	leg. singularis.
Ibid. lin. 19.	Tuli.	leg. Tullii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google